S. CAROLI
BORROMEI
S. R. E. CARDINALIS
ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI
HOMILIÆ

NUNC PRIMUM E MSS. CODICIBUS BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ
IN LUCEM PRODUCTÆ

JOSEPH ANTONII SAXII

PRÆFATIONE ET ANNOTATIONIBUS
ILLUSTRATÆ.

TOMUS QUARTUS.



MEDIOLANI MDCCXLVII.

EX TYPOGRAPHIA BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ
APUD JOSEPH MARELLUM
SUPERIORUM FACULTATE AC PRIVILEGIO.

ELENCHUS
HOMILIARUM,
Quæ in hoc Quarto Volumine continentur.


HO-

ELENCHUS HOMILIARUM.

HO-



HO-



HOMILIA CIV.

AD CONFESSARIOS CIVITATIS MEDIOLANI

Habita in domeſtico Archiepiſcopali Sacello

FERIA II. POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ

ANNO MDLXXXIV. XII. MARTII.



EBUISSEMUS, Reverendi Fratres, initio Quadrageſimæ præſentem Conventum, in quem nunc confluxiſtis, indicere; nam tempus hoc ipſum ſacratiſſimum videtur jure optimo efflagitare, ut colligamus cooperatores omnes noſtros, eos præſertim, qui nobiſcum adlaborant in hac Domini vinea, ac in tam præcipuo & gravi Confeſſionum excipiendarum officio; nec Seculares dumtaxat Sacerdotes advocemus, verùm etiam Regulares ac Monachos, cùm eædem utrique claſſi ad hanc pro-



vinciam gerendam præscriptæ sint leges. Nec modò tempus, sed muneris quoque hujus pondus & magnitudo id maximè postulabat; hìc enim agendum est de animabus curandis, expurgandis, & a contagiosis peccatorum infirmitatibus præservandis. Cùm autem animæ Domini Dei sint, ab ipso creatæ, Christi Sanguine redemptæ, præsens gravissimum negotium, cujus potissima pars est ac ratio sacrosanctum Pœnitentiæ Sacramentum, Dei ipsius causa dici potest. Verùm, quoniam & adversa corporis valetudine, & curis aliis impediti id hactenus exequi non potuimus, satius fore putavimus, si serò potiùs ac tardiuscule, quàm numquam, munus nostrum aliqua ex parte adimpleremus; vobisque in unum coactis nonnulla in primis ad nos omnes spectantia in universum expenderemus, tum verò aliqua peculiaria in medium afferremus, quæ aut evitanda sint, aut servanda.

Tempus hoc appellari meritò potest tempus messis, cùm inter ceteros anni dies nullum opportunius tempus occurrat, ad animarum morbos depellendos, easque ad virtutem solidiùs incitandas. *Levate*, carissimi fratres, *oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem* (*a*). Si aliquando in anni decursu fructus sperandus fuit, nunc certè maximus colligendus offertur; nam quotidianis concionibus, jejuniis, non interruptis orationibus, & sacratissimis Ecclesiæ ritibus, hominum & peccatorum corda adeò disponi potuerunt, ut in proximo expectanda sit messis pœnitentiæ & conversionis, ac bonorum operum fructus.

Sed antequam ulteriùs progrediar, exclamare cogor cum Propheta: *Dolor meus super dolorem, in me cor meum mærens* (*b*). Cùm enim Dei offensas aspiciam, & tot peccata, quæ in dies perpetrantur, audiam, non possum tristissimè non dolere; sed nunc præcipuè doleo, & dolori continuo mihi major superadditur dolor. Hæc ipsamet temporis hujus, & vicinæ messis recordatio gravissimum cordi meo mœroris vulnus inflixit. *Expectavimus pacem, & non erat bonum: tempus curationis, & ecce turbatio* (*c*). Sperabamus, dolorem nostrum atque afflicti animi amaritudinem, hoc saltem tempore, esse aliquatenus leniendam: Ardentissimo desiderio Quadragesimam optabamus; sed *non est bonum*,

(*a*) *Joann. IV. v.* 35.
(*b*) *Jerem. VIII. v.* 18.
(*c*) *Jerem. XIV. v.* 19.

bonum, & majori quàm antea replemur turbatione, dolore, atque formidine. Sed unde hæc, obſecro? Audite eumdem Jeremiam, doloris noſtri & temporum horum infelicitatem præclariſſimè deſcribentem: *Tranſiit meſſis, finita eſt æſtas: & nos ſalvati non ſumus* (*a*). Tranſierunt jam tot Quadrageſimæ; & parva aut nulla collecta eſt meſsis. Inſtituta fuerunt hæc tempora, ut deficientibus, aut non ſatis curantibus ceteris remediis, medicina hæc, veluti extrema atque omnibus efficacior, deſperatis fere ac jam morti proximis animabus adhiberetur, qua niſi ſanarentur, actum propemodum eſſe de illis dici poſſet: Et tamen toties ſine fructu a tam multis validiſsimum hoc medicamentum ſuſceptum cognovimus. Quis Medicus infirmum aliquem medens, poſtquam præſtiterit, quæ ad ſalutem noſſe potuit apta eſſe remedia, ſi nihil ſe profeciſſe videat, non doleat, non triſtetur, non animo contabeſcat? Ideo èt ego cum Propheta ſanctiſsimo *ſuper contritione filiæ populi mei contritus ſum, & contriſtatus, ſtupor obtinuit me* (*b*). *Attendi, & auſcultavi* poſt elapſam ſuperioris anni Quadrageſimam, diligentiſſimè animas fidei meæ traditas obſervavi, & pauci *quod bonum eſt loquuntur*, pauci *pœnitentiam agunt ſuper peccato ſuo dicentes: Quid fecimus* (*c*)? Qualem, & quàm magnum Dominum offendimus! In quale barathrum nos ipſos dejecimus! *Quem fructum habuimus in illis, in quibus nunc erubeſcimus* (*d*)? Innumeri *converſi ſunt* ad cor ſuum, *quaſi equus impetu vadens ad prælium* (*e*), imo veluti *ſues in volutabro luti* denuo ſe immerſerunt, ac tamquam immundiſſimi *canes redierunt ad vomitum* (*f*). *Numquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei* (*g*)? Numquid non abundat Civitas hæc plurimis Pœnitentiæ Miniſtris ac Sacerdotibus? Numquid hìc Sacramenta omnia petentibus, prout licet & expedit, non miniſtrantur? Deſunt-ne ſpirituales medicinæ, & auxilia quamplurima, quibus a peccatorum morbis animæ liberentur? Cur ergo adhuc aperta vulnera gerit populus Mediolanenſis, inter tot medicinas? Quare tot occurrunt publici peccatores, in pravis actibus ſuis inveterati? Unde tot crapulæ, tam copioſi ſectatores voluptatum, tot avaritiæ cultores? Conſiderabam mecum ipſe paulo ante, tam multos

 eſſe,

(*a*) *Jerem. VIII. v.* 20.
(*b*) *Ibidem v.* 21.
(*c*) *Ibidem v.* 6.
(*d*) *Ad Roman. VI. v.* 21.
(*e*) *Jerem. VIII. v.* 6.
(*f*) *II. Petr. II. v.* 22.
(*g*) *Jerem. VIII. v.* 22.

esse, qui præter manifestos illicitos contractus, pecunias suas mercatoribus mutuò tradunt, sed securi de mutuato argento quandocumque voluerint recuperando, emolumenta & (ùt ajunt) interusuria ab iisdem, quæ ultro dantur, expectant; quod tamen fieri nequaquam potest tutâ conscientiâ. Et inter hos autem plerique etiam ex nobilioribus & primariis Civibus fœdo isto vinculo sunt irretiti; qui nihilominus Confessarios inveniunt, a quibus & excipiuntur, & absolvuntur. Alii publicè domi suæ ludos aperiunt, & peccatis plurimis ob contractam jam consuetudinem inficiuntur; nec absolutio eis denegatur, & confidenter ad Sacram Mensam accedunt. Cur ergo, obsecro, hæc fiunt; aut quæ tantorum malorum est causa?

Dum tamen multa animo volvimus, & hujusmodi morbos ovium nostrarum aspicimus, non possumus de Pastorum segnitie, & si de Pastorum, multò magis profectò de Confessariorum negligentia vehementer non dubitare. Illi siquidem utilem operam præstare possunt, ut animarum saluti provideatur; at isti sunt, qui peculiariter veluti in manibus animas gerunt, qui *loquuntur ad cor Jerusalem* (*a*), qui cum pœnitentibus agunt eo potissimùm tempore, quo plusquam aliàs ad Divini luminis radios excipiendos dispositi reperiuntur. Plerumque nos solemus inspicere testimoniales syngraphas, quibus compertum sit, cuinam hujusmodi protervi homines peccata sua confessi fuerint; inde verò de Confessariis subscriptis non immeritò dubitare nobis contingit, ne eos ad Confessionem admiserint nullâ præparatione dispositos, aut animo tam malè affecto, ut statim reverterentur ad vomitum: Sed quomodocumque se se res habeat, in discrimen profectò vertatur, necesse est, Confessarii ipsius diligentia: licèt enim Medicus infirmum invisat, & ei medicinas præbeat, si tamen ille vix convalescens statim recidat, dubitari persæpe accidit, an a Medico fuerit rectè curatus: Et sicuti arborum folia flavi coloris ac arescentia indicium præbent, exiccatam esse radicem, atque humore carere; hominum quoque pallor in facie, ægram stomachi habitudinem ostendit; demum si horologium non æquè suis temporibus sonum edat, sed inconstanter horas indicet, ejus segnitiem prodit, qui illius regendi curam suscepit: Sic nulla Pœnitentium emendatio & subitus ad pristina scelera reditus, utinam Confessarii culpæ & negli-

(*a*) *Isaiæ XL. v. 2.*

negligentiæ non sit apertissimum, imo convincens indicium! Et utinam multorum criminum, quæ ab aliis patrantur, ipsi rei non forent! licèt non dubitemus, reperiri quamplurimos, qui munere suo rite fungi conentur.

Verùm, si non abs re de populi plagis & cicatricibus admirabatur Jeremias, ùt audistis, eò magis super Sacerdotum incuria, imo peccatis gravissimis stupebat. Hæc autem non sine lacrymis commemorare possumus, videntes animarum Medicos plerumque ejusmodi esse, qui non modò eas aut non curent, aut curare ignorent, sed interficiant simul cum illis etiam se ipsos, itaut dici primùm possit: *Medice cura te ipsum*. Ut tamen agnoscamus, quid obstet tanto proventui, qui in populis desiderari videtur, idque effugere studeamus, nonnulla breviter attingere juvabit, quæ si in Confessariis existant, magna necesse est filiorum spiritualium sequatur calamitas. Ac primùm quidem, ille idem Propheta, Dei servus, qui super infirmorum multitudine, inter tot Medicos & Medicinas, admirabatur & dolebat, alibi quoque stupens, Medicorum corruptelas detestabatur, dicens: *Stupor, & mirabilia facta sunt in terra: Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus* (*a*)*?* O quàm multi auram popularem sectantur, adulantur peccantibus, prædicant pacem, ubi non est pax (*b*); non adeò gravia esse dicunt peccata, ùt ab aliis existimantur: Et *populus* ad malum pronus, ac voluptatis & licentiæ in primis maximè cupidus, *diligit talia*, ideoque ad hujusmodi Confessarios maximus fit hominum concursus. *Quid igitur fiet*, fratres, *in novissimis horum?* nisi quòd cæci cæcos ducentes, omnes in æternæ damnationis præcipitium ruent (*c*)? Hæc maledicta adulationis pestis, est animarum necatrix sævissima, fœdissimum vitium; sed in nemine magis, quàm in Confessariis reprehendendum.

Verùm, licèt aliqui fortè peccati fœditatem horrentes pœnitentibus non adulentur, certè eam, prout deberent, manifestam non faciunt, ipsisque peccata tanti, quanti odio habenda sunt, non demonstrant; sed timore quodam mundano detenti silent, & prætereunt, [quem profectò *timorem perfecta caritas*, si in hujusmodi Sacerdotibus esset, prorsus *expelleret* (*d*)]. Et quid te cogit,

(*a*) *Jerem. V. v.* 30. *& seq.*
(*b*) *Ibidem VIII. v.* 11.
(*c*) *Matth. XV. v.* 14.
(*d*) *I. Joann. IV. v.* 18.

cogit, o Sacerdos, ut homines timeas, cùm ab iis nihil sit tibi desiderandum? Si ergo ipsos times, ab ipsis speras & cupis aliquid, quod nolles amittere. Non jam igitur animabus, sed tibi ipsi & commodis tuis consulis. Ubi ergo perfecta caritas in te, quæ *non quærit quæ sua sunt* (*a*)? Ubi quod Apostolus dixit: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (*b*)? Non ergo Deum tibi proposuisti mercedem, sed hominum gratiam atque favorem. Heu, quàm vili pretio te, laboresque omnes tuos, & curas vendis! Potuisses mercedem infinitam recipere, ipsum videlicet Deum, tibi dicentem: *Ego ero merces tua magna nimis* (*c*); & frivolam ac minimè duraturam peccantium gratiam quæris. An tu Deo dicere poteris, quod Propheta ille: *Diem hominis non desideravi, tu scis* (*d*)? Non timuit Joannes Baptista Herodis vultum, quin liberrimè Regis nefandum scelus detestaretur. Non timuit Ambrosius Imperatores. *Ne terreamini*, (dixit vobis in primis, fratres carissimi, Dominus Jesus) *ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant*. Sed *timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in Gehennam* (*e*).

Quidam tamen sunt, qui timoris istius memores, in audiendis pœnitentium culpis non omnino silent, sed remissè & leniter insinuant dumtaxat earum turpitudinem. Verùm hos quoque terrere profectò deberet Sacerdotis Heli punitio (*f*). Num ille filios suos non reprehendit, & quidem acriter (*g*)? Utique sanè, sed quia, ùt Sanctus Hieronymus scribit, paterno nimiùm id fecit affectu, pœnas, quas probe nostis, dedit. Nec parum obest hic indulgentior affectus; nam eò usque plerumque pertingit, ut etiam intellectum corrumpat; & pœnitentes in firmissimam fidem adducantur, non esse adeò gravia ea, de quibus postea ab aliis Confessariis acerbiùs reprehenduntur.

Aliqui autem adeò sunt laboris inimici, ut vèl minima adhibita in tam gravi negotio diligentia, eis maxima videatur: Unde èt hi peccata audiunt, increpant, & fortè etiam acerbiusculè; sed pœnitentium conscientias sedulo examine non scrutantur, nec rimantur peccatorum omnium circumstantias. Et hi quidem iis sunt similes, de quibus per Ezechielem Dominus conquerebatur, quòd *liniebant parietes absque temperamento*, extrinsecum

(*a*) *I. ad Corinth. XIII. v.* 5.
(*b*) *Ad Galat. I. v.* 10.
(*c*) *Genesis XV. v.* 1.
(*d*) *Jerem. XVII. v.* 16.
(*e*) *Lucæ XII. v.* 4. *&* 5.
(*f*) *I. Regum IV. v.* 18.
(*g*) *Ibidem II. v.* 23. *& seq.*

cum quemdam corticem folùm obducentes; quamobrem, adveniente vehementiori vento aut imbre, omnia corruebant (*a*). Non hoc, dilectiſſimi, feciſſe ſat eſt, ſed *fodite*, fodite *parietem* (*b*); animas ſeriò excutite; verſate interrogationum veluti aratro conſcientiarum agros, quos vobis excolendos tradidit Dominus: nihil enim eſt vobis non tentandum, ut a graviſſimis peccatorum infirmitatibus eripiantur animæ illæ, pro quibus ſalute donandis, *quid eſt quod debuit ultra facere* Dei Filius, *& non fecerit* (*c*)?

Neque inſuper ſat eſt, ægritudines ſpirituales depuliſſe, niſi & earum radices amovere ſtudeatis, & pœnitentibus præſervativa quædam providere medicamenta, quibus a patrandis in poſterum iiſdem ſceleribus retrahantur. Quænam verò ſunt radices, niſi pravæ conſuetudines, niſi malè ſana commercia, & ejus generis alia? Num incontinentem aliquem obſcœnitates ſuas vobis confeſſum eſſe ſufficiet, ſi interim ſcortum domi retineat? Putabitur-ne hic, cùm a vobis abſolutionis munus acceperit, verè curatus, quamdiu morbi radicem ſecum fovet ac nutrit? Nonne continuò eſt morti expoſitus, donec venenatum ſerpentem geſtat in ſinu? Heu, quàm multos hodie publicos peccatores hujuſmodi, & alios, qui mille uſuris immerſi ſunt, cogimur deplorare! qui tamen èt ipſi inveniunt Sacerdotes, a quibus & audiuntur, & abſolvuntur, & ad Sacratiſſimi Chriſti Corporis ſuſceptionem, ſues immundi, tamquam ſi tanto convivio digniſſimi exiſterent, admittuntur; quos quidem pro tanta temeritate acriter punire non ceſſabit Dominus. Verùm de iis etiam, quibus aut permittentibus, aut admittentibus illi tam audacter ad Sacram Menſam acceſſerunt, fortè etiam graviores pœnas ſumet.

Quamvis autem diligentiſſimè peccata omnia inveſtigaſſes, o Sacerdos, conſcientiam pœnitentis diſcuſſiſſes, & radices omnes peccatorum, etiam occultas & latentes amputaſſes, num ideo putandum eſt tibi, te ſatis ſuperque laboraſſe? Num *expoliare* te debes, ſicut in Canticis dicitur (*d*), *tunicâ tuâ*, atque ad auram reſidens, tibi ipſi de labore ſuſcepto complacere atque blandiri? Falleris profectò. Non ſatis eſt, fratres, non ſatis eſt, inquam, Confeſſariis, hæc omnia feciſſe, & dicere: pœnitentem audivi, eumdem abſolvi, nil mihi ultra agendum eſt: Siquidem ſinguli memo-

(*a*) *Ezech. XIII. v.* 11. *& ſeqq.*
(*b*) *Ibidem VIII. v.* 8.
(*c*) *Iſaiæ V. v.* 4.
(*d*) *Cant. Cantic. V. v.* 3.

memores esse debetis muneris vestri; in id enim vos Dominus vocavit & misit, *ut evellatis, & destruatis, disperdatis, & dissipetis, ædificetis, & plantetis* (*a*). Non sat est, criminum turrim *destruxisse*, qua cum Deo pugnare velle peccatores videbantur: non sat est, Diabolicam Civitatem penitus *dissipasse*; radices omnes malorum *evulsisse*, & *dispersisse*; sed debetis etiam *ædificare* in ipsis Civitatem Dei, & virtutum *plantas* inserere, ac animas illas non solùm everrere, & sordibus expurgare, verùm etiam ornare, ut digna sint Spiritus Sancti templa, & congruæ Domino venienti mansiones. Putat-ne quispiam vestrûm vacare mysterio, quòd Discipulos suos Dominus mittens, dixerit: *Ite, solvite, & adducite mihi* (*b*)? Neutiquam sanè; sed docuit, o Sacerdos, debere te in primis *solvere* a peccatorum vinculis animam, tum illam *adducere* ad Christum Dominum, ut super eam insideat: qua etiam de causa cùm languidum in piscina jacentem pristinæ sanitati Dei Filius reddidisset, adjecit: *Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (*c*). Sic medicus quoque corporis, post curatum Infirmum, opportunas ad conservandam salutem regulas præscribit. Quapropter salutaribus monitis filios vestros debetis semper instruere, hortari, docere, atque in Domini viam dirigere. Et heu, quàm multi hoc negligunt! Et quæ tantæ negligentiæ causa, nisi quia *Dei spiritum non habent* (*d*)? nisi quia Divinæ voluntati non sunt conformes? Si Spiritum Dei haberent, scirent utique, quàm pretiosa fuerit unica etiam anima in conspectu Domini; quanti eam Dei Filius fecerit. Verùm quia in hisce animarum zelus, & amor non adest, ideo perfunctoriè omnia perficiuntur.

Judas Machabæus (*e*), & fratres ejus cum omni exercitu, postquam inimicos suos fudissent, *& viderent sanctificationem desertam, & Altare profanatum, & portas exustas, & in atriis virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus, statuerunt emundare Sancta*; & ob id *elegit* primò Judas *Sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in Lege Dei*. Hujusmodi utinam non sint misera hæc tempora! non sint plerumque a dissolutis juvenibus profanatæ Ecclesiæ, & non perierit in multis religio! Quod ergo his omnibus remedium? Primùm, ut Sacerdotes, duo hæc habeant, videlicet sancti sint,

sine

(*a*) *Jeremiæ I. v.* 10.
(*b*) *Matth. XXI. v.* 2.
(*c*) *Joann. V. v.* 14.
(*d*) *I. ad Corinth. VII. v.* 40.
(*e*) *I. Machab. IV. v.* 38. 41. *& seq.*

fine macula, *nemini dantes ullam offenfionem* (*a*); fed exemplo fuo, non minus quàm verbis ad pœnitentiam alios inducentes: *Et voluntatem habentes in Lege Dei*, zelantes fcilicet fint falutis animarum, quas adeò Dominus dilexit, ut proprio illas redemerit Sanguine. O fi zelus hic vos comederet, quàm parva vobis omnia quæcumque feceritis, viderentur, vel etiam nulla! Quomodo quilibet *non quæ fua funt* (*b*), non eleemofynas, non propria commoda *quæreret*, fed tantùm fatageret, animas Chrifto lucrifacere.

Poftremo loco non modicum detrimentum fpirituali animarum proventui affert Confeffariorum difformitas, quòd nempe eafdem leges non omnes obfervent; quòd abfolvant aliqui a quibufdam, a quibus alii Deum magis timentes, & animarum utilitati tutiùs confulentes, nolunt abfolvere; ita enim *unus ædificans* eft, *&* *unus deftruens* (*c*). Quis inde poteft fperari progreffus? Nullus profectò. Jam ab initio monui, fratres, cooperatores meos vos effe. Si ergo fecus, quàm ipfe inftituerim, vos faciatis, nonne damno mihi eritis potiùs, quàm adjumento? Cùm verba illa Domini confidero, Moyfi coadjutores quofdam dantis, non poffum non deflere calamitatem hanc, cui tam multi fubjacent: *Dixit* enim *ad Moyfen Dominus*: *Congrega mihi feptuaginta viros de fenibus Ifraël*, *quos tu nofti*, *quòd fenes populi fint ac magiftri*: *&* *duces eos ad oftium tabernaculi fœderis*, *faciefque ibi ftare tecum*, *ut defcendam*, *&* *loquar tibi*: *&* *auferam de Spiritu tuo*, *tradamque eis*, *ut fuftentent tecum onus populi*, *&* *non tu folus graveris* (*d*). Videte, fratres: Nequimus nos foli tantum onus portare. Nos ergo vos, Domini juffu, elegimus, ac Domino obtulimus in *magiftros populi*, imo pro vobis fidejuffimus. Vult Dominus loqui Moyfi, nobis fcilicet, non vobis; vult *auferre de fpiritu noftro*, *&* *tradere vobis*. Jam ergo non veftro fpiritu, fed noftro, *fuftentare* debetis *nobifcum onus populi*. Hoc verò adimplere poteftis facillimè, fi Conftitutionum libellum ad vos fpectantium, juffu noftro editum, perfæpe legatis & meditemini (*e*).

(*a*) *II. ad Corinth. VI. v.* 3.
(*b*) *I. ad Corinth. XIII. v.* 5.
(*c*) *Ecclefiaftici XXXIV. v.* 28.
(*d*) *Numer. XI. v.* 16. *&* *feqq.*
(*e*) Libellum hunc fæpius impreffum, & præfenti etiam feculo editum Romæ, juffu Innocentii XII. Pontif. Max. a Gafpare de Carpineo S. R. E. Cardinali, Sabinenfi Epifcopo, & Urbis Vicario, recudendum curavit Tugii anno MDCCXXVI. Dominicus Paffioneus Archiepifcopus Ephefinus, olim apud Helvetios Apoftolicæ Sedis Nuncius, nunc verò Eminentifs. S. R. E. Cardinalis, præfixâ eidem Epiftolâ, plenâ folicitudinis paftoralis, & laudis Sancti Caroli Borromei, cujus labores in Cleri difciplina, & moribus inftaurandis, non uni Mediolanenfi, fed toti Catholicæ Ecclefiæ infervifle profitetur.

Qua in re Monasteriorum etiam Prælatos, & Superiores enixè in Domino velim rogatos, ut curent, hoc a sibi subditis Confessariis inviolabiliter observari; nam èt nos, quantum in nobis erit, eos juvare non cessabimus, illos ad nos advocantes, quos ipsi duriores, ac magis in peccatis obduratos compererint. At si ipsi nobis defuerint, ingratum iis fortasse accidet, si coram filiis, quos in spiritu regunt, confusione eos repleri contigerit; quos enim publicos peccatores, & scandalum dantes agnoverimus, licèt testimoniales Confessariorum suorum attulerint literas, quòd ipsis confessi fuerint, & ab iisdem absoluti; nos tamen eos ad Sacræ Synaxis sumptionem non admittemus, & pro inconfessis haberi decernemus.

Eja ergo, dilectissimi fratres, mementote, quia *ex vobis* potissimùm *pendent* horum populorum *animæ* (*a*): recordamini, quòd Dei illæ sunt, qui acerrimus erit earum vindex, & de manu vestra earum sanguinem requiret (*b*). Quòd si *oculum pro oculo*, *dentem pro dente*, *manum pro manu*, *pedem pro pede* (*c*) dabit homo, vos quoque pro animabus vestras animas dabitis; & gravissima parabuntur iis supplicia, qui Christi sanguine aspersas animas perire permiserint. Agnoscite omnes vocationem vestram, & muneris gravitatem, ut in hora mortis possitis gaudere, eò quòd ex iis, quos vobis tradiderit Dominus, non perdideritis quemquam (*d*); ac demum cùm tremendo divinæ justitiæ Tribunali adstare cogemini, intrepidi, & maxima cum fiducia rationem de vobis ipsis reddere valeatis, dicentes: Domine, tu scis, quia dilexi has animas; scis, quia non tacui, quia ex corde dixi, quia flevi, cùm loquerer, & non audirer: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddes mihi Domine in illa die justus judex* (*e*). Ipse verò singulis vestrûm dulcia ea repetat verba: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra gaudium Domini tui* (*f*). Amen.

HO-

(*a*) *Judith VIII. v.* 21.
(*b*) *Genesis IX. v.* 5.
(*c*) *Exodi XXI. v.* 24.
(*d*) *Joann. XVIII. v.* 9.
(*e*) *II. ad Timoth. IV. v.* 8.
(*f*) *Matth. XXV. v.* 21.

HOMILIA CV.

DE PASSIONE DOMINI

Habita in Templo Maximo Mediolani

Feria VI. post Dominicam IV. Quadragesimæ

ANNO MDLXXXIV. XVI. MARTII.



UDISTIS superioribus sextis feriis, quàm sit conveniens & congruum, quin etiam necessarium nobis officium, continuâ Passionis Domini nostri Jesu Christi meditatione exerceri. Equidem hoc unum ad id vos adeo vehementer deberet impellere, ut non alia ratione essetis a nobis excitandi, quòd nempe hoc Domino placeat, quòd Deus hoc exposcat, quòd hæc sit voluntas ipsius, quòd hoc demum ille præcipiat, qui solo verbo cuncta creavit, cujus voluntati omnia obtemperant, *qui facit Angelos suos spiritus: & ministros suos ignem urentem* (*a*), cujus *ad nutum omnia pavent & contremiscunt* (*b*), qui *& ventis, & mari imperat, & obediunt ei* (*c*); ille denique, qui nos sibi tot immensorum & innumerabilium beneficiorum vinculis obstrinxit; cuique tam multum debemus, & a quo habemus hoc ipsum, quod sumus. Hæc sola ipsius voluntas nos semper detinere in officio solicitos, ac in meditatione hac sancta perpetuò constantes deberet. Si enim Philosophi cujusdam antiqui tanta fuit apud discipulos suos auctoritas, ut pronunciato hoc verbo: *Ipse dixit*, ceteri omnes ejus auditores, non modò ejusdem verba voluntate amplecterentur, sed etiam intellectum in tanti viri obsequium captivarent: quantum deferre debemus nos non homini cuipiam, sed ipsimet Deo, tam expressis & efficacibus verbis id nobis præcipienti, requirenti, deprecanti, monenti? Cur non illa nos moveant: *Recordare paupertatis meæ, ab-*

(*a*) *Psalm. CIII. v. 4.*
(*b*) *Job XXVI. v. 11.*
(*c*) *Lucæ VIII. v. 25.*

ſynthii, *& fellis* (*a*)? Cur non ea: *Reduc me in memoriam* (*b*)? *Ponite ſermones hos in cordibus veſtris* (*c*), & alia hujuſmodi quamplurima? Verùm quia noſtra hæc natura adeò ſui ipſius eſt amans, ut ad eas res maximè affici ſoleat, ex quibus majorem utilitatem ſe conſecuturam ſperat, eaque complectatur libentiùs, & diutiùs ac conſtantiùs retineat, quæ ſibi profutura cognoverit: Idcirco ceteris, quæ in hanc materiam adduximus, èt hanc conſiderationem adjiciemus, dilectiſſimi filii, utilitatum ſcilicet maximarum, quas Paſſionis, dolorum, & acerbiſſimæ Chriſti mortis jugis contemplatio meditantibus affert. Quoniam verò in ſuperioribus Sermonibus oſtendimus, neceſſariò nobis hanc ſacroſanctam exercitationem aſſumendam eſſe, ad ſcientiam Dei & noſtrì acquirendam, qua ſine quiſpiam æternam ſalutem conſequi ſe poſſe fruſtra confidit: Ideo brevibus etiam hodie vobiſcum agentes, de cognitionis hujus & ſcientiæ utilitate, quàmque eam uberem & ſalutarem in Chriſti Paſſione habeamus, non abs re fuerit diſſerere.

Semper extitit, dilectiſſimi filii, Diabolus pater mendacii (*d*), quemadmodum ad obſtinatos Phariſæos dicentem audivimus Dominum: Jamque ab ipſo humanæ creationis exordio mendacia diſſeminare ſtuduit; & tantum effecit ſuis commentis, ut primos illos Parentes noſtros ſeduxerit, & cum iiſdem humanum genus omne in tantas calamitates dejecerit. Duo verò in primis mentiendo illis promiſit, ut ad vetiti pomi eſum eos invitaret: *Aperientur*, inquit, *oculi veſtri: & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum* (*e*): utrumque verò non modo veritati minimè conſonum fuit; ſed ex oppoſito miſeris & nimiùm credulis peſſimè cuncta accidère. Spreverunt ſiquidem illi Dei præceptum, guſtarunt vetitum pomum, ſeductori ſerpenti fidem adhibuerunt; & protinus in maximam incurrerunt cæcitatem ſpiritualem & ignorantiam, clauſiſque eorum oculis primævam quoque ſcientiam amiſerunt. Utriuſque hujus tantæ jacturæ pulchrè nobis typum exhibet Cæcus ille natus, de quo proximè præteritâ Dominicâ narratum eſt vobis. Quid ergo? Tam præclarum Dei opus homo, quod præcipuam quamdam Conditoris ſui imaginem referebat, in miſeriis hiſce perpetuò debue-

(*a*) *Thren. III. v.* 19.
(*b*) *Iſaiæ XLIII. v.* 26.
(*c*) *Lucæ IX. v.* 44.
(*d*) *Joann. VIII. v.* 44.
(*e*) *Geneſ. III. v.* 5.

debuerat permanere? Meruisset profectò; sed *tactus dolore cordis* (*a*), ùt ita dixerim, benignissimus Deus, videns vidit afflictiones nostras, & misertus est nostrì (*b*); ideoque ipsemet statuit e Cœlo descendere, & nos a tot ærumnis eripere. Inter cetera verò oculos nostros aperiens, a densis ignorantiæ tenebris nos liberavit: validissimum insuper, ac omni ex parte perfectum ad salutem obtinendam nobis remedium proponens.

Hujus autem tam admirabilis curationis a Dei Filio peragendæ, non incongruè figuram fuisse dixerimus, magnum illum ejusdem Præcursorem Joannem Baptistam, quo *nemo inter natos mulierum major surrexit* (*c*). Hic a Scribis, & Pharisæis, ac eorum nunciis interrogatus: *Elias-ne* esset, *an Christus*, *an Propheta* (*d*); quid demum esset? hoc tantùm respondit: *Ego vox clamantis in deserto* (*e*). Fuit quippe Joannes totus vox: Vox, prædicando: *pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum Cælorum* (*f*): Vox item, perfectissimè operibus, quæ prædicaverat, adimplendo: Vox fuit, illa tam matura ad desertum accessio, inaudita vitæ rigiditas, vestes asperrimæ, quibus tenella membra maceravit: Vox fuerunt cibi adeo ingrati & parci; totus denique Joannes extitit vox; vox, inquam, pœnitentiam clamans, pœnitentiam docens, ad pœnitentiam omnes homines, cujuscumque sexus & conditionis, non minus exemplis impellens, quàm excitans verbis. Sic ipsa Divina Sapientia, Dominus Jesus Christus Dei Filius in Mundum venit, ut non modò auribus, verùm etiam oculis hominum se se exhiberet, atque ita nos perfectè doceret per auditum, & visum; instruens illo intellectum, hoc verò voluntatis affectum; omnes excitando ad præclaram, & Christiano homine, qui se Christi ipsius Discipulum esset professurus, dignam virtutem.

Id olim Sacrosanctus ille Vates Divino Spiritu afflatus Isaias, futurum cùm prævideret, nostræ quodammodo invidens felicitati, ac privilegia nobis a Domino concedenda participare desiderans, exclamavit: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hec est via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram* (*g*). Felices verè oculos illos, qui meruerunt videre, quæ vidimus nos;

(*a*) *Genes. VI. v. 6.*
(*b*) *Exodi III. v. 7. & 8.*
(*c*) *Matth. XI. v. 11.*
(*d*) *Joann. I. v. 21.*
(*e*) *Ibidem v. 23.*
(*f*) *Matth. III. v. 2.*
(*g*) *Isaiæ XXX. v. 20. & 21.*

nos; feliciſſimas aures, quæ dignæ fuerunt audire, quæ nos audivimus (*a*)! Peregrinabatur genus humanum a Domino, errabat in montibus, vagabatur in ſylvis, aberraverat a via, ad Inferni barathrum præceps currebat. Audivit vocem *poſt terga monentis* Dei Filii: Heus, miſeri viatores: quò tenditis? fallax via illa eſt, per quam inceditis; heu! quia *ambulatis vias difficiles* (*b*), quarum *noviſſima deducunt ad mortem* (*c*), & tenebras exteriores. *Filii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium* (*d*)? Ambulat nunc avarus poſt concupiſcentiam oculorum, & aberravit a via, digreſſus eſt in viam Ægypti; & *audit*, ſi vult, *vocem poſt terga monentis:* Heus, viator, *quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam* (*e*)? Ambulat juvenis voluptatibus deditus per viam concupiſcentiæ carnis; & poſt hujus terga clamitat Dominus: *Revertere, revertere, dilecte mi: ſimilis eſto capreæ, hinnuloque cervorum* (*f*). Ambulat ſuperbus & ambitioſus per viam ſuperbiæ; & poſt hujus terga vocem edit Dominus dicens: *Quieſce, Ægyptus tantùm eſt ſuperbia* (*g*). Omnes denique nos vocem hanc *audivimus* Dei Filii *poſt terga monentis*, & nos ad veram ſalutis viam revocantis & dicentis: *Ego ſum via* (*h*).

Hoc verò (ùt diximus) & audivimus & vidimus; nam etiam ipſe totus fuit vox, & doctrina, & Doctor: ubique & ſemper docuit. Docuit Infantulus vix natus in vili præſepio, inter bruta animalia reclinatus, lugens & vagiens, atque in Ægyptum fugiens; docuit Parentibus ſubditus, in deſerta loca ſe recipiens, jejunans, in orationibus pernoctans: Et in his omnibus docuit ſemper, operibus non minus quàm verbis perorans. Demum, quamdiu vixit, ſemper docuit. Attamen diſceſſurus corpore a nobis, &, indicto labiis ſilentio, cœleſtis hujus doctrinæ gymnaſium quodammodo clauſurus, Crucis cathedram aſcendit, in qua in compendium veluti epilogumque redigens, quæcumque vivens ſparſim ac diverſimode exemplo & verbis docuerat, Sapientiæ Divinæ arcana, unico intuitu ab omnibus percipienda ſub oculos poſuit.

In hac verò cathedra (bone Deus) quomodo totus docuit, etiam ipſo vultu ac membris, univerſi denique corporis lacerati cru-

(*a*) *Matth. XIII. v. 16.*
(*b*) *Sapient. V. v. 7.*
(*c*) *Proverb. XIV. v. 12.*
(*d*) *Pſalm. IV. v. 3.*
(*e*) *Jerem. II. v. 18.*
(*f*) *Cant. Cantic. II. v. 17.*
(*g*) *Iſaiæ XXX. v. 7.*
(*h*) *Joann. XIV. v. 6.*

cruciatibus! Docuerunt oculi lacrymantes & sanguine respersi; facies sacratissima, sputis fœdata & alapis cæsa; aureus pallor in genis; vultus demissus: Docuerunt fauces aridæ, lingua sitiens & silens ac palato adhærens, brachia extenta, ossa omnia suis dimota locis atque disjuncta, manus transverberatæ; docuit corpus totum flagellis lacerum, & livoribus plenum; docuerunt pedes confixi; docuit denique Divinum illud pectus diro lanceæ mucrone transfixum. O qualis doctrina! o quales aperti sunt *thesauri sapientiæ & scientiæ* Dei (*a*), qui priùs latuerant! Quàm verè dixisti Paule, vas electionis, quod ipse noveras atque gustaveras! nempe: *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu* (*b*). Sed quomodo hæc *in facie* illucescunt, in qua nonnisi sputa & livores, nonnisi alapæ & sanguis, nonnisi lacrymæ & plagæ tumentes cernuntur? Satiùs fortè dixisses, si de Moysis facie isthæc dixisses; ille enim vultûs sui splendore, ex colloquio cum Deo, repræsentabat Divinæ pulchritudinis & gloriæ quamdam veluti umbram. Verùm multò magis hæc omnia, dilectissimi filii, *in Christi Jesu facie* ita deformatâ, ut monstrum potiùs quàm hominis videretur aspectus, illuxerunt; illa enim vultus deformitas, immensam divinæ bonitatis claritatem, summum justitiæ splendorem, ineffabile misericordiæ decus, flagrantissimam in genus humanum dilectionem exprimebat, cùm hæc omnia opprobria, reformandæ imaginis nostræ causâ, ab Unigenito Dei Filio suscepta fuerint. Quis enim mortalium illa cernere, & in admirabilem Solis justitiæ lucem oculos conjicere potuisset, nisi interposita hac, & quidem densissima, miseriarum nube? Hic, quem in Cruce constitutum aspicitis, Liber est, hæc omnia descripta literis quibusdam facillimis continens, omnibusque proponens. Olim, cùm Deus Cœlum & terram, ac quæcumque eorum ambitu continentur, creavit ex nihilo, Librum veluti quemdam aperuerat, in quo per visibilia hujus Mundi conspecta, ejus invisibilia a creatura rationali aliqua ex parte cognoscerentur (*c*). Verùm per ea, quæ in hoc Libro conspiciebantur, Sapientes seculi, Deum nec cognoverunt, nec glorificaverunt; imo ea ùt Deos adorare cœperunt, per quæ in Dei veram debuerant cognitionem & adorationem adduci: Et

(*a*) *Ad Colossens. II. v. 3.*
(*b*) *II. ad Corinth. IV. v. 6.*
(*c*) *Ad Rom. I. v. 20.*

Et *quia*, ùt inquit Apoſtolus, *in Dei Sapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes* (*a*); ideo in Filio ſuo, quaſi novo quodam Mundo ſupernaturali, apertus eſt alius Liber, in quo, nempe in actionibus & Paſſione, ac toto corporis habitu, ſacroſanctæ ſcilicet Humanitatis, videmus & legimus ejus immenſam bonitatem, rectiſſimamque juſtitiam.

Dixit igitur hìc *Deus* ſemper benedictus *de tenebris lumen ſplendeſcere*, quando primùm ex ignorantiæ tenebris ad ſacratiſſimæ veritatis lumen nos vocavit; cùm ſcilicet Unigenitus Dei Filius deſcendit in terras, *illuminare his, qui in tenebris, & in umbrâ mortis ſedebant* (*b*). Sed *dixit* hìc ipſe *Deus* omnipotens, præcipuè quoque *de tenebris lumen ſplendeſcere*, cùm ex intimis cordis ſui penetralibus, aperto pectore tantus ad nos ſplendor erupit, quo myſteria recondita, quæ priùs latuerant, manifeſta ſunt reddita; & *Sacramentum* (ùt ait Apoſtolus) *abſconditum a ſeculis in Deo*, ita diſpenſavit, *ut innoteſceret Principibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei, ſecundùm præfinitionem ſeculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro* (*c*).

Vidit Iſaias Librum quemdam, de quo ita ſcripſit: *Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti literas, dicent: Lege iſtum: & reſpondebit: Non poſſum, ſignatus eſt enim: Et dabitur liber neſcienti literas, diceturque ei: Lege: & reſpondebit: Neſcio literas* (*d*). Non hujus generis eſt Liber hic noſter, Jeſus Chriſtus crucifixus; clauſus minimè eſt, nec *obſignatus*, imo multis foraminibus apertum & laceratum illius eſt corpus: quot in eo vulnera, tot folia aperta; quot ſanguineæ guttæ, tot verba; quot livores ac verbera, tot præclariſſimæ notæ. In hujus typum, moriente ipſo, *velum* etiam *Templi ſciſſum eſt a ſummo uſque deorſum* (*e*); tunc enim apertus eſt Liber, & arcana Scripturarum ſunt revelata myſteria. Nec tantùm *ſcientibus literas* eſt commodus Liber hic ad intelligendum; ſed ſæpe rudes & idiotæ, qui pii ſunt magis ac ſimplices, in eo legentes poſſunt aptiùs erudiri. Non jam ampliùs illi excuſare ſe poſſunt, quòd clauſus & *obſignatus* ſit liber; neque iſti, quòd *literas neſciant*. Quid enim eſt, videre parvulos pueros Doctrinæ Chriſtianæ Scholas

(*a*) *I. ad Corinth. I. v.* 21.
(*b*) *Lucæ I. v.* 79.
(*c*) *Ad Epheſ. III. v.* 9. *& ſeqq.*
(*d*) *Iſaiæ XXIX. v.* 11. *&* 12.
(*e*) *Matth. XXVII. v.* 51.

las frequentantes, omnia Fidei rudimenta optimè callere, nisi Librum hunc perspicacissimè comprehendere? Non jam ulla vobis, filii, superesse possunt effugia. In Templo Sancti Sepulchri hic Liber proponitur omnibus; proponitur in Scholis Doctrinæ Christianæ; proponitur in tam multis Oratoriis. Quomodo ergo coram Domino excusabiles eritis, si inter tot commoda non profeceritis in supereminenti hac scientia, quam omnes capere possunt? Jam enim tempus illud advènit, quod antea prædixit Propheta, cùm ait: *Omnes cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum* (*a*): prædicatus est omni creaturæ, & omnium se accommodat captui.

Hunc Librum prævidisti tu Ezechiel Propheta, imo comedisti atque gustasti; & venter tuus comedit, & viscera tua impleta sunt, & factus est in ore tuo sicut mel dulcis. Quoniam verò pulcherrimè Librum hunc, ejusque conditiones nobis ob oculos ponit Divinus Vates, ideo, obsecro, ejus verba audiamus & perpendamus, sicque præsenti huic nostro sermoni finem imponamus: *Fili hominis*, inquit Dominus, *audi quæcumque loquor ad te, & noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est: Aperi os tuum, & comede quæcumque ego do tibi. Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber: & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus, & foris: & scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ* (*b*). *Et dixit ad me: Fili hominis quodcumque inveneris comede: comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israël. Et aperui os meum, & cibavit me volumine illo: & dixit ad me: Fili hominis venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et comedi illud: & factum est in ore meo, sicut mel dulce* (*c*).

Erat juxta literam Liber hic, papyrus quædam circumplicata, habens utramque partem literis exaratam, in qua continebantur scelera, quæ Judæi patrabant, & pœnæ, quas erant pro illis daturi. Itaque referebat prophetiam calamitatum, quibus iidem, propter eorum maleficia erant miserè opprimendi. Legebantur ibi Jerosolymæ eversio, Templi combustio, Hebræorum captivitas, & eorum incredibiles ærumnæ, quæ omnia Ezechiel illis vaticinabatur.

Sed jam navim a terra pusillum reducentes in altum progrediamur, & de mystico hoc Libro nostro, Christo, inquam, Cru-

(*a*) *Jerem. XXXI. v.* 34.
(*b*) *Ezech. II. v.* 8. *&* 9.
(*c*) *Ibidem III. v.* 1. *& seqq.*

Crucifixo differamus. Ac primò quidem, mirum profectò est, quàm Deus vellet librum illum ab Ezechiele non modò comedi, bis dicens: *Comede, comede; venter tuus comedet; implebuntur viscera tua*; sed districtè præceperit, ne fortè hoc exequi recusaret: *Fili hominis, audi quæcumque loquor ad te, & noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est: Aperi os tuum: & comede*. Poterat Ezechieli absurdum admodum videri, comedere librum, pasci volumine; ideoque obvium illi erat dicere: Qualisnam est hic cibus? Verùm hoc noscens Dominus, ei præceptum inculcat. Quid magis, dilectissimi filii, repugnabat humano sensui, quàm Cruce, quæ ignominiosissimum erat latronum & scelestorum hominum patibulum, universum terrarum Orbem esse subigendum, Imperatores deprimendos, fundandam Ecclesiam, redimendum Mundum, mortem morte destruendam, stultitiâ denique istâ ac ignominiâ omnem Mundi sapientiam confundendam? Sed *comede, comede fili hominis*. Videte, quàm id Petro videretur absurdum! Volebat ille in monte Thabor perpetuò consistere; aliàs quoque loquenti Domino de morte sua horrens dicebat: *Absit hoc a te, Domine* (*a*); & cùm jam ad mortem propiùs accederet, ad arma accurrerat, & cujusdam servi Principis Sacerdotum auriculam absciderat (*b*): Sed *comede* Petre *volumen istud*, quia quod tunc adeo horrebas, *factum est* postea dulcissimum *super mel in ore tuo*; & adeo dulce, ut èt ipse eamdem mortem libenter appetieris. Beatitudinem omnes homines atque felicitatem naturaliter appetunt; hujus verò acquirendæ viam nos esse prædicamus, Crucis & dolorum Christi meditationem, propriæ carnis mortificationem, pœnitentiam, lacrymas, jejunia, mortis memoriam. Heu! quia videtur hoc non aliud esse, quàm librum comedere: Repugnat carni nostræ & sensui; mœsta tantùm sunt hæc & lugubria: Quomodo ergo beatos nos possunt efficere? Sed *comedite librum*, filii; tribulationes, & adversa quævis æquo animo ferte; nam *dulcia* postmodum *erunt* in ore vestro *super mel, & favum* (*c*).

Verùm ad hoc duo vos excitare potissimùm debent; primò, quòd de manu Domini liber ille Ezechieli fuit exhibitus; secundò verò, quòd vox Domini id ei præcepit: *Quis ex vobis*, inquit Dominus, *patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum: num-*

(*a*) *Matth. XVI. v.* 22.
(*b*) *Joann. XVIII. v.* 10.
(*c*) *Psalm. XVIII. v.* 11.

numquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis Pater veſter de Cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe (*a*)? Si pater noſter eſt, ſi mater & nutrix; numquid quæ nobis porrigit poſſunt eſſe non bona? Quidquid ergo nobis offertur, non hoc ipſum ſpectemus, ſed de cujus manu proveniat, conſideremus; & *librum* promptiſſimè *comedemus*. Præterquamquod & dans loquitur, & voce ſua indicat, non eſſe recuſandum quod offert, ſed ſtrenuè & alacriter ſuſcipiendum. Cùm dixit: *Comede volumen iſtud, & vadens loquere ad Filios Iſraël*, videte cariſſimi, quid nobis Paſtoribus præcipiat Dominus: ut *comedamus* in primis, tum ad vos *loquamur*. Sed benigniſſime Domine, cùm hoc tuæ voluntatis eſſe apertè cognoſcam, exequar ego pro viribus, & ad populum hunc per totum anni decurſum ſæpiſſimè *loquar* de morte tua, & dolorum tuorum Libro. Attamen præſta, obſecro, ut ego priùs eum *comedam*, & guſtem, antequam *loquar*: ut digeſtum eis meliùs proponam, ac ipſi quoque deguſtent.

Verùm non quomodolibet, aut primis tantùm (ùt dici ſolet) labiis delibanda ſunt hæc ſacroſancta myſteria; ſed dicitur: *Aperi os tuum & comede*: ubi duo innuuntur; primò requiri a nobis ardentiſſimum deſiderium, quo, ſicuti parvas aviculas eſurientes, os penitus dilatare videmus ad ſuſcipiendum cibum; ſic èt nos cordis os, præcipiente Domino, aperiamus, ut ipſe impleat illud (*b*): Secundò autem requiritur, ut os aperiendo, ei locum præparemus in corde; nam ſicut qui variis cibis repleto ſtomacho ad Regis accedunt convivium, lautiſſimas appoſitas epulas guſtare & manducare non poſſunt, ſic jejunos a profanis omnibus eſcis Liber hic nos eſſe requirit, & aperto ore ac vacuo ſtomacho ad eum devorandum accedere.

Neque autem ingrata aut nullius cauſa proventûs, nobis erit hujuſmodi comeſtio; ſed plurimum inde emolumentum capiemus. Primò enim hæc Chriſti Domini Paſſionis meditatio animas noſtras nutriet, unde dicit Ezechiel, *& cibavit me*: Secundò, non modò nutriet, ſed ad ſatietatem etiam nutriet & implebit, ùt ille ait: *Venter tuus comedet, & viſcera tua implebuntur volumine iſto*. Abeant nunc infelices Mundi ſectatores, qui ſatiari ſe poſſe exiſtimant ſiliquis porcorum, quas affeclis ſuis Mundus proponit. An animo veſtro excidit, prodigum illum filium, cùm, patre reli-

(*a*) *Lucæ XI. v. 11. & ſeqq.*

(*b*) *Pſalm. LXXX. v. 11.*

relicto, peregrè profectus uni civium adhæsisset, missum ab eo ad porcorum custodiam, desiderasse saturari de iis, quæ sordidis animalibus sternebantur, cùm illic fame periret (*a*)? Non possunt, fratres, cibi isti levissimi, spirituales & immortales animas nostras ulla umquam ratione satiare: neque enim convenientes, aut naturæ nostræ conformes sunt. Quis leonem fœno, aut equum carnibus satiari posse crediderit? Profectò, nisi alii apponantur cibi, uterque fame interibit. Detur fœnum equo, dentur leoni carnes. Non satiabitur umquam anima nostra fœno aut carnibus, sed hoc dumtaxat Libro in præsenti vita *impleri* possunt *viscera nostra*; quo etiam plenè *satiabimur* in Patria, *cùm apparuerit gloria Dei* (*b*). Non, o juvenes, libri profani & obscœni, non vanæ & curiosæ scriptiones satiare poterunt intellectus vestros; sed Liber tantùm sacratissimæ Christi Passionis. Illos discerpite, illos igni tradite, utpote morum corruptores, honestati vestræ insidiantes, libidinum incentores. Hunc legite, hunc habete præ manibus, hunc comedite; qui mores vestros componet, vitam diriget, carnis incendia ac concupiscentiam restinguet. Nec amarum eum fore putetis: *Erit enim in ore vestro super mel dulcis*. Quid dulcius vino? Ecce *vinum in* Crucis *torculari* calcatum, Christus (*c*). Quid butyro & melle suavius? Ecce hic in Cruce exprimitur, *qui butyrum, & mel* tantùm *comêdit* (*d*), ut suavitatis suæ atque dulcedinis, ex ipsis etiam hisce cibis, nobis multitudinem aperiret. Sed quidnam tamdem liber continet? Ostende nobis, obsecro, Propheta Librum atque describe, ut demum *gustemus, & videamus, quàm suavis sit Dominus* (*e*).

Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me. Ecce liber, quem priùs Isaias viderat obsignatum & clausum; jam est apertus & expansus. Quid ni expansus, qui brachiis extensis, ante oculos nostros est positus? qui in medio terræ, in alti montis cacumine, in conspicuo est omnibus transeuntibus? Hic ergo est Liber, *qui scriptus est intus, & foris*. Neque verò hìc ego jam quæ intus, quæ itidem foris peculiariter scripta sunt, vobis expono; hoc enim in sequentem Sermonem differendum existimo. Sit satis, quòd totus est scriptus, quia *totus desiderabilis* (*f*), totus salutaris, totus

(*a*) *Lucæ XV. v. 16.*
(*b*) *Psalm. XVI. v. 15.*
(*c*) *Isaiæ XVI. v. 10., & Thren. I. v. 15.*
(*d*) *Isaiæ VII. v. 15.*
(*e*) *Psalm. XXXIII. v. 9.*
(*f*) *Cant. Cantic. V. v. 16.*

tus doctrina, totus docens, omnem continens scientiam. O *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine* (*a*) in Libro hoc est abscondita! Quidquid ad bene beateque vivendum exigitur, hìc reperitur descriptum. Huc omnia Christianæ Doctrinæ capita referuntur, huc omnia Apostolici Symboli dogmata; nam hìc dignoscitur ille fuisse Creator, qui ejus, quem creaverat, fuit Redemptor: Quæ autem in Symbolo expressa ad Christum pertinent, quis non videt, in ipso hìc adimpleri? Quæ demum ad Spiritum Sanctum, & ejus Sponsam Ecclesiam spectant, hujus Passionis sunt fructus & effectus: Sacramenta, sunt media eam nobis applicandi: Decalogi præcepta, sunt debita obedientiæ & gratiarum officia pro tanto munere Passionis: Spes omnis & oratio nostra in hac una firmatur: Hæc denique Crux, totius est Catechismi breve compendium, fuitque tota Pauli prædicatio; inquit enim: *Prædicamus Christum Crucifixum: Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam* (*b*).

Erat Paulus *scientiâ non imperitus*, ùt de se ipso testatur (*c*); sed quod multò majus est, raptus fuerat in tertium Cœlum, ibique viderat & didicerat *arcana* mysteria, *quæ non licet homini loqui* (*d*): Et tamen hoc unum se tantùm scire profitebatur, nempe *Jesum Christum, & hunc Crucifixum*. O supereminentem scientiæ hujus magnitudinem! O præstantissimum Librum! Quis jam comparandæ scientiæ cupidus hunc semper non legat, cùm omnibus hominum generibus sit adeo accommodatus? In hoc rudes & simplices, quod legant inveniunt; in hoc provectiores in literis, quod profundiùs scrutentur habent; in hoc etiam qui sapientissimi sunt, tam abdita mysteria reperient, quæ nec poterunt intelligere. *Lignum* est *vitæ*, ramos habens depressos & imos & altos, ex quibus & pusilli & proceri ac altiores colligere possint fructus, quos singulis mensibus (*e*), hoc est omni tempore, jucundissimos profert; *Aqua* est Siloë, quæ quibusdam *usque ad talos*, aliis *usque ad genua* pervenit, nonnumquam verò adeo exundat, ut a nemine *pertransiri possit* (*f*).

Verùm in Libro hoc, dilectissimi, scriptæ sunt *lamentationes, & carmen, & væ*. Quis enim Christum altissimis vocibus non audiat,

(*a*) *Psalm. XXX. v.* 20.
(*b*) *I. ad Corinth. I. v.* 23.
(*c*) *II. ad Corinth. XI. v.* 6.
(*d*) *Ibidem XII. v.* 4.
(*e*) *Apocalyps. XXII. v.* 2.
(*f*) *Ezech. XLVII. v.* 3. *& seqq.*



audiat, inde ingratitudinem noſtram nobis exprobrantem, ac querula voce clamantem: Huc me, miſerrimi, peccatis veſtris adegiſtis: & tamen tam parva a vobis expoſco, nempe ut me in memoriam reducatis; & conſequi minimè poſſum! Sunt etiam *lamentationum* cauſæ ampliſſimæ nobis propoſitæ, ut Dei Filio compatiamur, & horreamus ſcelera noſtra. Scripta ſunt *carmina*, quia omnis noſtra exultatio, & gaudium omne a Chriſti Domini Cruce pendet, & in ea tantùm nobis eſt gloriandum. Sed poſtremò ſunt *væ* illic deſcripta, ſcilicet: Væ vobis, Chriſtiani, ſi tam vehementes ſtimulos non ſenſeritis! Væ, ſi adeò duri fueritis, ut Agni immaculati ſanguine non confringamini! Væ, ſi veſtrâ culpâ tantus ſanguis inutiliter effuſus fuerit! Væ, ſi medicina hac tam ſalutari morbos veſtros non depuleritis! Væ denique vobis, ſi Libro huic diligentiſſimè non ſtudueritis! Caveamus, filii, ne in nos hoc væ dirigatur; ſed curemus, quantum in nobis eſt, *aperire os noſtrum, & comedere volumen iſtud, ut ex eo compleantur viſcera noſtra, & fiat in ore noſtro tamquam mel dulce*. Amen.



HO-

HOMILIA CVI.

IN EVANGELIUM JOANNIS

CAP. XI.

DE LAZARO

Habita in Ecclefia Metropolitana Mediolani

Dominica V. Quadragefimæ

ANNO MDLXXXIV. XVIII. MARTII.



Uo magis, dilectiffimi filii, ad Paffionem, & mortem Crucis Salvator nofter Dominus Jefus accedebat, quam pro totius Mundi falute fubire propofuerat; eò magis omnes homines, ac fuos præfertim Difcipulos difponere fatagebat ad ineffabilia illa mortis fuæ, & refurrectionis credenda myfteria. Ideo hodie grande illud & ftupendum miraculum fufcitati a morte Lazari quatriduani edidit, ad tollendum e Difcipulorum cordibus fcandalum Crucis, & ad fidem adftruendam gloriofæ fuæ Refurrectionis; ut qui Chriftum viderant, tam mirabiliter Lazarum ad vitam revocaffe, non dubitarent, tantæ effe virtutis, ut fe ipfum etiam, quandocumque vellet, poffet a morte ad vitam reducere. Quo etiam egregio facto, in fidem nos adduxit certiffimam, futuræ generalis mortuorum omnium Refurrectionis. Verùm cùm obftinati Judæi, tanto fpectato prodigio ad ejus Fidem converti omnes debuiffent, & manentem in ipfo Divinitatis Majeftatem venerari atque agnofcere, obdurati funt potiùs, & occafionem arripuerunt in Auctorem vitæ, mortem acerbiffimam inferendi. Hac de caufa Sancta Mater Ecclefia, ritu noftro Ambrofiano, iifdem mediis, hoc eft ejufdem facrà Evangelicà hiftorià, quam in Sanctiffimo Miffæ Sacrificio proponit, ad hæc eadem ventura facrofancta myfteria nos præ-

præparare conatur, ut magis penetremus Salvatoris nostri infinitam potentiam, caritatem in nos immensam, ac promptissimam voluntatem, qua properavit ad mortem. Plenum est hodiernum Evangelium plurimis instructionibus ad Christianam vitam ducendam aptissimis; ideo breviter illud considerare aggrediamur.

Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania de Castello Mariæ, & Marthæ sororis ejus. [Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus infirmabatur] (*a*). Describit hic Sanctus Evangelista infirmum Lazarum, incipiens a sorore, ut per hanc illius cum ipsa cognationem dignoscamus. Cùm homines consueverint Majorum nomina Familiis dare, contrarium hic servat Spiritus Sancti Scriba; ut confundatur nempe hominum vanitas, & vestra, o mulieres, ambitio, quà gloriam vestram quæritis a Mundi superbia ac pompis, a splendidis vestibus multaque supellectile, a magna vi pecuniarum, & plurimis copiosisque commerciis. Per hæc cupiunt seculi homines nunc agnosci, & hisce se se titulis jactant. At non sic Magdalena hodie describitur, aut honoratur a dilecto Christi Discipulo, qui Divinæ Sapientiæ fluenta e Dominici pectoris hauserat fontibus; nec per eam tantùm Lazarus manifestatur, sed per hoc potissimùm, quòd *unxerit Dominum unguento, ejusque pedes extersit*. Opera Christiana, filii, pietas in Christum & pedes ejus (hoc est pauperes) eleemosynæ, piæ exercitationes, Ecclesiarum & Xenodochiorum institutiones atque restaurationes; hæc, inquam, esse debent testimonia Christianæ veræque nobilitatis. In his omnis gloria & honor Christifidelium consistit; hæc sunt, quæ Deo placent, & nos illi gratos efficiunt: neque enim æternis solùm præmiis ea remuneratur, sed nec terrenis patitur laudibus defraudari. Unde etiam de hac ipsa Maria Dominus loquens, ejusque pietatem in se miram commendans, cùm Discipulos suos priùs increpasset, qui de ea minus bene sentire videbantur, hoc etiam addidit: *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto Mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam ejus* (*b*).

Miserunt ergo Martha, & Maria *sorores ad Dominum Jesum.* Noverant immensam illius benignitatem & caritatem, qua etiam in earum domo fuerat aliquando versatus; viderant eum sæpius mirabilia operantem: plenæ ergo incredibili fiducia ad eum *mi-*

serunt,

(*a*) *Joann. XI. v. 1. & 2.*

(*b*) *Matth. XXVI. v. 13.*

ferunt, *dicentes* brevi, ſed gravi oratione: *Domine*, *ecce quem amas infirmatur* (*a*). Pulchra quidem oratio, quæ paucis verbis multos & magnos affectus complectitur. In primis eum agnoſcunt *Dominum*, & corde credunt, ac ore confitentur; ſecundò verò ſoli ejuſdem in ſe ipſas amori & caritati innixæ, non de ſuis meritis, ſed de illius benevolentia & dilectione confidunt; humiles quidem, ſed Deo adhærentes, in quo qui ſperant, non confunduntur in æternum (*b*). Pertractant cum Chriſto graviſſimum fratris negotium, ſed perfectiſſima ejuſdem voluntati adhæſione: Fratris tantùm infirmitatem ob oculos ponunt, quaſi dicentes: Domine ſcimus, quia Lazarum amas: hic graviter languet; fac tu, quod tuus in eum ſuggeret amor. Non tempus præſcribunt, non conditiones ullas adjiciunt; ſed ſimpliciter & plene, in Chriſti Domini manibus ſe ſuamque cauſam confidentiſſimè collocant. Hæc vera ac ſolida eſt, filii, orandi ad Dominum methodus; hanc Regius Propheta David, quàm Deo grata eſſet intelligens, in neceſſitatibus ſuis adhibebat, & nos exemplo ſuo eà uti docebat, dicens: *Effundo in conſpectu ejus orationem meam*, & *tribulationem meam ante ipſum pronuncio* (*c*). Permittite, filii, ut ad libitum ſanctiſſimæ voluntatis ſuæ de vobis diſponat Dominus Deus; *effundite* tantùm ante illum *orationem veſtram*; nolite conditiones apponere, aut tempus; *ipſi enim cura eſt de vobis* (*d*); & utinam ita vos ipſum diligeretis, ùt ipſe diligit animas veſtras! Non illos imitemur, qui Divinam iram potiùs provocantes, quàm illius miſericordiam promerentes, pulcherrimè ac ſapientiſſimè a Sanctiſſima Judith verbis illis reprehenſi fuerunt: *Et qui eſtis vos*, *qui tentatis Dominum? Non eſt iſte ſermo*, *qui miſericordiam provocet*, *ſed potius qui iram excitet*, & *furorem accendat*. *Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini*, & *in arbitrium veſtrum*, *diem conſtituiſtis ei* (*e*). O quantum potuit brevis illa Ezechiæ oratio apud Dominum, qua ſimpliciſſimè Deo oſtendit, quæ illi inimicus fuerat comminatus! Miſerat Rex Aſſyriorum Ezechiæ Nuncios, qui dicerent: *Non te ſeducat Deus tuus*, *in quo babes fiduciam: neque dicas: Non tradetur Jeruſalem in manus Regis Aſſyriorum* (*f*), & alia multa in Dei viventis contumeliam ſubjungerent. Verùm, *cùm accepiſſet Ezechias literas de manu Nunciorum*,

(*a*) *Joann. XI. v.* 3.
(*b*) *Pſalm. XXI. v. 6.*
(*c*) *Pſalm. CXLI. v.* 3.
(*d*) *I. Petri V. v.* 7.
(*e*) *Judith VIII. v.* 11. & *ſeqq.*
(*f*) *IV. Regum XIX. v.* 10.

ciorum, & legiſſet eas, aſcendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & oravit in conſpectu ejus dicens: Domine Deus Iſraël, qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus Regum omnium terræ: tu feciſti Cælum & terram. Inclina aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide: audi omnia verba Sennacherib, qui miſit ut exprobraret nobis Deum viventem (*a*). Sic eſt, dilectiſſimi, orandum iis, qui ſe Dei filios eſſe credunt, atque confidunt; ſufficit enim filiis, ut pater neceſſitates eorum videat, quia paterno affectu commotus non poteſt non eis ſubvenire. O præclarum orationum exemplar: *Domine, ecce quem amas infirmatur.*

Audiens autem Jeſus dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Jeſus Martham, & ſororem ejus Mariam, & Lazarum. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus (*b*). Mortuus quidem poſtea eſt Lazarus, ſed non ideo *infirmitas* illa *fuerat ad mortem*; licèt enim moriturus, non tamen in morte erat permanſurus; ſed ùt Dei gloria manifeſtaretur in ipſo. At tacitæ objectioni, quæ a quibuſdam fieri potuiſſet, quomodo ſit reſpondendum, innuit Evangeliſta in ſupradictis verbis: Si enim *ſorores, & Lazarum Dominus diligebat*, cur non ſtatim acceſſit ad Lazarum, ſed duos adhuc dies moratus eſt ibi; cùm amor moræ ſit impatiens, & ſatisfacere ſtatim amans cupiat votis ejus, quem diligit? Utique verò; ſed dilatio iſtiuſmodi Divino Chriſti amori non adverſabatur. Eſt etiam, filii, Divini amoris ſignum, ſi quando petentibus vobis differt poſtulata concedere; nec eò quòd ſtatim non exaudiamini, diffidere debetis, aut ſpem prorſus abjicere; multòque minus opinari, a Deo vos minimè diligi, vel eſſe omnino derelictos. Quiſpiam fortè veſtrûm in perturbatis tribulationum undis eſt quaſi naufragium ſubiturus, mille hinc inde impetitur ærumnarum ſcopulis, laborat, vota in altum & preces ſuſtollens? *Clamet de profundis ad Dominum* (*c*). Cupit iſte ſe quæri, & ſimulat non audire; ſed non dormit, filii. *An, qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat* (*d*)? Verùm multis de cauſis non ſtatim exaudit: Aliquando, ut majora concedat, quàm ea quæ petimus, & gratias uberiores largiatur. Poſtulabant Martha & Maria, ut Lazarum ſanaret; ipſe verò diſtulit,

(*a*) *IV. Regum XIX. v.* 14. *& ſeqq.*
(*b*) *Joann. XI. v.* 4. *& ſeqq.*
(*c*) *Pſalm. CXXIX. v.* 2.
(*d*) *Pſalm. XCIII. v.* 9.

tulit, ut mortuum ad vitam & perfectam sanitatem revocaret; quod longè majus extitit donum. Secundò probat constantiam & Fidem nostram, in oratione perseverantiam, & longanimem in ipso fiduciam, atque in bonis propositis perficiendis studium indefessum. Exercet sic hominem, ac vividiùs accendit ad prolixiùs orandum, simulque ad impedimenta removenda, quibus se posse ambigat, Divinæ gratiæ obstaculum ponere. Est quispiam in necessitate maxima constitutus; orat, & alios, pro se ut orent, obsecrat: nil tamen hæc videntur prodesse. Quid autem ille? Se se intra se colligens, peccata sua diligentissimè recogitat; Confessario ea omnia aperit; addit orationibus eleemosynas, jejunia & hujusmodi pia opera: Hic porro fuit dilationis Divinæ fructus uberrimus. Tertiò demum differt Dominus, ut se totius operis auctorem esse ostendat, ipsique soli gloria tribuatur ac honor. Posset quidem in ipso ægritudinis initio, sanum facere infirmum: Sed patitur illius amor, ut invalescat morbus, deducatur æger usque ad portas mortis, desperent proximi de illius vita, eumdem demum deserant Medici. Siquidem si petitam statim sanitatem largitus fuisset, fortè Medicorum curæ, diligentiæ, atque industriæ eam homines retulissent acceptam: At cùm ex ipsis mortis faucibus ereptum vident Infirmum, fateri coguntur, quia nec Medici, nec hominis opus, sed *mutatio hæc* fuit *dexteræ Excelsi* (*a*).

Cùm multa Dominus Discipulis suis de profectione sua ad Lazarum, & de Lazari morte enunciasset, tamdem *venit: & invênit eum quatuor dies jam in monumento habentem* (*b*). *Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed et nunc scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus* (*c*). Noverat Martha Domini virtutem, quam toties ex operibus admirabilibus manifestissimè perspexerat, & vèl solo ipso Domini aspectu, ac Divinâ præsentiâ viderat mira fieri; ideo, si præsens hic adfuisses, inquit, mors fratrem non corripuisset. Peregimus paulo ante, dilectissimi filii, Sanctissimi Sacramenti Supplicationem, illudque ex more (cùm tertia sit mensis Dominica) publice & solemniter Ecclesiam hanc circumeuntes gestavimus. Hæc ipsa Marthæ verba quantùm vos deberent ad

(*a*) *Psalm. LXXVI. v.* 11.
(*b*) *Joann. XI. v.* 17.
(*c*) *Ibidem v.* 20. *& seqq.*

tanti Sacramenti venerationem, devotionem, ac frequentem ſuſceptionem impellere! *Virtus exibat de Chriſto* (*a*); præſentia illius tantam Marthæ addebat fiduciam: Ecquis dubitet, quin idem hic Dominus Jeſus, in tanto Sacramento re ipſa exiſtens, innumeras etiam gratias largiatur? Si tunc inter homines vivens, cùm adhuc mortalis eſſet ac paſſibilis, in ſervi formam conſtitutus, tam magna operabatur; nunc immortalis, impaſſibilis ac glorioſus, adhuc tamen mirabiliter vobis præſens, & inter vos conſiſtens quid faciet? Quid non concedet adorantibus eum? Accendimini piæ Animæ, ut omni cultu ac religione tantum proſequamini Sacramentum; & experiemini immenſas miſericordias & dona, quæ Deus præſentiâ ſuâ iis, quos diligit, elargitur.

Dicit Marthæ *Jeſus: Reſurget frater tuus*. Conſolatur eam amicè, & maximum ex fratris morte dolorem conceptum lenire conatur. Sed ambigua ſunt hæc Domini verba apud Martham; & de univerſorum reſurrectione illa percipit, dicens: *Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die* (*b*). Confitetur jam Martha Catholicæ Fidei dogma ſingulare ac præcipuum; pergit eam Dominus inſtruere, & in ipſa adſtantes Fidei myſteria docere, ſubdens: *Ego ſum reſurrectio, & vita: qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet: & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc Mundum veniſti* (*c*): His autem verbis Dominus, multòque magis miraculo, quod mox erat editurus, homines in conſiderationem attollit futuræ univerſalis mortuorum omnium reſurrectionis.

Magdalena tunc domi verſabatur; venerant enim ad conſolandum ſorores plurimi Judæorum, cùm illæ inter ipſos eſſent admodum nobiles. *Abiit* ergo Martha, *& vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te* (*d*). Sed numquid tardabit Maria, ad eum, cujus amore flagrabat, accedere? Minimè quidem; ſed *ut audivit* Martham, *ſurgit citò, & venit ad eum: nondum enim venerat Jeſus in Caſtellum: ſed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exiit, ſecuti ſunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi* (*e*). Sed non eò vadit Magdalena. Quò ergo (te obſecro) curris, quò feſti-

(*a*) *Lucæ VI. v.* 19.
(*b*) *Joann. XI. v.* 24.
(*c*) *Ibidem v.* 25. *& ſeqq.*
(*d*) *Ibidem v.* 28.
(*e*) *Ibidem v.* 29. *& ſeqq.*

festinas? Ad eos profectò pedes, apud quos tantam invenisti gratiam; mortua cùm esses revixisti, & apud illosmet pedes Lazaro etiam vitam impetrabis; ad pedes inquam illos, ubi tot munera & consolationes a Dei Filio recipere meruisti; ad pedes illos demum, quos tu lacrymis tuis laveras, & capillis exterseras.

Maria ergo, cùm venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, si fuisses hìc, non esset mortuus frater meus (a). Lugebat Maria, lugebant omnes, qui cum ea accesserant. *Jesus ergo, ùt vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbavit se ipsum, & dixit: Ubi posuistis eum (b)?* O viscera Divinæ bonitatis & misericordiæ! Quàm temerè diligis Domine diligentes te (c)! quàm te movent pœnitentium lacrymæ, ut èt tu collacrymeris! Præbet hìc Dominus Humanitatis suæ maximum testimonium, & manifestè ostendit, se verum hominem esse, iisdemque subditum affectibus, quibus èt nos subjicimur: *Infremuit spiritu*, non propter Lazari mortem, sed propter diram mortis illius causam: *Stipendia enim peccati mors* (d), & *per peccatum mors intravit* in orbem terrarum (e); ideoque ex effectu causam recolens, *infremuit spiritu*, quasi dicere vellet: O homo, qui felix & beatus esse potueras, quàm duræ mortis legi te subdidisti, ob pomi unius esum! *Et turbavit se*, non quòd vinceretur aut duceretur affectibus, cùm eos, quò volebat, ipse dirigeret; & ùt ei placebat, moveret. Habebas tu Domine in manu tua vitam & mortem, eras tu omnium Dominus; luges tamen, ut nos doceas compati aliis fratribus nostris.

Sed ubi relinquimus, filii, pulcherrima illa verba: *Ubi posuistis eum?* Per hæc, dilectissimi, invitamur ad considerand quæ contingunt in animæ morte, cujus Lazari licèt justi & amici Dei mors, est figura. Nostrà pertinet, ad te, Domine, converti & dicere: *Ecce quem amas infirmatur*. Populus hic tuus, quem tot beneficiis muneribus ac gratiis tibi devinxisti, quem a tot periculis & bellis, proximè verò a sæva peste tam benignè eripuisti; hic, inquam, populus *infirmatur;* tot peccatis est infectus, tot pravorum habituum morbo laborat: & *infirmitas hæc est ad mortem*, quia *anima, quæ peccat*, semper *moritur* (f). *Ecce* Domine (dicat quilibet) anima hæc, *quam amas, infirmatur:* Hæc anima tua, quam tu e nihilo eduxisti, quam imagine tua tu decorasti, quam

(a) *Joann. XI. v. 32.*
(b) *Ibidem v. 33. & seq.*
(c) *Proverb. VIII. v. 17.*
(d) *Ad Rom. VI. v. 23.*
(e) *Ibidem V. v. 12.*
(f) *Ezech. XVIII. v. 4. & 20.*

quam adeo nobilem effecisti, ad cujus obsequium creaturas omnes & ipsos Angelos designasti; hæc anima, quæ te traxit e Cœlis in terras, quam sanguine tuo redemisti, quam adeò *amas infirmatur*. Toties emendare polliciti sumus vitam, & mores reformare: Et tamen, licèt in sacratissimo hoc Quadragesimæ tempore versemur, tam multis adhuc peccatis animam irretitam gerimus; imo plurimi adhuc sunt non modò infirmi, sed etiam in peccatis sepulti, fœtentes, & quatriduani. Respondet Dominus: *Ubi posuistis eum?* O miseri, ubi animas vestras posuistis! O superbia, pompæ, vanitates, o crapulæ, tabernæ, deliciæ, *ubi* tot animas *posuistis?* In sinu spiritualium miseriarum & calamitatum, in gravi onere alieni æris restituendi, ac etiam decoctionibus, quæ non tam cœlestium donorum inopiâ, sed temporalium quoque opum extrema egestate, illas reddunt pauperrimas. Hac interrogatione Dominus Adam, post peccatum, compellavit: *Adam, Adam ubi es?* Ego te in Paradiso collocaveram, in gremio gratiæ, in originali innocentia; præfeceram te universis animantibus terræ, piscibus maris, volucribus Cœli (*a*); tot deliciis te affluere feceram: tu verò *ubi* nunc *es?* Quò te præcipitem dedisti? *ubi* te *posuisti?* quò corruisti? in quam calamitatem, inopiam, & servitutem te conjecisti? Factus es a Paradiso exul, præda Dæmonis, morti obnoxius; *in sudore vultus tui vescèris pane tuo* (*b*); laborandum tibi erit continuò ac pugnandum, & in amaritudinibus mille vivendum. Et ubi est peccator? In quàm dira captivitate, in quàm misero statu! Quot funibus & catenis constrictus! quomodo illaqueatus & irretitus! Jam in Lazaro mox audietis.

SECUNDA PARS.

[Dominicâ proxime futurâ in Ecclesia hac Metropolitana erit Indulgentia Plenaria; aderunt Confessarii plures, qui a censuris omnibus & criminibus etiam reservatis vos absolvere poterunt. Nemo tantum donum negligat. Celebrabitur itidem eo die festum Annunciationis Beatissimæ Virginis; & quoniam qui Matrem diligit, etiam Filium amat, & e converso; honorque exhibitus Matri, ipsi etiam Filio exhibetur: Ideo auctoritate Apostolica nobis concessa, eo die in hac eadem Ecclesia ad Altare proximum Sanctissimæ Virginis instituemus Sodalitatem Sanctissimi Rosarii, cum amplissimis donis & indulgentiis. Sunt my-

(*a*) *Genes. I. v.* 28. | (*b*) *Ibidem III. v.* 19.

myſteria Roſarii & Matri communia, & Filio. In hac Eccleſia Metropolitana totius Provinciæ, & Eccleſiarum omnium hujus Civitatis ac Diœceſis Matrice, decet nobiliora omnis pietatis opera, veluti in capite, fulgere. Hortamûr idcirco omnes in Domino, ut in eam Sodalitatem ſeſe curent adſcribi, quò innumeros ſpiritualium gratiarum theſauros conſequi valeant.]

Cùm ergo interrogaſſet Dominus Jeſus: *Ubi poſuiſtis eum? Dicunt ei: veni, & vide* (*a*): præ dolore fortè, non valentes verbis exprimere rei eventum. *Et lacrymatus eſt Jeſus. Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos Cæci nati, facere, ut hic non moreretur? Jeſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum. Erat autem ſpelunca: & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait Jeſus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha ſoror ejus, qui mortuus fuerat: Domine jam fœtet, quatriduanus enim eſt. Dicit ei Jeſus: Nonne dixi tibi quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem: Jeſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi: ut credant quia tu me miſiſti. Hæc cùm dixiſſet, voce magna clamavit: Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata* (*b*). O dilectiſſimi, quàm infelix eſt exitus ſuperbiæ Mundi, honorum, & pompæ! Quàm lacrymabile ſpectaculum nobis objicitur! *Veni, & vide*, o mulier vana; tui iſti colores & fuci, veſtes tuæ, monilia, & innumera ornamenta, contorti crines, carnes mille unguentis delibutæ in qualem deſinant fœditatem! Poſt quatuor tantùm dies ſepulturæ nil ſupereſt, niſi fœtor intolerabilis, niſi ſanies, putredo, vermes. *Dixi*, inquit Job, *putredini: Pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus* (*c*). Illæ deliciæ, crapulæ, convivia ſplendida, commoda omnia, & univerſus voluptatum cumulus, quàm miſerè commutantur! In vermes. O malè dilapſos dies! O tempus fruſtra conſumptum in adeo delicatè nutriendis his carnibus, & tam molliter induendis, fovendis, alendis! Quid totum hoc fuit, niſi pingues & opiparas eſcas vermibus præparare?

Verùm ulteriùs adhuc progrediamur: *Fodiamus parietem* (*d*), & inſpiciamus ſtatum animæ ſepultæ in peccato. Sub petra conſiſtit peccator, in caverna obſcura, ligatus manus & pedes, operto

(*a*) *Joann. XI. v.* 34.
(*b*) *Ibidem v.* 35. *& ſeqq.*
(*c*) *Cap. XVII. v.* 14.
(*d*) *Ezechiel. VIII. v.* 8.

to vultu, fœtens. Hìc denuo exclamare cogimur ad peccata: *Ubi posuistis eum?* Quomodo se se habet Anima in peccato? Non secus profectò ac Lazarus in sepulcro. Depravata consuetudo, & malus habitus est sepulcrum; dura impœnitentia est lapis suprapositus: nolle famam restituere, nolle, quæ furto sunt rapta, aut contra Dei Legem acquisita, reddere, nolle injurias condonare; opus esse nobis, hujusmodi homines, censuris Ecclesiasticis ad Confessionem impellere; ipsos verò hæc differre in annum venturum, procrastinari, tempus aliud commodius velle expectare ad redeundum in Dei gratiam: Hæc sunt lapis durissimus, super os speluncæ & cavernæ positus. Intus verò fœtor intolerabilis, adeò ut prætereuntes omnes mirum in modum offendat: Hic autem fœtor, quid est, nisi perversum exemplum, quo a peccatoribus alii tamquam a peste inficiuntur? Quid, nisi scandalum, quod pusillis & infirmioribus datur? O quantum fœtet peccatoris publici vita in Civitate! Multò magis profectò, quàm si exhumata cadavera in publicis viis jacerent; unde facillimè aëris corrumpendi, & sævissimæ luis excitandæ gravissimum immineret periculum. Fœtet negligens pater in oculis filii, suis illum depravatis moribus ad peccatum erudiens; fœtet licentiosa mater & impudica, filiæ animam exemplis suis enecans; fœtet vana illa mulier, totâ die Civitatem circumiens, & per vicos ac compita incedens, erecto etiam capite & minimè velato, ceteris occasionem præbens detrahendi, & de illius integritate minus rectè sentiendi. O quàm delicata est mulieris, præsertim verò juvenis, fama! Non modò quæ mala sunt, sed etiam mali opinio, & malorum occasiones sunt ab illa maximè evitandæ.

Jacet etiam peccator sic fœtidus, *ligatus manus & pedes*. Perversa consuetudo, captivitas est; miserrima servitus est, malus habitus; durissima catena, mala voluntas. Et opertâ quidem facie, sicut erat èt Lazarus, cujus figura humana & vultus conspici minimè poterat. Sic peccator hominis figuram amittit: Adeò facilè in fœdissima quævis peccata prorumpit, ut nec vivat ùt homo, sed veluti bestiæ effrænatæ, quæ sensus dumtaxat sequuntur; *bibit, quasi aquam, iniquitatem* (a); excutit jugum rationis; miserrimam amplectitur peccandi libertatem, atque de illa se jactat: & tunc se felicissimum putat ac prædicat, cùm nefanda quævis flagitia impunè aggredi potest atque complere; cùm sensibus suis se se prorsus in prædam concedit. Re-

(a) *Job XV. v. 16.*

Redeo ad vos, dilectissimi, & repeto: O peccata, *ubi posuistis eum?* Quis est hic status, in quo se se sponte ac liberè posuit homo? Si quis eum in tam miseram conditionem detrudere voluisset, ægerrimè ferre, obsistere, mortem potius, licèt sævissimam, debuisset oppetere, quàm pati, ut in tantam captivitatem adduceretur, atque in tam dirum carcerem conjectus, tot miseriis cumularetur: Sed heu! quia non aliorum malitia, sed propria voluntas in hæc mala illum dejicit, obruitque: nec tamen de remedio suscipiendo, quod eidem tam abundè proponitur, cogitat; & ne minimum quidem adjicit curæ, ut se se in libertatem vendicet. Non modò ad medicinam non currit, sed veluti phræneticus in Medicum plerumque probra jactat & jurgia, eumque contumeliosè a se repellit; Christi sanguinem vulneribus suis non tantùm minimè admovet, sed etiam spernit pedibusque conculcat. O peccator, o peccator, si corporeis oculis videre posses, in quo statu verseris, quàm longe a te ipso fugeres atque horreres!

Sed audiamus quoque Dei Filium, peccatori dicentem non solùm: aspice, *ubi posuerunt* te peccata tua; sed etiam, in quem me statum adegerunt. *Ubi* ubi, filii, peccata vestra *posuerunt eum?* In Cruce, clavis, spinis, flagellis, in opprobriis, contumeliis, morte, inter iniquissimos & infames latrones. *Servire me fecistis*, clamat, *in iniquitatibus vestris* (*a*). Huc illum peccata nostra adduxerunt.

Tamdem sublato lapide, & gratiis æterno Patri actis pro ingenti miraculo mox edendo, clamat Dominus: *Lazare veni foras. Et statim prodiit* (*b*). Penetrat illa Christi vox viscera terræ, & animam ab inferis, a sepultura corpus, a morte Lazarum revocat ad vitam. O magnam vim vocis Divinæ! Hæc ipsa vox in extremo Judicii die mortuos omnes ad vitam suscitabit, colliget cineres sparsos, ossa omnia in unum adducet, & reviviscere jubebit, animasque corporibus uniet, clamante Angelo: Surgite mortui, & venite ad judicium. Hæc ipsa vox est, quæ animas resurgere facit a morte peccati, quæ major est resurrectio, quàm corporum; longe enim difficiliùs est, illas, quàm hæc, vivificare; cùm magis distet peccatum a gratia, quàm mors a vita. Hæc vox utriusque resurrectionis & spiritualis, & corporalis est causa, quas idemmet Dominus voci suæ

 attri-

(*a*) *Isaiæ XLIII. v.* 24.

(*b*) *Joann. XI. v.* 44.

attribuit dicens: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent* (*a*): Et hoc quidem de ſpirituali morte, & vita dixit. De corporali verò addidit: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei: & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem Judicii* (*b*).

Clamat ergo Jeſus: *Lazare veni foras; & prodiit, qui mortuus erat*. Clamat idem ad te o peccator: Superbe, ambitioſe, avare, luxurioſe, *veni foras*. Relinque malos habitus, abrumpe contractus illicitos, *diſſolve colligationes impietatis* (*c*); reſtitue, quæ juſtè retinere non potes; depone odia & ſimultates, remitte injurias, egredere de luto carnis. Cur in te vox hæc ſuo robore atque effectu fruſtratur? Cur ſurdum te præbes ad Dei tam benignos clamores? Hæc vox, qua in Cruce exclamans Chriſtus Spiritum Patri reddidit; Solem & Lunam tenebris obvolvit; Templi velum diſrupit a ſummo uſque deorſum; petras ſcidit, monumentaque aperuit (*d*): agat, obſecro, ut hæc eadem renoventur, corque peccatoris duriſſimum tamdem emolliatur. *Hodie ſi vocem Domini audieritis*, filii, *nolite obdurare corda veſtra* (*e*): *hodie*, inquit, non cras; non poſt menſem, non poſt annum, non cùm ſenueritis, ſed *hodie*. Confeſtim in hac hora ipſa *vocem Domini audite*. Egredimini de ſpeluncis & cavernis peccatorum; accurrite ad Sacerdotes, qui, auctoritate cœlitus ipſis collatâ, vos peccata veſtra confitentes, ſolvant; funes & catenas, ac duriſſima vincula ex manibus veſtris ac pedibus tollant, ut poſſitis *abire*: Procul, inquam, a ſepulcro, procul a peccatis, in quibus jamdiu nimiùm perſeveraſtis, Divinâ abutentes miſericordiâ, & *theſaurizantes vobis iram in die iræ* (*f*), & vindictæ; ut poſſitis verè pœnitere non fictè, ſeriò non jocosè; atque in perpetuum, non per quatuor aut octo dies poſt Paſcha, liberè *abire*: *Abire*, inquam, ideſt recedere longiſſimè a ſepulcro, & *fugere peccata, quaſi a facie colubri* (*g*). Donet benigniſſimus Deus vobis oculos, ut videatis ubi poſueritis animas veſtras, & ubi peccata veſtra poſuerint Dei Filium: Donet voluntatem & cor, ut, quoniam in veſtra voluntate univerſa ſunt poſita, reſurgere tamdem firmè deliberetis. Amen.

HO-

(*a*) *Joann. V. v.* 25.
(*b*) *Ibidem v.* 28. & 29.
(*c*) *Iſaiæ LVIII. v.* 6.
(*d*) *Matth. XXVII. v.* 51. & 52.
(*e*) *Pſalm. XCIV. v.* 8.
(*f*) *Ad Roman. II. v.* 5.
(*g*) *Eccleſiaſtici XXI. v.* 2.

HOMILIA CVII.

DE PASSIONE DOMINI

Habita in Basilica Majori Mediolani

Feria VI. post Dominicam V. Quadragesimæ

ANNO MDLXXXIV. XXIII. MARTII.



VIDIMUS, dilectissimi filii, feriâ sextâ præteritæ hebdomadæ Librum illum Isaiæ clausum; vidimus itidem illum Ezechielis, scriptum intus, & foris; priùs quidem clausum, postea verò expansum, & tot mysticis doctrinis undique refertum. Quis jam ardentissimo se desiderio commoveri non sentiat inspiciendi, quid in hujusmodi libris contineatur? Jam diximus Librum hunc, esse Dominum nostrum Jesum Christum, & hunc Crucifixum. Similem quemdam Librum (imo èt hunc ipsum) se vidisse testatur Joannes Evangelista in præclarissimo Revelationum suarum Scripto, inquiens: *Et vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus? Et nemo poterat neque in Cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum. Et unus de Senioribus dixit mihi: Ne fleveris: ecce vicit Leo de Tribu Juda, radix David, aperire librum, & solvere septem signacula ejus* (a). Consolemur ergo èt nos, filii, exultemus & gaudeamus, quoniam apertus est Liber & exaratus; soluta signacula illa, quibus tenebatur obsignatus, & nobis *datum est nosse mysteria Regni Dei* (b), & ea videre, quæ multi Reges & Prophetæ summo desiderio videre optaverunt, nec tamen, ut viderent, assequi po-

(a) *Apocalyps. V. v. 1. & seqq.*

(b) *Marci IV. v. 11., & Lucæ VIII. v. 10.*

potuerunt (*a*). Aperuit hunc Librum, solvit signacula, caput nostrum Christus, *Leo* ille fortissimus, sed Agnus quoque innocentissimus & mansuetissimus: Nam etiam adjecit Joannes: *Et vidi: & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio Seniorum, Agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem: qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et venit: & accepit de dextera sedentis in throno librum* (*b*). Hic ergo Agnus, ille est Agnus, quem Joannes ostendens exclamavit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi* (*c*). Hic Librum hunc plenissimè *aperuit*, *solvit ejus signacula*, & scripturas omnes ac prophetias in se uno adimpletas patefecit. Curabimus nos octavo ab hinc die, ferià scilicet sextà in Parasceve, legere prolixiùs Librum hunc: sed consuetudini nostræ & pio Instituto insistentes, aliqua etiam hodie in eodem Libro, foris primùm, dehinc intus, (utràque enim ex parte totus scriptus est) ad animarum nostrarum proventum & instructionem, ac spiritualem consolationem nostram legere studeamus.

Subdit Joannes de Agno loquens: *Et cùm aperuisset librum, quatuor animalia, & vigintiquatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum: & cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni Tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes: & regnabimus super terram. Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & Seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in Cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno: benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum* (*d*). Quantum debemus huic Agno immaculato, nos filii Sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ, qui, Dei nostri munere, fruimur hoc tanto dono & privilegio, quod tam multis concessum minimè fuit; videlicet Libro hoc, quem nobis tam dignanter aperuit! O quàm pretiosa est scriptura, quæ in eo continetur! Audite, quanti facien-

(*a*) *Matth. XIII. v.* 17.
(*b*) *Apocalyps. V. v.* 6. *&* 7.
(*c*) *Joann. I. v.* 29.
(*d*) *Apocalyps. V. v.* 8. *& seqq.*

facienda sit. Papyrus fuit, sacratissima Christi Domini Caro, vulnerata, discissa, cruenta; atramentum, ejus sacratissimus Sanguis; calamus, quo in ea scriptum est, fuere flagella, spinæ, lancea, & præsertim pretiosissimus ille ac dignissimus Clavus, quem veluti thesaurum inæstimabilem hic semper habemus præ oculis, qui manus illas aut pedes sanctissimos pertransiit, ac perforando dilaceravit. O admirabilem Librum!

Scribebat Corinthiis Paulus: *Numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur, & legitur ab omnibus hominibus: manifestati quòd epistola estis Christi ministrata a nobis, & scripta, non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (a), quasi diceret: Vestra illa, o Corinthii, bona conversatio a nobis in vos inducta; præcepta nostra per nos vobis tradita, & diligenter a vobis executioni mandata, vivæ sunt literæ commendatitiæ, expressam fidem facientes nostræ in vos solicitudinis, & paternæ caritatis ac zeli. O dilectissimi, virtutes illæ præclarissimæ, quæ in Christo Crucifixo, Sole splendidiores elucent, quàm vivæ sunt literæ, quàm efficax sunt *epistola*, *scripta* in ejus sacratissimis carnibus, *non atramento*, sed sanguine! Patientia illa immensa, infinitum pelagus dilectionis, divinæ misericordiæ viscera, perseverans & constans obedientia, extrema ac profundissima humilitas, quantum effulgent, extrinsecus etiam dumtaxat, Christi Crucifixi speciem contemplanti! Hæc Crux, hic Christus, vitæ nostræ omniumque actionum nostrarum perfectissimum est exemplar, in quamcumque voluerimus ejus partem oculos conjicere. Quis caput spinis coronatum aspiciens, ambitionem suam ac fastum jam non detestetur, & horreat? Capilli evulsi & cruenti, quàm exosos vobis reddunt, o vanæ mulieres, contortos vestros cincinnos, & adeò excultos crines! Facies sputis & sanguine deformata, alapis & pugnis cæsa, fucos, quibus vultus vestros expolitis & ornatis, quàm manifestè accusat! Heu, quàm horrenda deformitas, sub tali capite spinoso, & sanguinem undequaque effundente, nos, qui membra ejus esse gloriamur, adeo delicatè vivere! Quàm dissentiunt hæc membra, quàm differunt a capite suo! Manus apertæ, quibus omnes homines ad pœnitentiam vocat & invitat, quibus se promptum ostendit quoscumque accedentes ad se com-

(a) *II. ad Corinth. III. v. 1. & seqq.*

complecti, nonne docent, èt nostras manus esse debere ad erogandam eleemosynam faciles, & ad juvandos eos, qui nostrà indigent operà, liberales? Illæ semper in amplexus redeuntium adeo sunt paratæ, ut in eis legere possitis, filii, hæc verba, sanguineis notis conscripta: Currite homines in hos amplexus; quid moram trahitis? Ne differatis: quid pœnitentiam procrastinatis? Cor sacratissimum apertum conspiciens, quì poteris tu, o homo, corde etiam non disrumpi, & injuriarum, quas acceperis, non oblivisci, eosque ex corde toto non diligere, pro quibus tuus, & illorum Pater ac Dominus tantum vulnus in pectore dignatus est recipere & pati? Pedes confixi docent, quantà constantià & perseverantià, salutis nostræ opus consummaverit; tamdiu patiens, ac in Cruce consistens, donec, quod opere compleverat, verbis etiam testaretur, dicens: *Consummatum est* (a). Et in his pedibus, grandioribus notis scriptam legite, filii, perseverantiam, atque in bonis operibus & peccatorum fugà constantiam.

Erit igitur quispiam, qui, vix elapsis Paschalibus Festis diebus, audeat ad scelerum & libidinum vomitum redire? Heu, quàm graviter condemnabunt pedes illi nostram mutabilitatem, atque inconstantiam! Deploranda sane res est, & oculis amarissimè lugentibus magis, quàm linguà, singultibus potiùs exprimenda, quàm vocibus! Erunt quamplures, qui sacrosanctum hunc Jubilæi, & Indulgentiæ Plenariæ thesaurum, Dominicà proximà in Metropolitana hac Ecclesia a Sanctissimo Domino nostro Christi Vicario concessum consequentur: Erunt permulti, qui sequenti Sanctiore Hebdomada, peccata sua deponent, ea sincerè Sacerdotibus confitebuntur, absolutionis munus præstantissimum recipient, ad Sacrosanctam Eucharistiam suscipiendam accedent, orationibus ac piis operibus insistent: Et vix elapso Paschatis octavo die, ne ulla quidem horum omnium memoria eorum mentibus inhærebit; perinde ac si Quadragesima, aut quidquam illorum, quæ diximus, Sacrorum munerum ac Sacramentorum minimè præcessisset. O quàm pretiosus, repeto, filii, Liber hic est! Et quis virtutes omnes in eo ad vivum expressas valeat enumerare? Hoc certè non unius dumtaxat sermonis est opus: toto anno nil aliud esset lingua & corde volvendum; nosque in illis meditandis ac pertractandis versari semper oporteret. Quapropter curabimus, ut exercitationes illæ, quæ ad hoc sunt institu-

(a) *Joann. XIX. v.* 30.

ſtitutæ, ideſt Oratorium Sancti Sepulcri, Sermones de Paſſione Domini, qui feriis ſextis manè & ſerò hìc habentur, in poſterum non modò perficiantur, ſed promoveantur etiam & augeantur.

Quòd ſi etiam virtutum inſignium, in hoc Libro foris ſcriptarum, conſiderationem, lubenter nunc velimus omittere; quales, obſecro, ſcripturæ ſunt, tumentes Chriſti livores, vulnera ſacratiſſima, carnis lacerationes! O eum felicem, qui hæc ſaltem ad literam crebrò legeret, ac in Paſſionis Domini hiſtoria, ad literam etiam meditando verſaretur! Quantum vivificæ ſcientiæ ex hac lectione compararet; quàm multa diſceret, quàm uberem fructum perciperet; modò tamen verè, attentè, & ex corde legeret! Scitis, quomodo legere oporteret? nempe ad ea ita nos affici, legendo, ut, quæ in carne ſua paſſus eſt Dominus, in noſtra ipſi acerbiſſima etiam ſentiremus: ut ſcilicet clavi illi, manus noſtras & pedes perforarent; ut plagæ illæ & vulnera nobis etiam infligerentur; ut nos ipſi flagellaremur; ut ſputis illis deformaremur. Audite Apoſtolum docentem, quomodo ſit legendus hic Liber a foris ſcriptus: *Hoc enim*, ait, *ſentite in vobis, quod èt in Chriſto Jeſu* (*a*). *Hoc*, inquam, filii, *ſentite*, non in uno tantùm aut altero, ſed in omnibus ſenſibus veſtris. Oculos apponite ad diligenter inſpiciendos livores illos ac vulnera: Auribus audite irriſiones illas, contumelias, accuſationes & falſa teſtimonia, opprobria atque convicia, atrociſſimas denique blaſphemias, quibus potiſſimùm Divinæ detrahebatur gloriæ ac majeſtati; quæ profectò Chriſti cor magis ſauciabant, quàm lancea: Olfactu fœtorem illum cadaverum, quæ in Calvariæ loco exiſtebant, ubi crucifixus eſt Dominus, *ſentite*; quod etiam ſuppliciorum veluti condimentum ei additum fuit ſuper innumeros, quos patiebatur dolores: Guſtate fel illud amariſſimum, potiones illas acerbiſſimas mirrhati vini, & aceti: Componite ita membrorum omnium veſtrorum tactum, ut *ſentire* vobis videamini eos ipſos cruciatus, quibus in corpore ſuo Dei Filius dilaniabatur. O beatum illum, qui ſic novit legere hunc Librum! Quàm præclaros inde hauriat neceſſe eſt, ac religioſos affectus! Plerumque enim corde tenerrimè compungitur, dicens: Ego, hunc Deum, qui me ita dilexit, ut vitam meam ſuæ prætulerit, toties ac tam facilè offendere non erubui. Aliquando compaſſionis affectu eidem Domino piè condolet; quandoque in ſpem erigitur

(*a*) *Ad Philippenſ. II. v. 5.*

gitur maximam æternæ consequendæ salutis ac gloriæ, pro qua, veluti firmissimam arrham, pretiosissimum hunc Christi sanguinem recepit. Multoties sancto quodam zelo correptus, in peccati fœditatem tanto odio excandescit, ut a peccatoribus hunc Deum cernens offendi, contabescere animo videatur ac pene mori. Hinc denique innumeri alii sacrosancti ac pii in animo affectus excitantur.

O quàm multa legenda se se offerunt in Libro hoc, etiam antequam recludatur! Sed quoniam Agnus jam solvit signacula septem, nos etiam Librum aperiamus, ac intus legamus. Suavissima & dulcissima signacula, innocentissime Agne, quæ tu solvisti, si tui Passionem spectemus, plurima nobis offerunt perpendenda. Sed quod ad præsens attinet argumentum, annon septem illa fuerunt itinera, quibus omnis tua Passio comprehensa fuit, nempe a Cœna ad Hortum, ab Horto ad Annam, ab Anna ad Caypham, a Caypha ad Pilatum, a Pilato ad Herodem, ab Herode rursus ad Pilatum, & demum a Pilato ad Crucem? Quidquid de tua Passione ac morte fuerat longe antea prædictum, tu opere adimplens, & itineribus hisce perficiens, septem quodammodo solvisti signacula.

Verùm quàm præclarè etiam signacula septem dixerimus, septem illas pretiosissimi sanguinis tui effusiones, nempe quando adhuc Infans Circumcisionis cultro te subdidisti; cùm in Horto *orans prolixiùs, factus est sudor tuus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*a*); cùm flagellis tota nocte percussus fuisti; cùm spinæ effusissimos sanguinis fontes in capite & oculis tuis aperuerunt; cùm manus tibi sunt perforatæ; cùm pedes confixi; cùm denique lanceà latus apertum! Ecce ergo, quàm multis foraminibus, quid in hoc Libro contineatur, sit patefactum. Sunt enim omnes hæ plagæ aperta quædam foramina: Hæc ergo mandat Dominus, ut intremus, si legere velimus. Annon meministis, cùm post Resurrectionem suam, retentis adhuc in corpore suo sacrosanctis vulneribus, Apostolis apparuit Dominus, quid Thomæ inter ceteros dixerit? *Infer*, inquit, *digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum* (*b*). Hoc ergo idem nobis omnibus nunc quoque Dominus dicit, cupiens, ut has plagas ingrediamur, atque quid in eis sit scriptum intrinsecus, legamus. O quàm multa in hisce invenies, Christiane, si in eas manum immiseris! *Mitte*

(*a*) *Luca XXII. v.* 43. & 44. | (*b*) *Joann. XX. v.* 27.

Mitte manum tuam in hasce plagas, & invenies, quid sit anima tua, quàm pretiosa; quanti eam fecerit Dominus, qui illam jam perditam *non corruptibilibus auro, vel argento* (*a*), sed universo sanguine, qui per sacratissimas venas defluebat, redemit: *Et vide*, quàm sit indignum, sordidissimo pretio tam magnum thesaurum a te venundari; *pugillo hordei, & fragmine panis* (*b*), hoc est vilissima carnis voluptate, animam tuam Dæmonibus tradere! Postquam (inquit Augustinus Doctor sanctissimus) intellexi, me pretioso Christi sanguine esse redemptum, nolui me amplius exhibere venalem.

Mitte, Christiane, *manum tuam in* hoc *latus*, & videbis, quàm Deo displiceant carnis petulantia, cupiditates, vanitates, superbia, impudicitiæ; cùm his curandis morbis, tam amaram validamque comperias a Deo fuisse adhibitam medicinam. *Mitte manus tuas in hoc latus*, & virtutis pulchritudinem agnosces; pro qua, ut eam tibi compararet Dei Filius, optimus rerum æstimator, quidquid habuit, profudit; *dedit* enim *semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (*c*); & ùt alibi Apostolus scribit: *Tradidit semetipsum pro Ecclesia, ut exhiberet eam sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam* (*d*). Ideo in Cruce positus tam vehementem passus est sitim, ardens nempe illius virtutis desiderium, quam in corde tuo figi cupiebat.

Mitte manum tuam in latus hoc, o Christiane, & intelliges, quàm horrendum ac turpe in oculis Dei sit peccatum, cùm illud ipsomet suo sanguine abolere voluerit: Et tu, *quasi aquam bibis iniquitatem* (*e*); nec minus facilè ac promptè peccas, quàm si ad delicias properares. O monstrum fœdissimum, peccatum! Tu Diabolis ipsis peccantes animas reddis deformiores: illi propter peccatum in eam quam gerunt turpitudinem deciderunt; tu verò peccando, inexcusabilior iisdem efficeris. Illorum princeps Lucifer, cùm neminem ante se ob commissam culpam vidisset punitum, nullius territus pœnâ peccavit; nec pro ipso Deus mortem oppetiit: At tu, cùm debuisses ferali tam multorum exemplo edoceri, & aliorum periculis cautior reddi; cùm pro te sit mortuus Cœli & terræ Dominus, peccare tamen audes, & non erubescis.

(*a*) *I. Petri I. v.* 18.
(*b*) *Ezechiel. XIII. v.* 19.
(*c*) *Ad Titum II. v.* 14.
(*d*) *Ad Ephes. V. v.* 25. & 27.
(*e*) *Job XV. v.* 16.

O summum & solum malum, peccatum; malorum omnium origo, radix, & fundamentum; per quod mors ipsa, & mala omnia sunt in Mundum invecta; sine quo nihil est mali, cum quo nihil est boni; maledicta rubigo, aurum omne virtutum consumens! Quando autem nil aliud ad excitandum odium peccati excogitari a nobis aut dici posset, hoc certè maximum illius horrorem omnibus ingerere deberet, quòd nempe fuerit Deo semper infensum. Intestinum quovis tempore bellum contra Deum habuit peccatum; nec alia ratione (ut cetera omnia prætermittamus) exterminari potuit, quàm Dei Filii morte acerbissima: Si non essent (inquit Sanctus Bernardus) ista ad mortem, & mortem sempiternam, numquam propter illa Dei Filius mortis supplicium subiisset.

Mitte peccator *manum tuam in latus* Sacrosanctum, & vide, quanta sit Divinæ Justitiæ vis atque severitas; quàm atrox tibi pœna immineat, nisi resipueris! Assumpsit Dei Filius super humeros suos peccata hominum; & propter hæc, quæ sua non erant, acerbissimo mulctatus est Crucis supplicio: Quid ergo fiet tibi indignissimo, tamdiu ad pœnitentiam expectato, nec umquam de pœnitentia cogitanti? Insculpta sint cordi tuo, quæ ipsemet Dei Filius hoc considerans, cùm ad mortem traheretur, fidelibus ac piis mulieribus illum sequentibus, & ejus mortem amarè flentibus dixit: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* (a)? Si *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (b) in mortem, an fortè nos peccare numquam cessantes perpetuò tolerabit?

Mitte manum tuam in hoc *latus*, & vide itidem, quàm profunda sit abyssus miserationum Divinarum. Hìc tibi licebit, ipsamet viscera misericordiæ ejus contrectare ac exosculari. Hìc infinitam ejus in te caritatem agnosces; *nemo* enim *majorem hac habuit dilectionem, ut animam suam poneret quis pro amicis suis* (c). At ipse pro inimicis etiam posuit; *cùm* enim *inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus* (d). O incomprehensibilem Divini in nos amoris magnitudinem, & verè ineffabilem, nec aliis verbis faciliùs exprimendam, quàm illis: *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (e)! *Sic*, inquam, ùt Deum ipsum decebat, qui infinitus cùm esset, & nullis posset ter-

(a) *Lucæ XXIII. v.* 31.
(b) *Ad Roman. VIII. v.* 32.
(c) *Joann. XV. v.* 13.
(d) *Ad Roman. V. v.* 10.
(e) *Joann. III. v.* 16.

terminis circumscribi, absque termino quoque homines dilexit.

Hìc, quàm magnus thesaurus sit Divina gratia, intelliges, quæ non alio pretio nobis potuit comparari, quàm ipsius Dei sanguine. Hinc itidem cœlestis gloriæ & æternæ beatitudinis pondus, ac pœnarum Inferni acerbitatem conjicies; cùm ad illam per hunc sanguinem nobis patefactus sit aditus, & ab istis, hoc ipso eodem sanguine fuerimus exempti.

Sed quid plura? Innumera sunt, quæ in sacratissimis Libri hujus paginis scripta continentur. Ex Christi latere bona omnia, munera quævis ad nos profluunt: Hinc Sacramenta, hinc auxilia, hinc gratiæ, hinc gloria. Hoc latus apertum, Cœli januas reseravit, Inferni vires confregit, peccandi facilitatem repressit. Qui in hoc latus sese abdunt, difficiliùs peccant, faciliùs a peccato resurgunt, jucundiùs operantur. Illis virtus est amabilior, illis labor est dulcior, illis demum Christi *jugum suave est*, *& onus ejus leve* (*a*).

Hæc Crux Sacratissima, statera est justissima, numquam fallax, quæ omnium rerum pondus ac pretium exactissimè expendit. Bone Deus, quanta hujusmodi stateræ est in universo terrarum orbe necessitas! Hinc ruina omnis, hinc omnis hominum calamitas, quòd rectè non ponderent; quòd justè res non æstiment; quòd quæ magna sunt, parvì faciant, magnì verò, quæ parva. Hæc statera, o Mercatores, mercium omnium erit æstimatrix justissima; in hac, si libraveritis omnia Mundi lucra, imo totum ipsum Mundum, comperietis, quia longè præponderant Dei honor, Divina voluntas, Animæ vestræ salus. Ponite, o mulieres, in altera stateræ hujus parte vestras omnes delicias ac luxus, pretiosas vestes, annulos, aureos torques, inaures, fucos, cincinnos; ex altera verò Christi sputa, opprobria, nuditatem, sanguinem. O qualis erit ista collatio; quàm grave horum pondus, quàm vana illa omnia ac levissima! Ponite, avari, in parte una omne Mundi aurum argentumque, Regum omnium thesauros atque opulentiam; in alia veras Cœli divitias, thesauros illos, quos *neque fures effodiunt*, *nec ærugo consumit*, *aut tinea demolitur* (*b*). Ponite superbi, in altera lance honores omnes Mundi, fastum, gradus & dignitates; in altera verò Regem gloriæ pauperem, despectum, illusum, con-

(*a*) *Matth. XI. v.* 30.

(*b*) *Ibidem VI. v.* 20.

contumeliis affectum, *leproso* similem factum (*a*), & *cum iniquis reputatum* (*b*), ac veluti omnium sceleſtiſſimum, medium inter inſigniores latrones crucifixum: quid ponderoſius reperietur? O ſtatera, ſtatera facta corporis Chriſti; utinam fias nobis omnibus ſtatera dulciſſima! In te utinam omnia creata & increata, temporalia & æterna, terrena & cœleſtia appendamus! Utinam in te, o ſtatera præſtantiſſima, librentur univerſa peccata ac ſcelera noſtra, & Chriſti cruciatus, dolores, ſpinæ, flagella! Profectò iſtorum pondus excedet, & horum intuitu illa penitus decident atque evaneſcent. Sed ſcio, quomodo ſim voti compos futurus: Si nempe ipſe priùs te uſus fuero, ſi ipſe in primis me judicaverim, ſi tecum peccata mea contulerim, ſi me tibi impoſuerim. Quid enim mihi prodeſſet, quòd tam juſta tu fores ſtatera, ſi te in angulo domûs relinquerem, & te uti negligerem?

Nemo ergo, dilectiſſimi filii, ab hujus ſe ſe ſtateræ uſu, & Libri lectione excuſet; nec dicat quiſpiam: literas neſcio, quomodo ergo legam? aut alter: demiſſa nimiùm ſunt hæc myſteria; ego altioribus inveſtigandis immoror, ac profundiùs immergor. Eſt omnium mentibus accommodatus hic Liber: eſt ſcriptus foris, & intus; foris rudibus, intus provectioribus: Rudibus dictum a Domino: *Videte manus meas*; provectioribus, & ſublimiori ingenio ac ſcientia præſtantibus: *Infer digitum tuum;* & ſi hoc non ſufficit: *Mitte manum tuam*; quòd ſi hoc etiam parvum tibi videtur: ingredere totus ipſe: quò magis enim penetrare cœperis, eò ſe ſe tibi major in dies offeret meditandi campus. Verè (ſi eorum meminiſtis, quæ elapsâ hebdomadâ ex hoc loco diximus) Liber hic Ezechielis eſt aqua, de Altari profluens, de ſacroſancto, inquam, Chriſti latere ſanguis & aqua derivans; quæ aqua quibuſdam quidem *ad talos uſque*, *aliis ad genua*, aliis ad ſtomachum pervenit; ab aliis verò *pertranſiri non poteſt* (*c*). Hic eſt *Lignum vitæ*, ramos habens, & pro rudioribus imos atque demiſſos, & pro doctioribus altos, ac in Cœlum ſublatos. Hujus legendi Libri, & ſublimiſſimæ ſcientiæ capiendæ facilitas ſemper in promptu eſt. Affert enim hoc Lignum non ſemel tantùm in anno, ùt ceteræ arbores, ſed ſingulis menſibus fructus ſuos (*d*). Ad hoc accedant Juſti, & colligant fru-

(*a*) *Iſaiæ LIII. v.* 4.
(*b*) *Ibid. v.* 12., *& Marci XV. v.* 28.
(*c*) *Ezechiel. XLVII. v.* 3. *& ſeqq.*
(*d*) *Apocalypſ. XXII. v.* 2.

fructus consolationis & spei: Accedant peccatores, & percipiant fructus lacrymarum & pœnitentiæ. Crucis hujus sacratissimæ fructus bene valentibus erit valetudinis conservatio, ac morborum omnium antidotum validissimum. Infirmis verò efficacissima adversùs languores omnes medicina. Si te, o ambitiose, serpens superbiæ momorderit; si te, o invide, livoris vipera corroserit; si te, avare, avaritiæ coluber pupugerit; si concupiscentiæ virus, luxuriose, ebiberis; si peccator quivis aliquo peccati cujuspiam veneno infectus extiteris, tolle, tolle oculos in serpentem hunc æneum (a), in immaculatum hunc Agnum, in Christum crucifixum; & a quacumque detineris infirmitate, liber & incolumis redibis. Si nudus es, *induere Dominum Jesum Christum* (b) crucifixum; si pauper es, en tibi *divitias gloriæ, & benignitatis Dei* (c); si angeris siti, en tibi *calicem salutaris* (d); si famem pateris, ecce tibi *panem vitæ* (e); si infirmaris, jam audisti, quomodo convalescas; si es in morte, hic *est resurrectio & vita* (f); si cor durum habes, non ideo huc accedere differas, hic enim te sanguis emolliet; imo si quatriduanus es & fœtens, ac prava peccati consuetudine obstringeris, & ligatus es manus & pedes, ac super caput lapidem habes prægrandem: ne dubites, quoniam hic est, qui Lazaro hujusmodi vitam restituit (g); si vèl petra esses, non homo, hic est, qui *de lapidibus potens est suscitare filios Abrahæ* (h); si demum ex homine *factus sis jumentis similis* (i), imo èt jumentum, hic est, *qui homines, & jumenta salvabit* (k).

Faxit, dilectissimi, Dominus Jesus, ut legendi hujus Libri ardentissimo desiderio æstuemus: Ipsum crebrò scrutemur, & scrutantes discamus, *quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta* (l), ut per eam incedentes, ab eaque numquam deflectentes, felicitatem æternam consequamur. Amen.

HO-

(a) *Numer. XXI. v. 8. & 9.*
(b) *Ad Roman. XIII. v. 14.*
(c) *Ad Ephes. III. v. 16.*
(d) *Psalm. CXV. v. 13.*
(e) *Joann. VI. v. 35. & 48.*
(f) *Ibidem XI. v. 25.*
(g) *Ibidem v. 44.*
(h) *Matth. III. v. 9.*
(i) *Psalm. XLVIII. v. 13.*
(k) *Psalm. XXXV. v. 7.*
(l) *Ad Roman. XII. v. 2.*

HOMILIA CVIII.

HABITA IN TEMPLO MAXIMO MEDIOLANI

Feria VI. in Parasceve

ANNO MDLXXXIV. XXX. MARTII.



EPLORANDA, ac miseratione digniſſima nobis proponitur in Sacris Literis Job patientiſſimi viri rerum viciſſitudo. *Erat hic vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo* (*a*); hic liberis, gregibus, opibus, & amicis plurimùm abundabat, eratque ſanè præ ceteris Magnatibus ſui temporis ſumma felicitate donatus: *Nati ſunt ei ſeptem filii, & tres filiæ.* Erat *poſſeſſio ejus ſeptem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingentæ aſinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientales* (*b*). Verùm quò major fuit illius proſperitas, eò gravior ei repente a Domino permiſſa eſt adverſitas, ac in eorum omnium, quibus tam largè affluebat, extremam eſt redactus inopiam. *Cùm* enim *quadam die filii & filiæ ejus comederent & biberent vinum in domo fratris ſui primogeniti, nuncius venit ad Job, qui diceret: Boves arabant, & aſinæ paſcebantur juxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & evaſi ego ſolus ut nunciarem tibi. Cùmque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit e Cælo, & tactas oves puerosque conſumpſit, & effugi ego ſolus ut nunciarem tibi. Sed èt illo adhuc loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaſerunt camelos, & tulerunt eos, nec non èt pueros percuſſerunt gladio, & ego fugi ſolus ut nunciarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit: Filiis tuis & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit a regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domûs, quæ corruens oppreſſit liberos tuos & mortui ſunt, & effugi ego ſolus, ut nunciarem tibi* (*c*). Sed

(*a*) *Job I. v.* 1. | (*b*) *Ibid. v.* 2. *&* 3. | (*c*) *Ibid. v.* 13. *& ſeqq.*

Sed super hæc omnia *percussus est* èt ipse Job in corpore suo, *ulcere pessimo*, *a planta pedis*, *usque ad verticem ejus*, & in tantam miseriam devênit, ut *sedens in sterquilinio testâ raderet saniem* (*a*), cùm èt ipsa ejus *uxor* illius *halitum horreret* (*b*). Quis hæc legens, aut audiens non commisereatur tam felici homini, in tam infelicem statum redacto? quis non collacrymetur? Sed quid hæc sunt, si cum Christi Salvatoris nostri Dei Filii, qui immensis æternisque divitiis, infinita majestate & gloria in Cœlis fruebatur, extrema postmodum penuria, vilitate, acerbissimis suppliciis, ac morte conferantur? Certè illa cum istis comparari nullatenus possunt; cùm hæc infinita sint, illa finita; hæc incomprehensibilia, illa tolerabilia; hic Deus, ille homo: Ille non suis, sed ab alio acceptis exutus; hic omnium Dominus propriis spoliatus bonis, ac alienissimis a Divinitate sua malis omnibus affectus.

Erat hic, antequam caro fieri pro nobis dignaretur, coæqualis Patri in gloria & coæternus; solæ *in domo ejus* erant veræ *divitiæ & gloria* (*c*); sedebat ad dexteram Patris; *similis erat aspectui lapidis jaspidis, & sardinis: & iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ* (*d*). Millia millium assistebant ei, & decies centena millia ministrabant ei, nec clamare cessabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est*, & dabant ei perpetuò gloriam (*e*). Postquam verò, ob nimiam qua dilexit nos caritatem & dignationem, homo factus est; quantus ad eum tot miracula peragentem fiebat quotidie hominum mulierumque concursus! quàm multi credebant in eum! quàm plures solo nutu, aspectu, aut voce ad suì trahebat sequelam! quanto apud plerosque in honore habebatur, ut non modò Magister vocaretur & Dominus, sed etiam *vellent* eum quandoque *Regem facere* (*f*)! Et ecce hic ipse tantus Rex, & Dominus ac Deus, hodie a Patre, a Discipulis, ab omnibus derelictus, universis bonis, & propriis etiam vestibus spoliatus comprehenditur, ligatur, ad Tribunalia pertrahitur, accusatur, alapis & fustibus cæditur, conspuitur, illuditur, spinis coronatur, sævissimis tunditur flagellis, inter latrones, tamquam latronum scelestissimus, medius crucifigitur, & *a planta pedis*,

(*a*) *Job II. v.* 7. & 8.
(*b*) *Ibidem XIX. v.* 17.
(*c*) *Psalm. CXI. v.* 3.
(*d*) *Apocal. IV. v.* 3.
(*e*) *Ibidem v.* 8. & 9.
(*f*) *Joann. VI. v.* 15.

dis, *usque ad verticem capitis non est in eo sanitas* (*a*); *non est species ei*, *neque decor* (*b*), & *leprosus* totus apparet (*c*); livoribus sanguine, & *sanie* plenus, *in* Crucis *sterquilinio*, inter fœtida cadavera in Monte Calvario clavis confixus. Heu, quantum mutatus ab illo, qui fuerat! Ubi nunc gloria, ubi Regia Majestas, ubi ministrantium millia, ubi turbæ innumeræ sequentes, ubi Discipuli? Nil horum omnium; sed eorum vice opprobria, contumeliæ, supplicia, satellites, latrones, carnifices oculis obversantur. Quid hic dicemus, fratres? Quibus umquam verbis tantam calamitatem deplorabimus? *Audientes amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo: condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Cùmque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in Cælum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem* (*d*). Et nos in Regem gloriæ oculos conjicientes, ipsum-ne agnoscemus? Ubi ejus species, ubi Insignia, ubi Dignitas? Annon veriùs leprosi species illa est; annon latronis potiùs, quàm Dei sedes, Crux illa? Et quî poterimus præ miseratione in ecstasim non rapi, ac non dicam *septem diebus*, sed toto vitæ nostræ tempore præ admiratione non obmutescere? Regina Saba, Salomonis familiam & ministros intuita, ejusque regiam majestatem & amplas opes considerans, *non habebat ultra spiritum* (*e*). Et quis *spiritum habeat*, profundissimam immensi Dei demissionem aspiciens? Multò majori profectò stupore digna res est, Deum ita dejici, quàm hominem etiam totius Mundi dominum in aureo solio sedentem videre. Certè ineffabilia sunt ista mysteria, & quæ nullus hominum, aut Angelorum potis est explicare; sed egregii illius pictoris exemplo, silentii potius velo sunt operienda, & in corde nostro condenda, ut cum Propheta dicat quilibet nostrûm: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*f*): Æquè enim lacrymis nostris delectatur Dominus, ac vocibus. O quales voces sunt lacrymæ, quæ Cœlos penetrant, & ad Divinæ Majestatis aures pertingunt! *Increbuerat consuetudo in Israël, & servata est: ut post anni circulum convenirent in unum filiæ Israël, & plangerent filiam Jephte*

(*a*) *Isaiæ I. v. 6.*
(*b*) *ibidem LIII. v. 2.*
(*c*) *Ibidem v. 4.*
(*d*) *Job II. v. 11. & seqq.*
(*e*) *III. Reg. X. v. 5.*
(*f*) *Isaiæ XXIV. v. 16.*

Jephte Galaadita diebus quatuor (*a*); non tam ejus mortem, quàm virginitatem ac sterilitatem lacrymis prosequentes. Typus hic fuit, plangendi singulis annis ab omnibus Dei filiis, Christianis hominibus, quatuor hisce præsertim diebus (a feria nempe quarta hujus Hebdomadæ, usque ad Pascha) Christi innocentissimi mortem; eò quòd etiam ejusdem mors tam multis sterilis esset futura, qui ob induratum cor eorum, inde salutis fructum capere essent recusaturi. Hoc verò, præcipuo Dei dono, fore in Ecclesia Sancta servandum, Propheta Domini Zacharias prædixit, dicens: *Et effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Et planget terra: familiæ & familiæ seorsum: familiæ domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ domus Levi seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum. Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum* (*b*). Quid enim est universalis hic planctus horum dierum in singulis Christiani terrarum Orbis Provinciis & Regnis, Civitatibus & Oppidis, Religiosorum Virorum & Mulierum conventibus, ac Ecclesiis, nisi *familiæ* hæ omnes *seorsum & seorsum* plangentes, & *aspicientes ad eum, quem* peccatis suis Cruci *confixerunt?*

O Sancta Ecclesia, quid hoc est, cùm Sanctorum Martyrum dies festos tam magnis gaudiis, & tanta cum jucunditate celebrare consuevisti, eos, inquam, dies, quibus occisi sunt, & e vita migrarunt, tum te versiculos lætitiæ & exultationis plenos recitare, *Gloria in excelsis Deo* canere, organa pulsare, parietes ornare, ac te ipsam demum purpureis aureisque vestibus indui? Cur igitur hodie in Sancti Sanctorum morte, quæ vita nostra fuit, unde nobis bona omnia profluxerunt, quæ nos ab exilio solvens, in veram libertatem vindicavit, Deoque reconciliavit; cur, inquam, eorum nil adhibes; sed silent æra campana, organa obmutescunt, nudantur parietes & Altaria; nil nisi mœstum, & horroris ac luctus plenum canitur? Annon potiùs æquum fuerat, Sancta Mater nostra Ecclesia, te profusis gaudiis Omnipotenti Deo immortales pro nobis gratias referre, quos tan-

(*a*) *Judic. XI. v. 39. & 40.*

(*b*) *Zachar. XII. v. 10. & seqq.*

tis donis cumulaverat? Verùm ipſam reſpondentem audite: Gaudent, gaudent hodie Judæi inimici mei, lætantur hodie ſatellites, & carnifices hoſtes mei, quia *hæc eſt hora eorum*, *& poteſtas tenebrarum* (*a*); gaudet Mundus: Ego verò cum filiis meis triſtabor, & *plorans plorabo* per ſingulos hoſce dies, *& lacrymæ meæ in maxillis meis* (*b*), ne perfidis illis & rabidis canibus videar congaudere. Oblectabunt magis Sponſum, & Dominum meum lacrymæ meæ; ipſum enim mihi audio per Prophetam ſuum præcipientem: *Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum* (*c*).

Eſt ergo èt nobis, dilectiſſimi, ſi filii ſumus hujus Matris, ſi Eccleſiæ Dei ſpiritum habemus, hodie amariſſimè lugendum; ſed etiam loquendum eſt nobis, ac cum lacrymis jungendæ voces: Voces quidem doloris & afflictionis; utrumque enim ab animabus noſtris hic ipſe Sponſus *totus deſiderabilis* (*d*), ac eas hodie ſanguine ſuo abluens, requirit, cùm dicit: *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis* (*e*): Cadentes ab oculis ubertim lacrymas vult intueri, auribuſque voces noſtras hodie audire; meas quidem in primis inter vos, cui ex officio incumbit, panem vobis hodie doloris frangere atque dividere.

Sed bone Deus! ſi cor ſaxeum atque duriſſimum gero, quis luctui locus fiet? *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lacrymarum* (*f*)? *A, a, a, Domine mi*, quia *neſcio loqui* (*g*); *quia vir pollutus labiis ego ſum* (*h*): quomodo ergo clamabo? Tu Domine *Jeſu Chriſte*, *lapis angularis* (*i*), petra viva, quæ hodie in deſerto Crucis percuſſa, fluvios dediſti uberrimos aquæ & ſanguinis; tu, inquam, virgâ Crucis tuæ Sacratiſſimæ *percuties* hodie *petram* cordis mei, *& fluent aquæ* lacrymarum (*k*); & tunc cupiam tibi non modò lacrymas dare, ſed etiam profundere ſanguinem; & licèt cor adamante mihi ſit durius, ſanguine tamen tuo copioſiſſimo, Agne immaculate, hodie illud conteres atque comminues. Tu, *qui ſedes ſuper Cherubim, & Seraphim* (*l*), calculum caritatis igne inflammatum, de Crucis Altari tollens, linguam meam purgabis,

(*a*) *Lucæ XXII. v.* 53.
(*b*) *Thren. I. v.* 2.
(*c*) *Jerem. VI. v.* 26.
(*d*) *Cant. Cantic. V. v.* 16.
(*e*) *ibidem II. v.* 14.
(*f*) *Jerem. IX. v.* 1.
(*g*) *Ibidem I. v.* 6.
(*h*) *Iſaiæ VI. v.* 5.
(*i*) *Ad Epheſ. II. v.* 20.
(*k*) *Pſalm. LXXVII. v.* 20.
(*l*) *Daniel. III. v.* 55.

gabis, eloquentem facies atque disertam, & *dabis verbum virtute multa* (*a*). Tuam ergo, Domine mi dulcissime, amor meus, opem imploro; ad tuum auxilium, de sacrosancti sanguinis tui profusione verba facturus, confugio: Tu mihi adsis; tu in me loquere.

Sed, me miserum! quemnam imploro; ad quem confugio? Ubinam es mi Domine? Quò te recepisti? Quis te nobis rapuit? Nusquam sacrum tui vestigium aspicio. O suggestum Doctore tuo ac Domino viduatum; ubi est, qui in te, ex loco isto conspicuo & eminenti docere solebat populum hunc? O Altare venerandum; ubi est Hostia, quæ quotidie in te offerri consueverat pro peccatis populi? O Sacrosanctum Tabernaculum, Thronus Dei, Solium Regale, Reclinatorium Aureum, ferculum non Regis Salomonis, sed Regis Regum Christi; ubi Rex tuus, ubi inhabitator tuus? Nusquam eum video, nil audio. Vacuum existit, quin etiam omnia nuda, luminaria extincta, omnia dolorem spirant, omnia mœsta & squallida Dominum suum deplorant. *Surgam* ergo, *circuibo Civitatem per vicos, & plateas*, per alias Ecclesias & Altaria, Tabernacula & Cathedras: *Quæram quem diligit Anima mea*. Sed *quæsivi eum, & non inveni* (*b*). Ubique Ministros Dei audio ob id lacrymantes, & querentes; eædem ubique resonant voces. O Pater Æterne, Filius quidem tuus est; sed noster quoque, quia a te *nobis datus, nobis natus* (*c*): Indica ergo, obsecro, ubinam sit? Sed tu quoque illum dereliquisti, ipsius quasi oblitus, quemadmodum is moriens non sine maximo mysterio ad Te dixit: *Deus Deus meus, quare me dereliquisti* (*d*)? Vos Angeli Sanctissimi, qui Dei arcana intimiùs, quàm nos, cognoscitis, aperite mihi, obsecro, & ubi sit vita nostra indicate. Ipsi quidem illum vident, sed licèt *Angeli pacis* sint, hodie tamen, sicut a Propheta fuerat prædictum, *amarè flent* (*e*). Descendam ergo, & ad eos me convertam, qui socii, amici, discipuli, conjuncti, & perpetui comites Sponsi hujus nostri in terris fuerunt. O perditissime Juda, quò-nam recessit Magister tuus? Scis tu profectò, quia non te latet, quò-nam ipse recedere consueverit; verùm scis, non mihi sed satellitibus & carnificibus indicaturus; nec a te ejus exitum rescire me posse confi-

(*a*) *Psalm. LXVII. v. 12.*
(*b*) *Cant. Cantic. III. v. 2.*
(*c*) *Isaiæ IX. v. 6.*
(*d*) *Psalm. XXI. v. 2.*
(*e*) *Isaiæ XXXIII. v. 7.*

do, qui jam desperatione adductus, laqueo tibi vitam ademisti. Tu ergo Petre, qui *cum Christo in mortem ire paratus eras* (*a*); qui numquam illum sive in vita, sive in morte statueras derelinquere; indica, obsecro, ubinam sit omne bonum meum? O me miserum! Videte, quid respondeat. *O homo, nescio quid dicis: non sum: non novi eum* (*b*), hocque non semel, sed sæpius etiam cum juramento repetit & affirmat. O Jacobe, & Joannes, qui Christum semper habere medium, & unus ad ejus dexteram, alter verò ad sinistram sedere ambiebatis (*c*); ubi est Dominus vester, vobis etiam tam arcto affinitatis vinculo conjunctus? Vocavi, & nusquam vox. Et tu Thoma, qui ceteros hortabaris dicens: *Eamus èt nos, ut moriamur cum illo* (*d*); quò eum abire permisisti? Nil audio. O Sacrosancti Apostoli omnes, & Discipuli Domini, vos socii, vos amici, vos fratres Christi: Ipse vos spiritualibus, & corporalibus plerumque cibis pavit; vos pupilla fuistis oculorum ejus: Ubi est nunc Magister vester, & Dominus? Ne hìc quidem audio quidquam; *sed omnes relicto eo fugerunt* (*e*). Dilexisti quidem multùm, tu Magdalena, Dominum Jesum, tu sacratissimos illius pedes ex toto corde adamasti; sed supervacaneum esse arbitror, a te quidquam requirere, quam mecum video dolentem, & inter ignitos singultus, ac lacrymas audio dicentem: *Tulerunt Dominum meum: & nescio ubi posuerunt eum* (*f*).

Vadam ergo ad columnam Fidei firmissimam, ad Sanctissimam, inquam, ejus Matrem, quæ amoris & Fidei saltem ac solicitudinis oculos ab eo numquam declinavit: Sed hanc etiam pene exanimem, & dolore confectam aspicio, & vix ab ea audio: *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat* (*g*). Indicavit quidem ille mihi, advenisse jam tempus operis perficiendi, ad quod a Patre fuerat missus, & extremum mihi vale dixit; sed *Anima mea liquefacta est*, *ùt* mihi talia *locutus est*; post verò *quæsivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi* (*h*). Invèni ego custodes rabidissimos & satellites, qui eum comprehenderunt, ligaverunt, flagellarunt: Sed hi percusserunt me, & vulneraverunt me; omnia siquidem Filii mei vulnera, plagæ omnes animam meam pertransierunt; imo *adjuro* ego te, verbi Dei prædicator, *adjuro vos* quotquot ad Filii mei calamitates

(*a*) *Lucæ XXII. v.* 33.
(*b*) *Ibidem v.* 57. *& seqq.*
(*c*) *Matth. XX. v.* 21.
(*d*) *Joann. XI. v.* 16.
(*e*) *Matth. XXVI. v.* 56.
(*f*) *Joann. XX. v.* 13.
(*g*) *Cant. Cantic. V. v.* 6.
(*h*) *Ibidem.*

tates deplorandas huc acceſſiſtis, *ſi inveneritis dilectum meum, ut nunciet is ei quia amore langueo* (*a*), quia jam jam moriar, niſi ipſum invenero, & complexa fuero. Sed qualis eſt dilectus tuus, o intemerata Mater, ut ſi eum invenerimus agnoſcamus? *Dilectus meus* (inquit Maria) *candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Caput ejus aurum optimum* (*b*): vultus ejus, *in quem deſiderant Angeli proſpicere* (*c*); *ſpecioſus formâ præ filiis hominum* (*d*); quo nemo formoſior, nemo pulchrior; *totus deſiderabilis* (*e*); totus amabilis. Quò ergo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Sed *nolite me* (ſubdit) *vocare Noëmi* (*ideſt pulchram*), *ſed vocate me Mara* (*ideſt amaram*), *quia amaritudine valde replevit me Omnipotens* (*f*). Verùm quò declinavit Dilectus tuus? & quæremus eum tecum. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat* (*g*). Sed quid de ipſo poſt ſit factum, nolite a me percunctari, quoniam hodie præ nimio dolore narrare non poſſum.

In horto ergo de Chriſto meo aliquid audiam. Sed tu, o Sacratiſſime Clave, qui ejus manus aut pedes penetraſti, & mortuum quoque diu Cruci confixum detinuiſti, poteris nos plenè de Dilecto noſtro docere. Tu Crux Sacroſancta, ejus pretioſiſſimo ſanguine undique conſperſa, quid de illo ſit factum aperies: *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera; quæ ſola fuiſti digna ſuſtinere Regem Cœlorum, & Dominum:* Tu, inquam, *confige* hodie *carnes meas* (*h*), tu cor meum penetra, & ſanguine hoc copioſiſſimo aſperge; ut Dominum meum gemens & lacrymans quæram, ac tamdem inveniam.

PARS PRIMA.

Abſalom Patris Davidis affectans imperium, religionis prætextu, cùm veniam ab eo obtinuiſſet proficiſcendi in Hebron, ad vota Deo perſolvenda, eòque perveniſſet, univerſum fere populum contra piiſſimum Patrem paulatim concitavit (*i*), immemor paternæ in ipſum pietatis, & dominandi cupiditate excæcatus. Hoc ubi per nuncios David reſcivit, egreſſus ex Jeruſalem,

(*a*) *Cant. Cantic. V. v.* 8.
(*b*) *Ibidem v.* 10. *&* 11.
(*c*) *I. Petr. I. v.* 12.
(*d*) *Pſalm. XLIV. v.* 3.
(*e*) *Cant. Cantic. V. v.* 16.
(*f*) *Ruth I. v.* 20.
(*g*) *Cant. Cantic. VI. v.* 1.
(*h*) *Pſalm. CXVIII. v.* 120.
(*i*) *II. Reg. XV. v.*7. *& ſeqq.*

lem, cum parvo ſervorum comitatu fugam ſtatuit inire: Hujus verò receſsûs cauſa fuit tum timor Abſalonis, tum metus juſtiſſimæ Dei iræ, quam in ſe provocaverat; formidabat enim ille, ne filio ejus, uti inſtrumento, ad proprii peccati pœnam Dominus uteretur. Hoc verò in Davidis fuga, inter cetera multa præclara, erat inſigne, quòd, licèt in maximo vitæ diſcrimine verſaretur, non tamen minus de aliorum, quàm de propria videbatur ſalute ſolicitus: Ideo *dixit Rex ad Sadoc*, qui cum Levitis Arcam fœderis detulerat: *Reporta Arcam Dei in Urbem: ſi invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum. Si autem dixerit mihi: Non places: præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe. Et dixit Rex ad Sadoc: O videns revertere in Civitatem in pace. Ecce ego abſcondar in campeſtribus deſerti, donec veniat ſermo a vobis indicans mihi* (*a*). Hac eadem de cauſa dixit Ethai Gethæo: *Cur venis nobiſcum? revertere, & habita cum Rege. Ego autem vadam, quò iturus ſum. Revertere, & reduc tecum fratres tuos* (*b*). Sic etiam, dum per viam incederent, ſtetit ipſe extremo loco, præmittens alios, quò eſſent a periculo remotiores. Et certè miſerandus erat hujuſmodi Davidis eventus vèl ex hoc potiſſimùm, quòd non ab inimici alicujus, ſed a proprii filii ſui facie fugere compelleretur; quòd talia contra ipſum machinaretur ille, qui naturali jure debuiſſet pro patre vitam ipſam, quam ab eodem acceperat, exponere. Egreſſus ergo Rex, & univerſa domus ejus pedibus, ecce quòd etiam *Vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebat egrediens, & maledicebat, mittebatque lapides contra David, & contra univerſos ſervos Regis David*, dicens: *Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saul: quoniam invaſiſti Regnum pro eo* (*c*). Et cùm procederet David, *Semei per jugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, & mittens lapides adversùs eum, terramque ſpargens* (*d*). Cùm verò Abiſai rei indignitatem, ac viliſſimi illius homuncionis temeritatem ferre non poſſet, Regis Domini ſui honorem zelatus, ſe ſe obtulit ad contumelioſum illum Semei capite detruncandum; quod tamen mitibus iis verbis fieri Rex prohibuit: *Quid mibi & vobis eſt, filii Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei ut malediceret David: Et quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit? Dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini: ſi fortè*

(*a*) *II. Reg. XV. v.* 25. *& ſeqq.*
(*b*) *Ibidem v.* 19. *&* 20.
(*c*) *Ibidem XVI. v.* 5. *& ſeqq.*
(*d*) *Ibidem v.* 13.

si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna (*a*). Quicumque igitur Regem sic fugientem comitabantur, *omnes flebant voce magna, & universus populus transibat: Rex quoque transgrediebatur Torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum* (*b*). *Porrò David ascendebat clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite, sed èt omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans* (*c*). *Venit itaque Rex, & universus populus cum eo lassus, & refocillati sunt ibi* (*d*). Sed quorsum hæc?

Quis non videat, quàm apertè David Jerusalem exiens, Dominum Jesum Dei Filium ex eadem hodie Civitate recedentem significet; Absalom autem sub Religionis titulo patrem prodens, Judam eodem prætextu (quòd nempe indignatus esset ob effusum unguentum, quod venumdari potuisset, & pauperibus tradi (*e*), sed revera avaritiæ & malignitatis stimulis agitatum) Magistrum suum & Patrem Jesum prodentem indicet? Idem verò utrobique transitus torrentis Cedron; idem itineris terminus, mons Olivarum; eadem pro comitibus fuit solicitudo. Annon hæc omnia apertissimè ostendunt, totam illam, quam audistis, Davidis historiam, typum fuisse itineris hujus Domini nostri, quod primo loco, ejusdem Passionem aggredientes Evangelistæ describunt, cùm dicunt: *Egressus itaque Jesus trans torrentem Cedron* (*f*): *Ibat secundùm consuetudinem in montem Olivarum, & sequuti sunt illum Discipuli ejus* (*g*)? Egreditur Jerusalem Dominus propter Judam, filium suum (quis enim filium majoribus afficere potuisset beneficiis, cumulare muneribus, ornare titulis & dignitate, quàm iis, quibus ipse perditissimum hominem Judam affecerat, cumulaverat, ornaverat?) Egreditur itaque, sed non tam propter Judam, quàm ut eat ad subeundam pœnam, quam Divina exigebat Justitia pro atrocissimis peccatis; non quidem suis [*non* enim *peccatum fecerat* (*h*)], sed nostris ab ipso assumptis. Et tamen, licèt pergat ad mortem, & quò vadit ipse sciat, de comitum tamen suorum Discipulorum videtur salute magis anxius, quàm de sua, dum comprehendere ipsum volentibus satellitibus dicit: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire* (*i*); & ad Patrem aliàs: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*

(*a*) *II. Reg. XVI. v.* 10. *& seqq.*
(*b*) *Ibidem XV. v.* 23.
(*c*) *Ibidem v.* 30.
(*d*) *Ibidem XVI. v.* 14.
(*e*) *Matth. XXVI. v.* 9.
(*f*) *Joann. XVIII. v.* 1.
(*g*) *Lucæ XXII. v.* 39.
(*h*) *I. Petri II. v.* 22.
(*i*) *Joann. XVIII. v.* 8.

quam (*a*); & in horto ad ipsos: *Sedete hic*, *donec vadam illuc*, *&* *orem* (*b*); & inter orandum etiam ter (*c*) ad invisendos Discipulos suos rediens. Sed non fugit Christus mortem, ùt David; imo obviam sponte libenterque persecutoribus suis, & inter ipsos Judæ iniquissimo tam multis sibi nominibus obstricto, & ingratissimo illi populo, quem adeo copiosis beneficiis sibi devinxerat, occurrit. Egreditur itaque Dominus trans torrentem Cedron èt ipse, sicut David, pedibus suis, mœstus & dolens, prout postea verbis expressit, inquiens: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*d*); & factus in agonia cœpit pavere & tædere (*e*) & mœstus esse, & sanguineum sudorem emittere. Ipsum verò sequuntur, non ùt Davidem, sexcenti viri bellatores, qui hostiles impetus Regi illatos reprimere valuissent; sed vilissimi Discipuli, virium ac militaris disciplinæ expertes, a quibus ad primum hostium aspectum se probè noverat derelinquendum atque negandum. Semei maledicebat Davidi, & Malchus improperabat Christo, injuriosas manus in Dominum gloriæ ausus injicere. Abisai impudentem hominem interficere volebat, sed a Davide distrahitur; Christi Discipuli tentant satellitibus resistere, imo èt unus ex ipsis Simon Petrus Malcho auriculam amputat (*f*); sed non modò auriculam Dominus impio illi restituit (*g*), verùm èt gravissimis verbis Petrum redarguit, dicens: *Calicem*, *quem dedit mihi Pater*, *non vis ut bibam illum* (*h*)? David contra viam olivæ procedebat in desertum, & Dominus ad montem Oliveti progreditur. Quicumque Davidem sequebantur, flebant, & Regi ipsi collacrymabantur: Tristantur èt Domini Discipuli, sed unà horà non possunt vigilare secum. Refocillatus est David lassus; & in horto Dominus defatigatus, ac præ lassitudine sanguineo manans sudore, Angeli consolatione refocillatur. O stupenda, o admiranda mysteria! O figuram, o mirum mysteriorum ineffabilium, quæ tractanda suscipimus, typum! Sed accedamus ad historiam, obsecro, filii, & universum hoc Domini iter paulatim consideremus.

In primis igitur, unde egreditur, intueamur. Egreditur Dominus e domo, in qua cœnaverat, gratiis de more post cibi sumptionem actis, & hymno dicto; e cœnaculo, inquam, illo, in quo tam multa præclaraque gesserat; in quo Agnum Paschalem

(*a*) *Joann. XVII. v.* 12., *&* *XVIII. v.* 9.
(*b*) *Matth. XXVI. v.* 36.
(*c*) *Marc. XIV. v.* 37. *&* *seqq.*
(*d*) *Ibidem v.* 34.
(*e*) *Ibidem v.* 33.
(*f*) *Lucæ XXII. v.* 50.
(*g*) *Ibidem v.* 51.
(*h*) *Joann. XVIII. v.* 11.

lem comederat, & desideratam cœnam cum Discipulis suis sumpserat, de ea dicens: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* (a); in quo ipse Dei Filius tam profundæ humilitatis exemplum tradiderat, abluens Discipulorum suorum ipsiusque proditoris Judæ sordidissimos pedes, quem & monuerat de subsecutura per ipsum proditione [licèt a ceteris Discipulis hoc expressè intelligi noluisset, ne ipsum fortè morte mulctarent (b)], & tanta demissione a tam horrendo perpetrando facinore dimovere studuerat; in quo admirabile illud nobis amoris pignus reliquerat, Sacratissimum, inquam, Eucharistiæ Sacramentum; in quo tam multa arcana cœlestia Apostolos suos docuerat; in quo demum egregium illud ediderat Testamentum, & adeo districtè caritatis, & fraternæ mutuæque dilectionis præcepta Discipulis suis tradiderat. Ab hoc igitur Cœnaculo, ab apotheca hac præstantissima, in qua tot salutaria pharmaca exemplorum, medicamenta Sacramentorum, & testamenta præceptorum composuerat, reliquerat, tradiderat, Dei Filius, humani generis amantissimus egreditur.

Sed egreditur quoque ex te, o Jerusalem infelicissima Civitas, olim toti Mundo conspicua & formidabilis, olim Provinciarum domina, tam multarum insigniumque Civitatum caput & Regina, olim Deo tam grata & accepta, Templo illo Dei adeo insignis; ex te, inquam, misera atque miserabili egreditur. Quis mihi det lacrymarum torrentem, quibus supremam hanc hodiernam calamitatem tuam defleam; cùm te a Domino desertam aspicio; cùm Deum a te recedentem intueor? Egreditur hodie ex te omnis decor tuus & gloria (c), omnis fortitudo & robur. Relinqueris hodie (arx olim munitissima) in direptionem omnibus hostibus tuis & inimicis, recedente a te omni adjutorio tuo & auxilio; eo, inquam, qui *nisi custodierit Civitatem, frustra vigi-*

(a) *Lucæ XXII. v. 15.*

(b) In hac expositione textûs Evangelici Sanctus Carolus auctorem habuit Sanctum Thomam, in Commentariis ad Cap. XIII. Joannis Lectione V., qui ait: „ Hic oritur quæstio; „ cùm enim Joanni Dominus personam proditoris designasset, dicens: *ille, cui intinctum* „ *panem porrexero*, & dedisset panem intinctum „ Judæ, nimiùm videntur rudes fuisse Discipu- „ li, quòd verbum Domini non intellexerunt. „ Ad quod dicendum est, quòd Dominus ver- „ ba illa dixerat Joanni tantùm, ut non fie- „ ret Proditor manifestus; cujus ratio est, „ quia Petrus ita fervidus erat in amore Chris- „ ti, quòd si pro certo scivisset, Judam fuisse „ Christum traditurum, statim occidisset eum. Ejusdem sententiæ fuit S. Joannes Chrysostomus Homil. LXXI. (seu LXXII. juxta Parisiensem postremam editionem) in Joannem ad illa verba: *Quod facis, fac citiùs;* ubi hæc habet: „ Neque tunc illum (Judam) notum fecit; „ fortè namque illum discerpsissent (Apostoli), „ fortè Petrus occidisset.

(c) *Thren. I. v. 6.*

lant qui custodiunt eam (a). O infelix vinea Domini, *aufertur a te* hodie *sepes (b)*, & patebis in posterum bestiis omnibus; *exterminabit te aper de sylva, & singularis ferus depascetur te (c)*. O lacrymabilis Synagoga! hodie, Deo tuo & Lege, Sacerdotio & prærogativis omnibus, quibus olim gaudebas, spoliata remanes. O deplorandi Judæi, populus olim Dei, gens sancta, pupilla oculorum ejus; *ecce relinquitur vobis hodie domus vestra deserta (d)*, & eritis omnibus, qui sub Sole sunt, hominibus infeliciores: & hoc, quia egreditur e Civitate vestra Messias vester, quem vos non agnovistis, in eam amplius non rediturus, sed a vobis, veluti ferissimis canibus tamquam innocentissimus Agnus, trahendus ad mortem. Infelicissimi cæci, utinam, utinam aperirentur hodie oculi vestri, & videretis, quàm sit malum, a Domino vos derelinqui, & omni bono vos privari! Scio quidem, quia in hoc egressu angebatur non modicum dulcissimi Domini mei animus, sic intra se loquentis: ecce ego *veneram ad oves Israël (e)*, *veneram ad quærendos hos fratres meos (f)*, ad sanandos hosce infirmos, sed *in vacuum laboravi*; frustra, & *vanè fortitudinem meam consumpsi (g)*; nihil illis profuerunt adhibita medicamenta, nihil edita miracula, nihil collata beneficia, nihil prædicata doctrina: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus* ergo *eam (h)*. Conclamatum est, o filii Hebræi, languori vestro ac morbo: Ego Medicus frustra hìc tempus consumo; de salute vestra non est quòd amplius cogitem, quia increvit nimiùm malitia vestra, *restitistis semper Spiritui Sancto (i)*, veritatem odio semper habuistis; hominem, qui vobis vera locutus est, semper estis persecuti (k), mortem mihi deliberastis: quamobrem *in peccato vestro morituri estis (l)*. Ecce convertor ad gentes, a vobis recedo, e Civitate vestra egredior. O infelicissimos illos, e quorum animabus egreditur Christus! Sed quid dico egreditur? dicam potiùs, ejicitur; inde enim solùm egreditur, unde per obstinationem & peccatum ejicitur.

Egressus ergo Jesus *ibat secundùm consuetudinem*. O laudabilem consuetudinem, Christianis omnibus addiscendam! Consueverat Domi-

(a) *Psalm. CXXVI. v.* 1.
(b) *Isaiæ V. v.* 5.
(c) *Psalm. LXXIX. v.* 14.
(d) *Matth. XXIII. v.* 38.
(e) *Ibidem XV. v.* 24.
(f) *Genes. XXXVII. v.* 16.
(g) *Isaiæ XLIX. v.* 4.
(h) *Jerem. LI. v.* 9.
(i) *Act. Apost. VII. v.* 5.
(k) *Joann. VIII. v.* 40.
(l) *Ibidem v.* 21.

Dominus noſter poſt cœnam & cibi ſumptionem, non ad ludos, ad detractiones, ad obſcœnitates, ad otia (ùt hodie aſſolent homines) ſed ad orandum ſecedere: Quamvis autem *ſine intermiſſione*, omnique tempore ſit orandum (*a*); eſſet tamen poſt cibum maximè nobis orandum, pro tanto beneficio a Deo accepto; & cogitandum, quàm multi ſint in Mundo, in Civitate hac pauperes, Dei ſervi, eique gratiſſimi, qui inediâ conſumuntur, qui vix habent, quod comedant: Nos verò miſerrimi peccatores, indigni aquâ quam bibimus, & aëre quem ſpiramus, adeò a Domino abundè reficimur. Et tamen vix tantum beneficium accepimus, ac ſtatim non modò Domini noſtri conſuetudinem non imitamur, ut ad agendas gratias, & ad orandum nos conferamus; ſed plerumque in ipſummet cibi Largitorem, ac in tanti auctorem beneficii, contumeliis erigimur, & variis obſcœnis dictis factiſve delinquimus.

Iſta etiam Domini conſuetudo declarat, qualis debeat eſſe Chriſtianorum cœna: Ita enim nobis paſcendus eſt venter, ut nimio cibo diſtentus ſpiritum ab orando non impediat; ſed parcè & modeſtè corporis eſca ſumenda eſt, ut poſſit etiam oratione & precibus animus paſci. O quàm præclarum Inſtitutum eſt illud, quo gaudetis Mediolanenſes filii, cùm veſpere, horâ noctis ſecundâ, vel circiter, æris campani pulſu (*b*), in memoriam hujus Sanctiſſimæ conſuetudinis Filii Dei, ad orandum invitamini! Certè qui filii Dei probari volunt, & qui ejuſdem eſſe ſpiritùs cum Chriſto deſiderant, muneri ſuo deſunt, ſi Sacroſanctum hoc Inſtitutum aut non proſequuntur, aut deſerunt.

Sed oraturus poſt cœnam ad certum etiam locum Dominus accedens (licèt omni in loco ſit Deus, & ſit ubique adorandus) oſtendit inſuper, quædam eſſe loca orationi aptiora, quàm cetera. Hujuſmodi verò eſſe Chriſtianorum Eccleſias quis dubitet? Sacratiſſima, inquam, hæc Templa, tam multis precibus, & Sacroſanctis cæremoniis ad Dei honorem ab Epiſcopis

(*a*) *I. ad Theſſalon. V. v. 17.*

(*b*) Inter cetera, quæ ad exercendam Populi Mediolanenſis pietatem, paternæ ſolicitudinis ſtudio incenſus Sanctus Carolus Borromeus ſalutariter inſtituit, non poſtremum locum obtinet Oratio nocturna, ab ipſo ita diſpoſita, ut ſingulis diebus poſt primam noctis horam, dato quodam certo æris campani ſigno, Patresfamilias tum in hac Metropoli, tum in Diœceſi, unà cum Domeſticis ſuis domi propriæ ad orandum ſimul convenirent. Extant hujus præclari Inſtituti leges præſcriptæ in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis Parte VII., cum Literis Paſtoralibus a Sancto illo Archiepiſcopo ad Populum ſuum datis anno MDLXXII., necnon brevibus Literis Summi Pontificis Gregorii XIII. eodem anno Romà expeditis, quibus hoc Chriſtianæ pietatis opus ſummopere commendavit, ditavitque donis Indulgentiarum.

usui orationis dedicata: Hæc, dico, Templa, in quibus tam mirabiliter residet Deus, & Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, carne & sanguine suo, innumeris Angelorum ac Beatissimorum Spirituum stipatus agminibus: Hæc Templa, in quibus omnia misericordiam, gratiam, petitionum adimplementum promittunt; in quibus sedet in propitiatorio Deus ipse, ut propitietur; apertis & expansis brachiis in Cruce persistit, ut accedentes amplectatur; manus habet tornatiles, dona sua retinere non valentes, sed rite ac fiducialiter petentibus paratas effundere. Verùm ne mortis quidem suæ tempore, imo horà ipsa instante, a laudabili Instituto Dominus destitit, quin ad orandum, ùt consueverat, proficisceretur. Discite, hinc, filii, cùm adversa vobis accidunt, cùm tribulationibus vehementioribus urgemini, non idcirco esse vobis ab oratione, aut a ceteris piis operibus, ac laudabilibus Institutis recedendum; sed retinenda ea omnia tunc multò tenaciùs, &, quò major est necessitas, eò diligentiùs ad suscipienda remedia esse confugiendum.

Transit per Vallem Cedron (*a*), ad Passionem properans Dominus: Ac quidem non immeritò per vallem; jam enim ad humilitatis extremum festinat; jam pergit se demittere, quò non potuit Divina Majestas magis demitti. O profundissima vallis, Christi mors! Venit quidem e monte in vallem, cùm e Patris dextera descendit in Virginis uterum: Sed quantò adhuc fuit profundior vallis, mors hæc turpissima, Incarnatione Dominica! Nec ad mortem per quamcumque vallem transit, sed per vallem *Cedron*, idest obscuritatum; omnia siquidem in passione hac obscurissima fuere. Obscurum noctis tempus, quo comprehenditur, & ad Tribunalia perducitur; obscurissimi Judæorum animi non minus tunc *in meridie*, quasi in media nocte *palpantes* (*b*); obscurissima passus est Christus, per quæ adeo est obscurata ejus Divinitas, ut Latro non Deus, ut *malefactor* (*c*) non Messias, ut *leprosus* (*d*) & infirmus non medicus, ut *vermis non homo*, ut *opprobrium hominum & abjectio plebis* (*e*), non Rex Israël sit reputatus. Obscurissimo demum tempore est passus, nam, prætorquamquod *ab hora sexta*, *usque ad horam nonam tenebræ factæ sunt in universam terram* (*f*), ea etiam Mundi ætate est mortuus, qua omnes

(*a*) *Joannis XVIII. v. 1.*
(*b*) *Job V. v. 14.*
(*c*) *Joann. XVIII. v. 30.*
(*d*) *Isaiæ LIII. v. 4.*
(*e*) *Psalm. XXI. v. 7.*
(*f*) *Lucæ XXIII. v. 44.*

omnes fere homines profundiſſimis erant errorum & Idololatriæ tenebris immerſi; iiſque prorſus ſimiles, qui nocte quietem capiunt & ſomnum, in tenebris ſuis ac erroribus quieſcebant. Erant in tenebris Ethnici Deum verum non agnoſcentes; erant etiam Judæi Meſſiam verum, tamdiu expectatum & deſideratum crucifigentes; erant eorum Principes & Magiſtri, Scribæ & Phariſæi, *cæci miſerrimi*, *cæcis ducatum præſtantes* (*a*).

Per hanc ergo vallem tranſiit Dominus *trans Torrentem Cedron*, nempe torrentem illum, de quo Propheta ab ipſo edoctus prædixerat: *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput* (*b*). Non ſic velociter ac de repente irrumpit torrens ille velociſſimus, ac pertranſit per vallem, ſicut *tranſierunt* in Dei filium omnes *iræ* Dei & *terrores* illius *conturbaverunt eum* (*c*).

Sequebantur illum Diſcipuli ejus. Sed quales milites, Jeſu dulciſſime, ad ſingulare hoc graviſſimum certamen tecum adducis? Scis, quia ad mortem properas; & non tibi ſocios adjungis, qui te poſſint a morte defendere? Scis, quia ventura eſt omnis turba *cum gladiis*, *& fuſtibus comprehendere te* (*d*); & tam paucos comites deligis, tam debiles & puſillanimes? *Vivit Dominus*, & anima ejus, quia ſi & vilibus, & timidis ſocietas tua ad mortem non denegatur, *ſequar* et ego, omnium hominum viliſſimus & indigniſſimus, *te Domine mi Rex quòcumque ieris* (*e*): *In quocumque loco fueris, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervulus tuus* (*f*).

Ibat ergo Dominus in montem Olivarum. O *Mons pinguis*, *mons coagulatus* (*g*); quanto myſterio, initium daturus Dei Filius operi, in quo ſumma ejus in nos miſericordia eluceſceret, ad te primùm acceſſit! Ecce columba illa a Noë extra arcam miſſa, quæ ad te accedit, Olivæ ramum captura (*h*), & non in ore, ſed in humeris paulo poſt allatura, Crucis, inquam, benedictum & vivificum lignum, per quod agnoſcant omnes, ceſſaſſe jam Diluvii iræ divinæ aquas, clauſas eſſe Cœli cataractas, reconciliatum humano generi Deum.

Tunc *venit Jeſus cum Diſcipulis ſuis in Villam*, *quæ dicitur Gethſemani* (*i*), hoc eſt vallis pinguis, vel olei; eſt quippe orationis

(*a*) *Matth. XV. v.* 14.
(*b*) *Pſalm. CIX. v.* 7.
(*c*) *Pſalm. LXXXVII. v.* 17.
(*d*) *Matth. XXVI. v.* 55.
(*e*) *Ibid. VIII. v.* 19., *& Lucæ IX. v.* 57.
(*f*) *II. Reg. XV. v.* 21.
(*g*) *Pſalm. LXVII. v.* 16.
(*h*) *Geneſ. VIII. v.* 8.
(*i*) *Matth. XXVI. v.* 36.

nis locus, vallis pinguedinis: Sed nec minus Christi in Passione humilitas, nobis est vallis pinguedinis; his siquidem duobus, veluti pinguissimo adipe, impinguatæ sunt fidelium animæ. Erant circa torrentem hunc, quem pertransierat Dominus, loca amœnissima, deliciis plena, viridariis & hortis consita, irrigante ea torrente Cedron. Sed jam ex quo ad hortum hunc pervenimus, *veniat*, obsecro, *dilectus meus*, Dominus Jesus, *in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum* (a). Ingredere Domine, ut bibas vinum, quod *vinea, quam plantavit dextera tua* (b), est tibi reddĭtura, ut *comedas fructus pomorum tuorum*, nempe hominum, quos tu in Paradisi horto plantaveras. Verùm te potiùs, o Anima, ad ingressum hunc Dominus & Sponsus tuus invitat. *Veni in hortum meum soror mea Sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi* (c) vos etiam de fructibus, & vino hujus horti. Conjungere in ingressu hoc, o Anima, Christo tuo, si eum amas; in tempore hoc tribulationis noli illum deserere; ne terrearis: Scio quia delicias quæris; sed hortus est, ex quo colliges inde fructus, tu quidem dulcissimos, sed amarissimos Sponsus tuus Jesus. Vide Domini tui delicias, vide solatia in afflictionibus suis. Ingredere, ingredere; adhuc non est derelictus a Discipulis suis; adhuc illum sequuntur in hortum; vident quæ illic a Domino fiunt; *pusillum* enim *distat ab illis orans* (d). Vide èt tu, quid pro te agat. Adhuc Judas cum cohortibus non accessit, qui te in fugam conjiciat. Si Christi es Sponsa, Sponsum tuum sequere, non in hortum tantùm ingredientem, sed etiam ad Crucem postea progressurum; ut jure possis sequi etiam resurgentem, & in Cœlos ascendentem. Laborabis, fateor, & defatigaberis in itinere; verùm refocillaberis etiam, & pascèris; iniquum est enim, ut qui non laboravit, manducet; sed si permanseris cum illo in tribulationibus & Cruce, assumèris etiam ab ipso ad æternæ gloriæ præmia (e).

Ingrediamur ergo pariter omnes hortum. O quàm meritò tantum hoc mysterium a te, Domine Jesu, est in horto inchoandum! In horto olim nostra omnis calamitas ruina & mors

(a) *Cant. Cantic. V. v. 1.*
(b) *Psalm. LXXIX. v. 15. & 16.*
(c) *Cant. Cantic. V. v. 1.*
(d) *Matth. XXVI. v. 39.*
(e) *Lucæ XXII. v. 28. & seqq.*

mors traxit initium, cur non etiam in horto hoc per te incipiat instauratio nostra & vita? In illo stultissima Adæ inobedientia justissimam in omnes ejus posteros iram Dei concitavit; in hoc summa tua obedientia eumdem nobis Deum reconciliabit: Ibi Angelus malus Protoparentes seduxit; hìc te Angelus bonus confortabit: In illo Evæ suadenti Adam, peccando, consensit; hìc carni tuæ, mortem detrectanti Spiritus obedire præcipiet: Illic vetitum fructum Adam comedit; tu hìc de Crucis arbore decretos tibi a Patre comedes fructus: Illic *dentes filiorum obstupuerunt* (*a*); hìc per te noxio stupore solventur: Illic in pœnam Adæ dictum: *In sudore vultus tui vescèris pane tuo* (*b*); hìc in sudore sanguineo vultus tui, nos cœlestis gloriæ pane vescemur. Æquum est ergo, hæc tanta mysteria in horto inchoëntur, ut èt tu Domine Animæ meæ dicere possis, *sub arbore malo suscitavi te: Ibi corrupta est Mater tua, ibi violata est Genitrix tua* (*c*): Ibi Eva *mater tua* te æternæ morti subjecit, ibi natura tua *est corrupta*; in hoc ergo horto consolare jam filia, quia *te suscitaturus* accedo, ac ante omnia ad orationem accurro, quæ cunctarum virtutum est amœnissimus hortus, in quo carpuntur fructus, grati adeo Divinæ Majestati, & animabus suaves, ac iis, qui *percipiunt ea, quæ Dei sunt* (*d*) dulcissimi.

Et cùm pervenisset ad locum dixit Discipulis suis: Sedete hìc, donec vadam illuc, & orem (*e*). Oraturus Dominus, ac orandi nobis præcepta traditurus, non solùm a Civitate recedit, sed a suis etiam Discipulis sejungitur; totum enim orantis animum Deus requirit, nec in turba manentibus loquitur, sed *ducit in solitudine* Jerusalem, *& loquitur ad cor illius* (*f*): quod etiam, cùm nos orandi locum doceret Dei Filius, præcepto expresserat dicens: *Cùm oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum* (*g*). In gravioribus quoque necessitatibus & ærumnis solitudo hæc, aptissimus est orationi locus. Docet insuper Discipulos, ac nos in ipsis, quo clypeo adversùs insurgentium tentationum tela simus armandi, inquiens: *Orate, ut non intretis in tentationem* (*h*): Hac enim vigilantia, & suì custodia facilè deteguntur numquam dormientis Satanæ insidiæ. Hausit hanc a Domino doctrinam Petrus Apostolorum Princeps, qui postea eam nobis inculcavit, admo-

(*a*) *Jerem. XXXI. v.* 29.
(*b*) *Genes. III. v.* 19.
(*c*) *Cant. Cantic. VIII. v.* 5.
(*d*) *I. ad Corinth. II. v.* 14.
(*e*) *Matth. XXVI. v.* 36.
(*f*) *Osee II. v.* 14.
(*g*) *Matth. VI. v.* 6.
(*h*) *Ibidem XXVI. v.* 41.

admonens: *Fratres sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tamquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*a*). Nec verò per hæc Salvatoris verba intelligendum est, oratione tentationes omnes extingui, ita ut orantes numquam Diabolus aggrediatur; quinimo animabus iis maximè insidiatur ille perniciosissimus earumdem hostis & latro, quas spiritualibus donis & gratiis novit esse pleniores: Sed insinuat Dominus, tentationes irruentes hac una orationis arte cognosci, detegi, repelli. Tentamur quidem omnes; sed si oraverimus, facillimum erit, de tentationibus victoriam reportare.

Non solùm autem sejungitur a Discipulis suis, sed ceteris relictis, maximo mysterio tres secum assumit, Petrum, scilicet, Jacobum, & Joannem (*b*); ut qui Divinitatis suæ in transfiguratione testes exiterant, essent etiam infirmitatis humanæ, pro nobis assumptæ; tum etiam quia hi plus aliis communiti forent, ad scandalum de Crucis ignominia fugiendum, cùm, quem visuri erant hominem infirmum & passibilem, jam prius vidissent Deum gloriosum, & in majestate fulgentem. Hos etiam in suscitatione mortuæ puellæ (*c*) hac eadem de causa testes adhibuerat. Sed o Discipuli, quàm dispar inspecturi estis hodie in horto spectaculum ab eo, quod vidistis in monte! Ibi eum vestibus candidis indutum, facie splendente, ùt Sol, conspexistis, cum Moyse & Elia loquentem; ibi Patris vocem audistis, de illius Divinitate testimonium perhibentem (*d*): Hic verò videbitis languentem, afflictum, mœstum, in terra prostratum, facie sanguineo sudore conspersa ac deformata, a satellitibus comprehensum, ac latronum more vinctum, accusatum, damnatum. O quàm diversa spectacula, quàm dispares aspectus! Vos tamen felices, si cùm hæc videritis, illius, quod Sapiens monuerat, memores eritis, in die scilicet malorum, memoriam esse retinendam bonorum (*e*); si inquam, in hora hujusmodi calamitatum & ignominiarum, majestas illa præterita & gloria vobis in mentem occurrerit. Et tu Petre, qui tum nesciens quid diceres, in monte illo perpetuò permanere desiderabas, tuique pene oblitus, ceteris tabernacula tantùm fieri postulabas; tu, inquam, qui Crucis ipsum nomen semper adeo exhorruisti,

(*a*) *I. Petr. V. v.* 8. & 9.
(*b*) *Matth. XXVI. v.* 37.
(*c*) *Marc. V. v.* 37.
(*d*) *Matth. XVII. v.* 1. & *seqq.*
(*e*) *Eccli. XI. v.* 27.

ruisti, ut Dominum audiens de illa loquentem, reprehendere quodammodo non dubitaveris, dicens: *Absit a te Domine* (a); heu, quàm tibi videbitur durum & asperum, adeò nova & lacrymabilia intueri spectacula! licèt non nova tibi esse debuissent, de quibus toties, multò antea præmonitus fueras. Videbitis fratres, filii Zebedæi, Jacobe & Joannes, quæ sint præludia calicis, quem bibiturus est Christus; quem èt vos bibere posse affirmastis (b). Jam videbitis, aut videre incipietis, qualis Rex sit Christus, quale ipsius Regnum, cùm eum derelictum absque ullo defensore comprehendi videbitis; & agnoscetis, quinam sint, qui ad dexteram Christi suo sint in Regno sessuri.

His ergo præsentibus, *cœpit contristari, pavere, & mœstus esse* (c); siquidem duabus primùm humanæ naturæ infirmitatibus subditur, dolori scilicet, ac timori. *Cœpit* igitur; jam aperta est porta suppliciis omnibus, ut Christi membra confodiant; jam reclusi sunt fontes, per quos torrentes tribulationum atque afflictionum, Christi animam obruant & corpus. *Omnes bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus* (d). Accedite timor, dolor, pavor, tristitia, amaritudines: Ingredimini corpus, cor, animam Christi, & torquere incipite, ac ab eo exigere peccatorum nostrorum pœnam. Tradita vobis facultas est, ut acerbissimè in illum sæviatis: Divinitas se se in supremam spiritus partem recipiens, Humanitatem Christi vobis, & cruciatibus omnibus in direptionem reliquit. Neque quidquam Christi dignitati detrahitur, quòd in se ipso passus sit hos animi motus; quod enim in nobis *passio* dicitur, in ipso Dei Filio *propassio* potiùs est appellandum. Aliter siquidem in ipso extiterunt, quàm in nobis; cùm in nobis frequenter ad illicita ferantur, in ipso verò numquam; in nobis sæpe judicium rationis præveniant, in ipso verò rationis imperio semper obsequerentur; ac demum numquam in ipso ad se pertraherent libertatis arbitrium, prout in nobis efficiunt.

Sed multis de causis tristari voluit, & pavere, ac mœstus esse, quarum aliæ quidem ipsum Redemptorem, aliæ nos respexerunt. Ex parte ipsius, ut primò se verum hominem esse ostenderet, dum eadem, quæ nos patimur, èt ipse pateretur; subinde ut testificaretur, se non quomodolibet pati, sed acerbissimis

(a) *Matth. XVI. v. 22.*
(b) *Ibidem XX. v. 22.*
(c) *Ibidem XXVI. v. 37.*
(d) *Isaiæ LVI. v. 9., & Jerem. XII. v. 9.*

mis doloribus premi; ac demum ut nobis commendatam relinqueret exactiſſimam ſuam erga Patrem obedientiam, & caritatem in homines infinitam. Ex parte verò noſtrùm multa illum ad hoc toleranda adduxere. Quis ſanctiſſimorum Martyrum in ſuſcipienda morte alacritatem videns, imo eos ad mortem, veluti ad nuptias accurrentes inſpiciens; in ſe ipſo verò mortis horrorem ſentiens, illamque plurimùm timens, non deſperaſſet quodammodo illorum ſe poſſe conſequi præmia, quorum non eſſet promptitudinem, & intrepidum animum imitatus? Sed abſtulit deſperandi occaſionem Chriſti timor, & tædium ac dolor in morte; nam ſi Dei Filius timuit, triſtatus eſt, & pavit, nil mirum, ſi hæc eadem nobis contingant. Præterea ſuis illis infirmitatibus, omnes noſtras dulcedine implevit, animos roboravit, vires adjecit. Unde namque Andreas tanti amoris indicio Crucem eſt amplexatus; unde prunæ Laurentio, roſæ videbantur; unde Martyribus mortis nuncio nihil erat jucundius, niſi quia mortem Chriſtus timuerat? Sicuti enim aqua priùs amara, per plures terræ venas diſtillans, non modò amaritudinem deponit, ſed etiam locorum, per quæ tranſit, ſaporem aſſumens dulceſcit; ita pœnæ, tribulationes, mortes, priùs amariſſimæ, per Chriſti corpus tranſeuntes, depoſitâ penes ipſum amaritudine, poſtmodum ceteris dulciores ſunt redditæ. Quàm verò præclarum ac ſalutare hìc Dominus noſter in tribulationibus remedium nos docuit! Triſtatur ipſe, mœſtus eſt, tædio ac pavore conficitur; quo autem confugit? ad orandum: quid remedii adhibet? orationem, ut èt nos eadem incurrentes naufragia, iiſdem agitati procellis & fluctibus, ad eumdem confugiamus portum orationis. O quàm nobis fuit utilis illa Chriſti formido! Adæ in Paradiſo dormienti, tulit Dominus coſtam, ex qua Evam formavit; pro coſta verò, Adæ carnem immiſit (a): Et hodie ſecundus Adam Chriſtus fortitudinis ſuæ nobis tradidit coſtam, pro qua infirmitatis noſtræ carnem ipſe in ſe ſuppoſuit: Itaque ut nos fortes ac robuſtos efficeret, non dedignatus eſt ipſe infirmus ac debilis fieri.

Verùm ſi vultis hoc apertiſſimè videre, ipſum audite dicentem: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. O quanta fuit hæc tua triſtitia, Domine Jeſu; quando ipſa ſe ſola, etſi nulla tibi doloris alterius aut ſupplicii facta fuiſſet acceſſio, ipſa, inquam,

(a) *Geneſ. II. v. 21.*

quam, sola ad mortem tibi infligendam suffecisset! Incipiebat quidem Dominus noster corporeos dolores jam exteriùs ostendere; verùm ne crederemus, interiorem ejus partem esse afflictionum expertem, etiam in ea se angi vehementissimè explicat; & ideo inquit: *tristis est anima mea usque ad mortem: Sustinete hìc, & vigilate mecum* (*a*). Quò tamdem devenisti, o Deus æterne, ut dolores tuos servulis tuis velis aperire, ab ipsis quodammodo emendicans opem atque solamen!

Et ipse avulsus est ab eis (*b*). Dominum meum vis amoris cum Discipulis suis detinebat adstrictum; verùm ingens doloris vehementia eum ab ipsis divellebat, urgebatque ad solitudinem: Veræ siquidem consolationis, & perfectæ orationis studium, amovere cogit licita etiam humana solatia, quæ a dilectissimis sociis expectari potuerant. Sed quia diligit tenerè Dominus suos; ne timeatis Discipuli, quia non nimiùm elongabitur a vobis vestrì amantissimus Magister, & Pater; *progredietur* enim *pusillum*, *quantum jactus est lapidis*, ne multùm a parvulis suis absint materna illius viscera, atque ut vos etiam intueatur; licèt ad orandum separetur a vobis ad tempus. Verùm jam Domini mei cor occupaverat orationis & lacrymarum affectus; quamobrem vix est a suis elongatus, ut statim ad orandum se se convertat.

Et o infinitam Dei demissionem! o humilitatis & doloris excessum! Confundere humana superbia, & disce, quomodo tibi sit orandum, qualiter in oratione corpus componendum, ut interiorem animi contritionem, exterior etiam corporis gestus & figura demonstret. *Positis genibus* (*c*), *procidit* Dei Filius *super terram in faciem suam* (*d*). Heu, quantus dolor illum invaserat, pro quo extra se quodammodo pertractus, debilitatis naturæ viribus, ac corporis nervis, in terram procidit, & longiùs protrahens orationem, veniam inferiori suì parti dedit, ut Patrem rogaret, quòd, si fieri posset, transiret ab eo hora! Inter orandum verò his potissimùm usus est verbis: *Abba Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste* (*e*). Omnia tibi sunt possibilia: *si vis, transfer calicem istum a me: Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* (*f*). Orabat hìc Christi caro a morte abhorrens, nec tamen spiritui repugnans; quippe quæ non absolutè id peteret, sed modò fieri pos-

 set,

(*a*) *Matth. XXVI. v.* 38.
(*b*) *Lucæ XXII. v.* 41.
(*c*) *Ibidem.*
(*d*) *Matth. XXVI. v.* 39.
(*e*) *Ibidem.*
(*f*) *Lucæ XXII. v.* 42.

fet, & Dei voluntati non adverfaretur. Et quanta cum fiducia ab eo petebat, quem ingeminato, in ipfis etiam initiis, Patris nomine nuncupabat? Abba enim idem eft, quod Pater. Attamen tantum abeft mi Domine, ut id, quod tamquam verus homo fecundùm carnem petis, fit tibi concedendum, nempe ut tranfeat a te calix ifte, quin potius fint *in te tranfituræ omnes iræ* Dei, & *terrores* Dei omnes *te conturbaturi* (*a*). Tu fiquidem totius Mundi peccata in corpore tuo portas, & pro omnium hominum culpis es pœnas daturus, ut Divina adversùm nos indignatio in te uno conquiefcat. Hic ergo tuus erit calix, tibi a Cœlefti Patre ab æterno defignatus, quem tu bibes, ut poft te nos etiam calicem hunc per te dulcoratum libenter ebibamus. Factus eft enim, dilectiffimi, Dominus per omnia fimilis nobis, ut ejus infiftamus veftigiis (*b*); quamobrem, licèt quoad carnem, mortem horruerit, fuam tamen voluntatem a divina numquam disjunxit; ideo inquit: *Verumtamen non mea, fed tua voluntas fiat:* Quotiefcumque enim a Domino temporalia petimus, neceffe eft, hac etiam conditione petamus, ut Dei, non noftræ fatisfiat voluntati; omnia noftra ejus moderantes arbitrio, vitam etiam ipfam in ejus beneplacitum millies exponere parati. Sic filia Jephte pro patris victoria, quamvis amaram, mortem tamen oppetiit (*c*). Hìc autem, o benigniffime Domine, cùm te fub conditione pro te ipfo orantem audio, nequeo, quin ejus memor fim orationis, quam poft in Cruce pro me ad Patrem effundes. Sine ulla tunc conditione pro me orabis; abfolutè mihi petes ignofci; nihil tunc adjicies; plus enim me, quàm te vidèris diligere, qui te pro me exponere morti non dubitas: Ideoque hìc pro te orans, ab Angelo tantùm confortaris, illic pro me preces fundens, exaudieris a Domino; hìc oras voce, ibi cum lacrymis; hìc in Horto, illic in Cruce.

Ab hac igitur oratione cùm Dominus furrexiffet, & veniffet ad difcipulos fuos, *invênit eos dormientes* præ triftitia, quam animo conceperant, ob ea, quæ & ab ipfomet Domino futura audierant, & jam adverterant fieri. Increpavit tamen ipfos fimul omnes primùm blandè admodum Dominus, inquiens: cur dormitis? *Non potuiftis unâ hora vigilare mecum* (*d*)? fingillatim verò ad

(*a*) *Pfalm. LXXXVII. v.* 17.
(*b*) *I. Petri II. v.* 21.
(*c*) *Judic. XI. v.* 36.
(*d*) *Matth. XXVI. v.* 40.

ad Petrum ait: *Simon*, *dormis* (*a*)? Tu, inquam, qui plura aliis te facturum pollicitus es; tu, qui aliorum es futurus Dux & Magister, *dormis?* Admonet verò omnes humanissimè: *Vigilate*, *& orate*, *ut non intretis in tentationem* (*b*), quod licèt priùs etiam dixisset, tamen quia ingruentibus tentationum & tribulationum procellis, nullum est magis opportunum remedium atque refugium, id denuo memorat, simul iisdem considerationem ingerens propriæ infirmitatis, dum ait: *Spiritus enim promptus est*, *caro autem infirma* (*c*). Hoc profectò inter cetera a primis parentibus in nos hæreditario jure pervènit, ut licèt alta spiritu appetamus, ad ima tamen frequenter ipsa caro nos detrudat.

Iterum secundò *abiit* Dominus, *& oravit*, *eumdem sermonem*, *dicens* (*d*), quo clariùs & validiùs, quanta ipsius esset cordis afflictio, exprimeretur; & doceremur nos itidem, quanti faciat Dominus in oratione constantiam; hac quippe importunitate mirum in modum delectatur, ac plerumque differt dona largiri, ut sæpiùs & ferventiùs petantur: Quod si longiorem etiam in illis concedendis moram ducat, non minimus tamen in orantem ex ipsa perseverantia fructus redundat.

Rediit adhuc ab oratione ad Discipulos suos Dominus, qui non minus fortè pro illis, quàm pro se, animo angebatur. O mitissime Jesu, tu verus ille es Moyses, populi tui adeò amans, qui Tabernaculum intrabat ad Dominum, & exibat ad populum (*e*); quia filiorum tuorum caritas atque dilectio etiam ab oratione ipsa te cogebat recedere. Sed miseri Discipuli! *Iterum invênit eos dormientes* (*f*). O utinam non multò pejor sæpe in nobis reperiretur somnolentia! *Illorum* enim erant *oculi* concepto præ tristitia *somno gravati*: Nos infelicissimi, Christo pro nobis in agone posito atque solicito, dormîmus, ut ne meditari quidem velimus extremos ejus anhelitus, nec vocem audire; terrenis curis adeo gravati, ut mentem ad tam alta mysteria excogitanda nequeamus attollere. Quòd si illorum tanta fuit confusio, ut, quid responderent Domino, ignorarent; heu, quid nos inexcusabiles arguenti in extremo judicio Domino, ac tot collata munera improperanti, & rationem exposcenti, reponemus?

(*a*) *Marci XIV. v.* 37.
(*b*) *Matth. XXVI. v.* 41.
(*c*) *Ibidem.*
(*d*) *Marci XIV. v.* 39.
(*e*) *Exodi XIX.*
(*f*) *Matth. XXVI. v.* 43.

mus? *Quid respondebo*, ajebat Propheta, *ad arguentem me* (*a*)? Et nos, cùm inquirere cœperit Dominus, quid objiciemus, quid afferemus in medium?

Et relictis illis iterum abiit, & oravit tertiò *eumdem sermonem dicens* (*b*). Non caruit perseverans Domini oratio fructu suo; *Apparuit* enim *illi Angelus de Cœlo, confortans eum* (*c*). Dormiebat sub junipero Propheta Domini Elias, Jezabelis sævitiam fugiens, tristis totus ac dolens, & mori mallens, quàm vivere; cùm ei Angelus Domini apparens, allato pane eumdem confortavit, propositâ itidem ei itineris conficiendi longitudine (*d*). Ecce Elias noster Christus, qui Jezabelem fugit, qui secundùm carnem, ùt audistis, mortem horrebat; sed apparet illi Angelus Domini de Cœlo confortans eum: Et quid quæso proponet, nisi æterni Patris gloriam ex ejus morte proventuram, Scripturarum omnium & prophetiarum adimplementum consecuturum, & totius humani generis consummandam Redemptionem? Forti, inquit Angelus, esto animo, hominum fortissime, Deus de Deo. Quid te hæc prima Passionis terrent præludia? *Grandis adhuc tibi restat via* (*e*). Hicque arbitror ego, proposuisse Angelum quæcumque esset ille passurus: Quæ quidem consolatio non minuit forte Domini mei dolorem; post eam siquidem *factus in agonia, prolixiùs orabat* (*f*). O infinitam Dei dignationem! Ab Angelis, a servis suis & creaturis confortari non dedignatur; nec potuit Angelus tantæ calamitatis Domini sui spectator, hac saltem ratione, Domino suo non subvenire. Sed quantò magis æquum est, compatientibus Angelis, nos Domino compati, propter quos hæc omnia fiunt?

Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (*g*). Quid tibi cum sudore, Domine Jesu? Annon Adæ peccantis hæc fuerat maledictio, ut *in sudore vultus sui vesceretur pane suo* (*h*)? Si tu peccati particeps non fuisti, cur peccati subjaces pœnæ? Ægrotis provocatur sudor ad medelam: Ego, ego infirmus sum, & tu sudore manas; ego febri corripior, & tu bibis medicinam amarissimam; ego in crapulis & ebrietate cor gravavi, & tu pro me dolore ac tristitia compleris; in me perniciosi & corrupti humores abundarunt, & tu sanguinem e venis

(*a*) *Habacuc II. v.* 1.
(*b*) *Marci XIV. v.* 39.
(*c*) *Lucæ XXII. v.* 43.
(*d*) *III. Reg. XIX. v.* 5. *& seqq.*
(*e*) *Ibidem v.* 7.
(*f*) *Lucæ XXII. v.* 43.
(*g*) *Ibidem v.* 44.
(*h*) *Genes. III. v.* 19.

e venis emittis: Sudor hic tuus, Domine Jesu, in me pertranseat. Verùm quo sudoris genere amantissime Deus afficeris? *Guttas* nempe *sanguinis*, & non paucas, sed multas emittis; *factus est* enim *sudor tuus*, *sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*. Fuit hic verus & naturalis Christi sanguis, qui e corpore ejus sacratissimo præ vi doloris est expressus; sed modo supranaturali & admirabili. Jam probe agnovimus, quia in te dolores omnes admittens, universa, quæ solari te poterant, longè abjecisti: Siquidem carere voluisti eo etiam solatio, quo nos in maximis quoque ærumnis constituti, aliquantulum videmur sublevari, cùm gravissimè dolemus; ad cor enim, quod est præcipua nostri corporis pars, totus sanguis, in ejus veluti præsidium & munimen, accurrit: At verò in te, totus hic idem a corde recessit, ut per singulas corporis partes deflueret, adeò ut exangue & veluti inanime tunc in te cor permanserit, doloribus oppressum. Declarasti hìc nobis, quanta caritate esses mortem passurus, cùm hæc tantùm in te potuerit, ut sanguinem etiam sine ferro ex tuis membris eliceret. O Sanctissima Christi caro, cur nunc sanguinem emittis? Nondum adsunt flagella, spinæ, clavi, lancea; nondum seriò agitur, nec ad tormenta est deventum: unde ergo hic sanguis? Sed indicas tu mihi miserrimo peccatori, quanta sit interior Christi cordis afflictio, ex qua, veluti fumus ex igne, sudor hic sanguineùs exundat.

Quis hìc, dilectissimi filii, infinitam illam animæ Christi afflictionem verbis exponat? Objiciebat sibi ipse oculis singula, quæ pro nobis erat passurus supplicia, dolores omnes & dolorum circumstantias, quos etiam tunc tamquam delicatissimo suo corpori jam inflictos sentiebat. Dolebat de scandalo Crucis suæ futuro, de Discipulorum fuga, de Petri negantis perjuriis, de miserrimo Judæ exitu & desperatione. Videbat, quàm gravis esset futura Divina ultio de ingrato Judæorum populo, a quo tam dira patiebatur, super quem, cùm triumphans Civitatem ingrederetur, ita amarè jam fleverat, ad Jerosolymam inquiens: *Quia si cognovisses èt tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi* (*a*). Volvebat quoque animo, quàm infructuosa multis accidere deberet ejus Passio acerbissima; & ideo cum filia Jephte plorabat virginitatem & sterilitatem suam (*b*), eò quod *ipse*, *qui generationem ceteris tribuit*, in plurimis *sterilis* esset permansurus (*c*): Videbat

(*a*) *Lucæ XIX. v.* 42. | (*b*) *Judic. XI. v.* 38. | (*c*) *Isaiæ LXVI. v.* 9.

debat omnia omnium peccata, & singula singulorum, pro quibus, quantum ad se, pretio mortis suæ erat Patri satisfacturus: Pensabat ingratam hominum malitiam, qui ejus sanguine abutentes, æternæ morti se sponte forent addicturi: Ardebat caritate infinita in Deum, & ideo premebant illum innumera scelera, quæ in Deum eramus patraturi, & ideo extremo dolore angebatur. Scio, scio tamdem Domine, quid te sanguinem effundere jusserit. Mea prorsus peccata, mea tuî ingratissima oblivio, Anima mea has guttas expressit sanguinis: *Defectio* hæc *tenuit te pro* nobis *peccatoribus derelinquentibus legem tuam* (*a*), *ideo tabescere te fecit zelus tuus*, *quia obliti sumus* (*b*) dolorum tuorum atque cruciatuum, nos indignissimi filii tui.

Qui ergo fieri poterit, Fratres, ut tantus Christi dolor excidat animis nostris, ut torrens hic sanguinis tam pretiosi in vanum emittatur? O Sacratissima terra horti Gethsemani, agnosce thesaurum hunc infinitum, & ne operias sanguinem illum, sed nobis restitue, quia noster est: Nos illum eduximus. Cur hæc cogitantes nos etiam non disrumpimur, non deficimus, non tabescimus? Cur non liquefiunt animæ nostræ; cur hæ venæ non aperiuntur; cur non undique emittimus sanguinem? Sed lacrymas saltem demus pro sanguine, saltem memores simus & soliciti pro nostra salute, quæ tam solicitum & anxium Dei reddidit Filium; ut quod ille pro nobis, hoc nos pro nobis ipsis faciamus. O quales cogitationes, & quàm ferventes volvebantur in Christi corde, ferro omni acutiores! Noverat ipse solus, quid esset peccatum, qui solus comprehendebat, quis peccato offenderetur. O peccator, si scires et tu, quid sit lethalem culpam contrahere, antequam de illa in animam admittenda consilium caperes, mihi crede, sanguine totus manares. O quàm grave, quàm laboriosum pondus est peccatum, quod non commissum, sed mente tantùm conceptum, sanguineo Dei Filium sudore perfudit! Peccatum ipse non fecit; sed illud solùm meditatur, quod nos patravimus, & sumus patraturi: Et tamen præ oneris gravitate in terram dejectus sanguine diffluit. Age nunc peccator, & noxas tuas veluti festucam levissimam reputa, bibe venenum hoc, ùt aquam, infelicissime cæce: cogniturus, quando non proderit, quid sit peccasse; quàm difficiles fuerint viæ, per quas nunc adeo libenter procurris ad mortem; quàm amara

(*a*) *Psalm. CXVIII. v.* 53. | (*b*) *Ibidem v.* 139.

amara fuerint pocula, quæ nunc ori tuo adeò dulcia videntur. Si sudoris hujus memores fuerimus, vix percipio, quomodo Deum offendere possimus, & a gravissimo hoc pondere nobis sponte imponendo minimè deterreri.

PARS SECUNDA.

In agone positus acerbissimè conflictabatur Dominus Jesus, ac præ dolore ex illius membris guttæ sanguinis decurrebant in terram; Apostoli autem dormiebant. Ergone Discipuli in tam gravibus Præceptoris vestri angustiis somno oppressi jacetis? Absit, Reverendi Sacerdotes, ut feralis hic somnus nos corripiat, in cura animarum tum nostrarum, tum earum, quæ sunt nobis a Domino commissæ; nam *cùm sic dormirent homines, inimicus homo venit, & superseminavit zizania* (*a*). Sed non dormit proditor Judas, non satellites & cohortes, non qui quærunt vitam Christi perdere. Jam satis dormistis: Sufficit. *Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet* (*b*). Horresco, filii, dicere quod actum est postea; vix enim satis perpendere valeo, quid mirari potiùs debeam, Judæ-ne scelus, & obstinatam Judæorum perfidiam, an Domini nostri benignissimam caritatem. In multis quidem clarissimè agnovimus, quòd *oblatus sis* Domine, *quia voluisti* (*c*); Iste autem, quem ad orandum assumpsisti, locus, præ ceteris multis, hoc apertissimè indicat. Potuisses tu profectò, qui *Cœlum & terram fundasti* (*d*), aliò te conferre; sed locum elegisti, quem qui te erat proditurus Judas optimè noverat, quia tu eò frequenter convenire consueveras (*e*).

Et *adhuc loquente* Domino *ecce Judas Iscariotes unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis, & fustibus, missi a Principibus Sacerdotum, & senioribus populi: qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè* (*f*). Erat improborum satellitum Antesignanus Judas, qui, ubi primùm accessit ad Jesum, dixit ei: *Ave Rabbi, & osculatus est eum* (*g*). Sic Joab Amasam osculatus, pugione con-

(*a*) *Matth. XIII. v.* 25.
(*b*) *Ibidem XXVI. v.* 45. *&* 46.
(*c*) *Isaiæ LIII. v.* 7.
(*d*) *Psal. LXXXVIII. v.* 12., *& Psal. CI. v.* 26.
(*e*) *Joann. XVIII. v.* 2.
(*f*) *Matth. XXVI. v.* 47. *&* 48., *& Marci XIV. v.* 43. *&* 44.
(*g*) *Marci ibidem v.* 45.

confodit (*a*). Nec dedignatus eſt Dominus a Juda oſculum accipere, qui èt nunc quoque a tam multis proditur, dum impuro corde non modò eum non verentur oſculari, ſed etiam ſuſcipere audent: Quinimo, ſicut manſuetiſſimus Agnus ad eum, qui gladium præ manibus tenet quo eum mactet, accurrit; ſic ipſe Judæ obviam benigniſſimè proceſſit, dicens: *Amice, ad quid veniſti* (*b*)? O bonitas infinita! Si proditor eſt *amicus*; quonam affectu a te recipietur, qui te ex corde diligit & colit! Neſcit inimici nomen caritatis divinæ abyſſus, nec eos, a quibus proditur, nec carnifices, a quibus vulneratur, vocare novit, niſi amicos, inquiens: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me* (*c*). *Amice* ergo (ait Judæ) *ad quid veniſti?* Apoſtole, tot a me amoris donis affectus, *qui* hodie *mecum intinxiſti manum in paropſide* (*d*), quem Corpore meo & Sanguine nuperrimè pavi, cui ego tanta ſubmiſſione pedes ablui; tu, qui ſocius fuiſti meorum itinerum, adminiſtrator omnium nummorum, qui mihi a fidelibus tradebantur, teſtis meæ vitæ, auditor perpetuus meæ doctrinæ, conſtitutus a me in ſupremo gradu Eccleſiæ Sanctæ, lux Mundi, ſal terræ, coadjutor Filii Dei; qui a me in nullo umquam læſus, ſed ſupra meritum tuum ſemper dilectus & exaltatus fuiſti: majori ideo ſupplicio dignus: *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. Et ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet: abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos in domo Dei ambulavimus cum conſenſu* (*e*).

Amice ergo *ad quid veniſti?* Ad perpetrandum ſcelus, quo nullum turpius a ſeculo excogitatum eſt, aut commiſſum. Tu proditor extitiſti, tu ſuaſor, *tenete;* tu conſultor, *ducite cautè;* tu forſitan etiam in Deum vivum manus injeciſti. Et cur tam cautè duci volebas? Num verebaris, ne, ſi fortè ſatellitum manus effugiſſet, Auctor miſericordiæ & pietatis in te deſæviret, te extremo ſupplicio afficeret, graviſſimè in te animadverteret? Sed unde hoc tibi potuit in mentem venire, qui eum ſemper ad indulgendum adeò promptum agnoveras? Annon, antequam illum proderes, minimè noverat, a te fore prodendum? Nonne, te præſente, hoc ipſe ceteris dixerat? Nonne Petro, aut reli-

(*a*) *II. Reg. XX. v.* 9. & 10.
(*b*) *Matth. XXVI. v.* 50.
(*c*) *Zachar. XIII. v.* 6.
(*d*) *Matth. XXVI. v.* 23.
(*e*) *Pſalm. LIV. v.* 13. & *ſeqq.*

reliquis mandare potuisset, ut te in frusta minutissima lacerarent? Sed alienum fuit semper ab eo opus hoc puniendi (*a*); non plectere venerat, sed parcere; non judicare quemquam, sed absolvere. Ah Juda, *Juda, osculo Filium hominis tradis*, Deum ipsum, Magistrum tuum & indulgentissimum Patrem, quem tot miracula edentem vidisti! Non veritus es, ne, divinâ ulciscente dexterâ, aperiretur illico terra, & te, omnium hominum ingratissime, vivum absorberet? Non cogitas, adhuc pœnitentiæ locum esse? An ignoras, quia in quacumque hora ingemuerit peccator (ait Deus), *omnium iniquitatum non recordabor ampliùs* (*b*)? Quo autem modo vel signo, hoc sacrilegum scelus perpetras? Salutatione *Ave Rabbi; osculo*, signo pacis. Et quæ isthæc tanta audacia atque temeritas, ut perfido tuo ore, divinum Christi os audeas osculari, & impurissimis manibus, latro nequissime, Regem gloriæ contingere?

Cùm verò tanta de Filio hominis virtus exire (*c*) consueverit, quomodo nunc, ejus auctoritate, potestate, ac virtute non diminutâ, ad illius contactum non commoveris, non liquefis, in lacrymas non resolveris? Ignem ipsum caritatis oscularis, & tangis; nec totus consumeris? Adhuc durus & frigidus remanes? Proh inauditam duritiem! Sed utinam hisce etiam temporibus, plures Judæ imitatores, ejusque participes sceleris non existerent! Quid enim est, impuris conscientiis, peccatorum sordibus fœdatos quosdam ad Sacrosanctam Eucharistiam sumendam accedere, nisi Judæ osculum Christo infigere? Annon hi, quem ille adhuc mortalem, infirmum, atque passibilem in manus Pharisæorum & satellitum tradidit, immortalem nunc, gloriosum, & impassibilem in manus peccatorum ac Dæmonum tradunt? Et quo in loco, o Juda, scelus tuum comples? In loco, inquam, orationis; in loco, in quo tot pro te Dominus lacrymas effudit, in quo tua illum causa tot angustiis compressit, ut sanguineo sudore conspergi compulsus fuerit; in quo demum omnium virtutum scholam tibi aperuit. Sed si quæ condigna causa ad hoc te impulisset, si quam a Dei Filio noxam passus esses, excusatione aliqua te dignum existimaremus. Narra, obsecro, si quid habes contra ipsum, ne tam grave appareat facinus tuum. Verùm ipsa, quæ te impulit, causa auget in immensum culpam tuam. Ut triginta lucrareris ar-

(*a*) *Isaiæ XXVIII. v.21.* | (*b*) *Ezech. XVIII. v.22.* | (*c*) *Lucæ VI. v. 19.*

genteos, Deum vendidisti, mercator vilissime. Ergo tam parvi Christum facis, *in quo* sunt *thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei* (*a*)? O quàm meritò de te conqueritur Deus, inquiens: *Me appretiaverunt pretio* (*b*): me, inquam, qui sum omnium Dominus, qui omnia ex nihilo creavi, & omnia possum redigere in nihilum; cui comparata omnia, nihil sunt; *me*, inquam, infinitum, omnipotentem, inæstimabilem, incomprehensibilem, *appretiaverunt*; aliquid me condignum esse, imo aliquid supra me existimarunt. Et quàm vile id est? *Pretio me appretiaverunt triginta argenteorum* (*c*), quo vel jumenta ipsa non distraherentur. Non tam vili ego te pretio, infelicissime, æstimavi; non reputavi aurum ullum, aut argentum in tui posse compensationem sufficere; sed meo proprio sanguine te sum paratus redimere. O maledicta & execrabilis avaritia! O scelus scelerum omnium gravissimum! O horrenda hominum cæcitas! Ergo-ne ab homine potuit tam vilis haberi Christus, ut tam vili pretio venderetur? Sed quid tu non audes; quò non impellis eos, quorum pectora invasisti? Et fortè nunc etiam multos non urges, ut non dico triginta argenteis, sed unico quoque, eumdem Christum, animas suas, ac se ipsos venum exhibeant? Nihil est ante te pretiosum, nisi terra, inter creaturas & elementa despectior, nisi montium ramenta & inanes exuviæ, aurum scilicet atque argentum. Profectò sunt homines naturâ generosi, & speciem quamdam videntur Divinæ Majestatis referre; qui ergo tu illos adeò potes deprimere? O auri maledicta fames, quid non mortalia pectora cogis? Verè fames maledicta, quia numquam exples, sed famelicos semper sectatores tuos relinquis, imo quò magis pascere videris, eò ipsorum semper famem auges, donec fame rabidos efficias, quò *famem patiantur ut canes* (*d*). Sed quem non deterreant, quæ sociis tuis præmia disponis? Discant hi, & videant, quis sit avaritiæ fructus, quis avarorum finis in Juda. Nec pecuniis, quas accepit, perfrui potuit, [nam eas retulit, atque uti sacrilegas ac profanas accipere illi, qui dederant, non ausi sunt, & in corbonam mittere (*e*)]; sed projecit in Templo, & in desperationem adductus laqueo se se tamdem suspendit, ac *crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus*

(*a*) *Ad Colossens. II. v.* 3.
(*b*) *Zachar. XI. v.* 13., *& Matth. XXVII. v.* 9.
(*c*) *Matth. XXVII. v.* 9.
(*d*) *Psalm. LVIII. v.* 7. *&* 15.
(*e*) *Matth. XXVII. v.* 5. *&* 6.

ejus (*a*). Non in tantam ab alto & ſublimi gradu calamitatem primus Angelus Lucifer ſuperbiens decidit, ſicut e magno Apoſtolatus vertice, in profundiſſimum Inferni lacum Judas prolapſus eſt, ubi in æternum acerbiſſimas dabit pœnas, qui potuiſſet in regeneratione, adveniente Filio hominis ad generale vivorum & mortuorum Judicium èt ipſe ſedere (*b*), ac tamquam Mundi Judex Chriſto ſupremo Judici aſſiſtere. Exitus hic eſt eorum, qui levibus principiis avaritiæ obſiſtere negligunt. Erat Judas pecuniæ receptor, quæ Domino offerebatur; ex ea furto ſubtrahebat aliquos nummos, *loculos habens* (*c*); paulatim pecuniarum factus eſt ſervus & vile mancipium, donec earumdem amore captus, Deum ipſum vendere non exhorruerit. Quid mirum igitur, ſi èt nos tam ſæpe reprehendimus, filii, quæ fortè non adeo gravia vobis videntur, dum eos objurgamus, qui lucri causâ dies feſtos violare præſumunt, qui contractus illicitos exercent? Videte, quantam in Juda flammam parvulus in ſuî initio ignis excitaverit! Videte, quò auri amor ipſum adduxerit, ejus ſcilicet corpus ad laqueum damnans, & animam in Infernum dejiciens. Prudentiſſimè ſanè dixiſti Apoſtole Paule, eos, *qui volunt divites fieri, incidere in laqueum Diaboli* (*d*). Ecce Judas facto dictum comprobavit; ei namque Diabolus ſuadendo, laqueo corpus & animam infeliciſſimam rapuit. O miſerrima anima! Eſto jam in Inferno non ardeas, non doleas, non quidquam eorum patiaris, quæ alios torquent; hoc unum profectò, quàm intolerandum & grave tormentum eſt tibi, nempe cogitare: Ego eram Apoſtolus Chriſti; ego in tam nobile Collegium admiſſus. Potuiſſem in Cœlo cum Collegis meis æterna felicitate perfundi, & ab hominibus cultum & thura ad Aras recipere: Et (heu infelix!) pro triginta ſolis argenteis, quibus ne uti quidem mihi licuit, neque ullum mihi ſolatium præbuere, hìc in æternum cruciabor. O quantus, & quàm gravis dolor irruet ſuper me, cùm in extremo magni Judicii die, ante Chriſtum quem vendidi, ante Collegas quos ſcandalizavi, ante totum Mundum conſiſtere compellar! O quàm intolerabilis tunc mihi erit pudor & verecundia! Utinam ſupplicia omnia mihi tunc duplicia ingererentur, dummodo grave hoc malum effugerem! Utinam operirer montibus, modò vultum illum, quem

tam

(*a*) *Act. Apoſt. I. v.* 18.
(*b*) *Matth. XIX. v.* 28.
(*c*) *Joann. XII. v.* 6.
(*d*) *I. ad Timoth. VI. v.* 9.

tam indignè ausus sum osculari, non viderem! Triginta argentei, o filii, quid fecerunt! Fugite, fugite maximam pestem avaritiam, fugite tyrannum. Credite, quia aurum tyrannus est crudelissimus, quia est vilissima servitus avaritia. Nec vacat mysterio, quòd Principes Sacerdotum pecunias illas *in corbonam mittere* (*a*) noluerint; quæ enim per fraudem & illicitè sunt acquisita, retineri non possunt. Malè parta, o Mediolanenses, restituenda sunt; aut si non adsit vel ignoretur, cui restitui debeant, sunt in pios usus eroganda. De pecuniis verò illis *emerunt agrum, in sepulturam peregrinorum* (*b*); sanguinis enim Christi Domini nostri pretio, *emptus est ager*, idest Cœlum, *in sepulturam*, videlicet in perpetuam & sempiternam quietem *peregrinorum*, omnium nempe hominum, qui quamdiu in Mundo sunt, viatores sunt, & *peregrinantur a Domino*, *non habentes hìc Civitatem manentem*, *sed futuram inquirentes* (*c*). Verùm det sceleris sui & avaritiæ pœnas proditor Judas; nos ad Christum Jesum redeamus.

Sciens itaque ipse *omnia*, *quæ ventura erant super se* (nihil enim illi umquam accidit novi, ad quod imparatus existeret, vel non id expectasset) *processit* ultro, *& dixit* satellitibus: *Quem quæritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum* (*d*): nomen illi maximè proprium, quod èt in Sacris Literis consueverit divinam ejus naturam exprimere. *Qui est*, (præceptum fuit Moysi ut diceret), *misit me* (*e*); ipse enim solus verè est per se subsistens, a nemine dependens, & ceteris omnibus tribuens esse. Hujus autem vocis tanta extitit vis, ut *abeuntes retrorsum in terram ceciderint* (*f*). Porro iste est peccatorum cadendi modus, nempe retrorsum cadere; *justi* siquidem & Deum timentes, licèt *septies* in die *cadant* (*g*), cadunt tamen in facies suas, & *Dominus supponit manum suam*, unde nec *colliduntur* (*h*), sed faciliùs resurgunt: At impii cadentes retrorsum, confringuntur, & difficiliùs se erigunt. O miseri, cur, cùm protinus surrexeritis, ad tanti miraculi conspectum proni in terram non adorastis, quem comprehendere accesseratis? Si Christi infirmi & passibilis vox tantum virium ac roboris habuit, quantum efficax erit, cùm ille gloriosus & triumphans ad judicandum veniet? Hæc vox monumenta aperiet, hæc sparsos cineres & ossa ad sua corpora

(*a*) *Matth. XXVII. v. 6.*
(*b*) *Ibidem v. 7.*
(*c*) *Ad Hebr. XIII. v. 14.*
(*d*) *Joann. XVIII. v. 4. & 5.*
(*e*) *Exod. III. v. 14.*
(*f*) *Joann. XVIII. v. 6.*
(*g*) *Proverb. XXIV. v. 16.*
(*h*) *Psalm. XXXVI. v. 24.*

pora reducet, hæc omnes revocabit in vitam. Quid faciet, o peccatores, vox illa Christi in Judicio, qua vos feriet, dicens: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus* (*a*); si hoc egit ejusdem vox, in tanta infirmitate & discrimine existentis? Ut ergo surrexerunt, postquam eos denuo interrogasset, imperavit, ut factâ Discipulis suis abeundi facultate, in se tantùm sævirent, inquiens: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire* (*b*). O felices illos, quorum protector est Deus! Quantùm est de ipsis solicitus, quomodo eos veluti amantissima gallina sub alas congregat (*c*), ut pullos dilectissimos a rapacium avium unguibus & insidiis tueatur!

Verùm, quamvis ligetur ùt homo, se tamen plusquam hominem, imo Deum ostendit, cùm imperat, & ei obeditur; nec nisi volens a satellitibus comprehenditur, & quos a molestiis vult eripere, jubet ut incolumes dimittantur. Cùm ergo jam ipsum undequaque rabidissimi illi canes circumdedissent, & in eum manus injecissent, videntes Discipuli ejus, quæ fiebant, armis ipsum defendere statuerunt. Inter eos Petrus ceteris ardentior, ministri cujusdam, Malchi nomine, auriculam gladio amputavit; quo tamen reprehenso Jesus eidem ministro auriculam restituit: nec destitit tam insigne beneficium illi conferre, a quo tam barbara ipsi inferebatur injuria, bonum pro malo retribuens. O quantum, Petre, errabas, si Christi Regnum armis tuis defendi, aut propagari posse putabas! Annon tam multa Dominum videras facientem, ut ex iis facillimè posses comprehendere, numquam Dominum, nisi quando, ubi, aut quomodo vellet, moriturum? *Calicem ergo, quem dedit illi Pater, non vis ut bibat illum* (*d*)? Si Pater dedit, potuit-ne adeò bonus *Pater pro pane lapidem dare, aut pro ovo scorpionem* (*e*)? Vides-ne, te Mundi totius inimicum ostendi inconsulto hoc zelo, cùm eidem conaris Redemptionem eripere?

In illa igitur hora respondens Jesus turbis, & *Principibus Sacerdotum, ac Magistratibus Templi, & Senioribus dixit: Tamquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus comprehendere me? Quotidie apud vos sedebam in Templo docens, & cùm quotidie vobiscum fuerim in Templo, non extendistis manus in me, & non me tenuistis* (*f*): Unde ergo tam

(*a*) *Matth. XXV. v.* 41.
(*b*) *Joann. XVIII. v.* 8.
(*c*) *Matth. XXIII. v.* 37.
(*d*) *Joann. XVIII. v.* 11.
(*e*) *Lucæ XI. v.* 11. & 12.
(*f*) *Ibidem XX. v.* 52. & 53., & *Matth. XXVI. v.* 55.

tam novus & inusitatus furor? *Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum* (*a*). Væ illis, dilectissimi, quibus Dominus dicit: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*; quos scilicet videt peccantes & *in adinventionibus suis ire* (*b*) finit, quasi dormiat, & non videat! O miseri peccatores; *hæc est hora vestra*; verè hora, quia brevissima sunt & momentanea, quæ delectant; æternum verò, quod cruciabit. Dies veniet, dies, inquam, Domini, quem vos effugere non poteritis, quique totus illius erit; cujus vobis nulla competet pars, quia nullam vos *horæ hujus vestræ* partem Deo dare voluistis. Quid gloriaris miser peccator de tua hac delinquendi libertate, de divitiis tuis & potestate? Annon vides, quia *tenebrarum potestas est* ista; in tenebris densissimis versaris; nil nisi tenebrosum agis; atque *in tenebris ambulans*, *nescis quò vadas* (*c*)? Et *quale tibi potest esse gaudium*, *qui lumen Cœli*, *in tenebris his sedens*, *non vides* (*d*)? *Hæc est* igitur, dicit Jesus turbis, *hora vestra*; agite jam quod lubet, quoniam veniet postea dies, quando èt ego vobis pro meritis retribuam.

Hæc & alia cùm illis locutus fuisset, tamdem ab ipsis se comprehendi ligarique permisit. Ergo in manus hostium venit Jesus meus; & ego præ dolore non morior? Captus est ab inimicis Magister & Pater noster; & vivimus? O durissima hominum corda! Heli cùm audisset filios suos occisos, stetit: At ubi audivit, Arcam Dei a Philisthæis captam, *cecidit de sella retrorsum*, *juxta ostium*, *& fractis cervicibus mortuus est* (*e*). Ceperunt, inimici nostri Arcam nostram, Arcam, inquam, Divinitatis, Arcam fœderis & reconciliationis nostræ cum Deo; omne bonum nostrum abstulerunt a nobis: quidquid desiderari a nobis poterat, in eorum sævissimas cruentasque manus devènit. Nec ita rabidi lupi, capto innocentissimo Agno, fame agitati in eum desæviunt, ùt furore agitati Pharisæi & Principes, ac Scribæ & seniores, invidiæ furiis acti, odio & indignatione ebrii in Christum jam comprehensum sæviebant, ac crudelissimè illum & arctissimè vinciebant.

Sed quem ligatis miseri? An vobis eum ligandi vis aderat, nisi ipse sponte se obtulisset? Numquid, cùm retrorsum ad ejus vocem cecidistis, resurgere potuissetis, nisi ipse permisisset? Nonne

(*a*) *Lucæ XXII. v.* 53.
(*b*) *Psalm. LXXX. v.* 13.
(*c*) *Joann. XII. v.* 35.
(*d*) *Tobiæ V. v.* 12.
(*e*) *I. Reg. IV. v.* 18.

Nonne ipſe vobis obviam proceſſit, Diſcipulos volentes reſiſtere coërcuit, injurioſum in vos Petrum increpavit, & damnum vobis illatum ſtatim reparavit? Cur ergo, qui futura quæcumque erant, ſciebat, in hortum hunc venit, niſi quia locus proditori ſuo cognitus erat? Ipſe, ipſe vos docuit, quomodo & ubi comprehenderetur. Samſon hic eſt fortiſſimus, qui tuì (o impudens Synagoga ingrata) amore captus, te inſtruxit, in quo omnis ejus fortitudo conſiſteret (*a*). Et quis ad docendum eum impulit, niſi ipſius voluntas, & tuì dilectio? Fruſtra, mihi credite o ſatellites, eum ligatis: Aliis ipſe funibus multò fortiùs obſtringitur, funibus ſcilicet ſuæ ardentiſſimæ caritatis. Rogabitis eum vos, ut vincula diſrumpat, nec volet; ut e Cruce deſcendat, & tamen, cùm omnia ei poſſibilia ſint, nihil horum perficiet. O quàm illum arctè ligarunt *funiculi Adam* (*b*), caro ſcilicet & natura noſtra, qua tam inſeparabiliter eſt nobis conjunctus! Et quæ eſt iſthæc veſtra dementia, ut putetis, poſſe vos Deum, niſi ipſe velit, vincire? Annon fortis a fortiore comprehenditur, atque alligatur? At quis Deo fortior? A Deo ergo ſolo ligandus eſt Deus: Non vos illum ligatis, non vos incomprehenſibilem comprehenditis, non vos demum ad Tribunalia & ad Crucem pertrahitis, ſed Pater. Omnia hæc in ipſo efficit æterni Genitoris voluntas, cui Filius obedire in omnibus ſtatuit, nec alio veſci cibo, quàm hoc, ut ſcilicet perficiat voluntatem ejus, qui miſit eum (*c*). Veriſſimum enim eſt quod ipſe hæc omnia prædicens dixerat: *Et nunc dixi vobis, priuſquam fiat: ut cùm factum fuerit, credatis. Jam non multa loquar vobiſcum: venit enim Princeps Mundi hujus, & in me non habet quidquam. Sed ut cognoſcat Mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio* (*d*).

Cohors ergo, & Tribunus, & miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum (*e*). Manus ergo ligantur, quæ cæcos illuminarunt, quæ leprosos mundarunt, quæ tot bona vobis ipſis, o Judæi, & filiis veſtris præſtiterunt. Et tu omnium ingratiſſime Malche, manus illas audes ligare, quæ recentiſſimè aurem abſciſſam tibi reſtituerunt? An potes oblivionem tam inſignis beneficii vix recepti, in tui ſceleris excuſationem prætendere?

(*a*) Exodi XVI. v. 17.
(*b*) Oſee XI. v. 4.
(*c*) Joann. IV. v. 34.
(*d*) Ibidem XIV. v. 29. & ſeqq.
(*e*) Ibidem XVIII. v. 12.

dere? O ſacratiſſimæ manus, ob quid talia commeruiſtis? Adæ manus ligari debuerant, nimiùm promptæ ad receptionem & eſum vetiti pomi, non vos; meæ manus vincula merebantur, non vos: Sed ligatæ vos eſtis, ut noſtræ a delictorum nexibus & vinculis ſolvantur. Ligantur verò Divinæ voluntatis funibus, ut noſtræ a mandatorum violatione arceantur. Ut nobis libertatem comparares, tu Chriſte ſervus es factus: Hanc autem libertatem nobis ipſe promiſeras per Prophetam tuum dicens: *Conteram jugum ejus de collo tuo, & vincula ejus diſrumpam* (*a*). Sed utinam Malcho Chriſtiani multi non eſſent magis ingrati! Ille execrandus apparuit, quia manus Medici, a quo tantam ſanitatem acceperat, cum ceteris fortè eſt auſus ligare. At nos, qui a tam multis & duriſſimis culparum vinculis ſoluti ab eodem Domino fuimus, quo non ſumus digni ſupplicio, cùm eidem Domino manus ligare impudentiſſimè non erubeſcimus! Annon Dei manus ligant, qui Sanctiſſimis illius inſpirationibus obſiſtunt? qui nec ſe ab ipſo duci ſinunt, nec beneficia recipere volunt? Annon Dei manus vinciunt, qui in proximis Dei opera impediunt, qui ſcandalizant puſillos? Deus illos vocat, & hi revocant; Deus illis bona proponit, & iſti eoſdem a bono divertunt. Annon Dei manus ligant, qui diffidentiâ ſuâ gratiæ aditum occludunt? Num ignoratis, quia non poterat miracula facere Dominus quodam in loco, ob incolarum incredulitatem (*b*)? Annon Dei manus vinciunt ingrati; vel qui in Divinis muneribus recipiendis, & in agendo pro iiſdem gratias, negligentes ſe oſtendunt? Porro iſti beneficas Dei manus adeò vinciunt, ut etiam abundantiſſimos cœleſtium miſerationum fontes prorſus exiccent. Annon Dei manus ligant qui Deo honorem adimentes ſibi tribuunt, & bona ipſis a Deo ex mera liberalitate conceſſa, non aliunde, quàm a ſe ipſis habere ſe arbitrantur? Annon demum Dei manus ligant, qui infuſas animo conſolationes & dona vanè diſperdunt? Ligant profectò hi omnes miſerrimi manus Dei, quia cùm ſummè ille exoptet eis benefacere, id ipſi peccatis ſuis iniquiſſimè impediunt; quia cùm *ad oſtium ſtet* perpetuò Dominus *pulſans* (*c*), & expectans, *ut confeſtim aperiant ei* (*d*), non modo non aperiunt, ſed magis oſtium obſtruunt, & impedimenta impedimentis addunt: Imo etiam, ſi quando ad ipſos ingreſſus fue-

(*a*) *Jerem. XXX. v.* 8.
(*b*) *Matth. XIII. v.* 58.
(*c*) *Apocalypſ. III. v.* 20.
(*d*) *Lucæ XII. v.* 36.

fuerit, quemadmodum in proximis hisce Festis faciet, cùm Sacratissimam Eucharistiam sument; vix erit ingressus, ac statim eum contumeliis atque opprobriis inde egredi injuriosè compellent; ipsique revertentur ad vomitum, & *fient novissima illorum pejora prioribus* (*a*).

Comprehenso Jesu, *Discipuli* ejus *omnes*, *relicto eo*, *fugerunt* (*b*). Fuisti profectò, Domine mi, *testimoniorum acervus* (*c*); in te enim uno quæcumque a Prophetis in Scripturis sacris fuerant prædicta, adimpleri voluisti. Prædixerat Zacharias: *Percutiam Pastorem*, *& dispergentur oves* (*d*): Ecce hodie percussus es a Domino propter peccata nostra, & statim dispersæ sunt oves. O Apostoli; cur toties prædixerat vobis Dominus Jesus, quòd esset a Judæis comprehendendus, ligandus, flagellandus, crucifigendus, nisi, ut cùm hæc acciderent, scandalum non pateremini, præmoniti, & tot claris prædictionibus instructi? Tam citò ergo quæ in ultima ipsa cœna hac de re ab ipso audistis, animis vestris & memoriâ exciderunt? Ubi est fructus tot dulcium Christi ad vos verborum, quibus vos consolari semper studebat? *In vanum* ergo vobiscum *laboravit*, *sine causa & vanè fortitudinem suam* vobiscum *consumpsit* (*e*)? Ubi tot promissa, quibus vos illi obstrinxistis? Ah Thoma, qui dixeras: *Eamus & nos*, *ut moriamur cum eo* (*f*); sic itur ad mortem cum Christo? Vix inspicis turbas, & fugis? Ignavissimi & perditi milites; sunt-ne hæc amicitiæ jura, ut in adversis deseratur amicus? Cur tam gravem additis afflicto Magistro vestro afflictionem? Non sic Ethai Gethæus, qui, cùm David a facie filii sui Absalom fugiens illi diceret, ut domi remaneret, respondit: *Vivit Dominus*, *& vivit Dominus meus Rex*, *quia in quocumque loco fueris Domine mi Rex*, *sive in morte*, *sive in vita*, *ibi erit servus tuus* (*g*). Hoc erat vobis dicendum Domino, & non dicendum tantùm, ùt plerique feceratis, sed etiam, cùm sese obtulit occasio, opere adimpleri debebat. Siccine ergo Jacobe & Joannes potestis bibere calicem, quem bibiturus est Christus, si vix ipsam calicis umbram videntes aufugitis? Eritis-ne ad ejus dexteram & sinistram, si ipsum solum aliò trahi permittitis? Te Petre nunc alloqui

 non

(*a*) *Lucæ XI. v. 26.*
(*b*) *Matth. XXVI. v. 56.*
(*c*) *Genes. XXXI. v. 47.*
(*d*) *Zach. XIII. v. 7., & Matth. XXVI. v. 31.*
(*e*) *Isaie XLIX. v. 4.*
(*f*) *Joann. XI. v. 16.*
(*g*) *II. Reg. XV. v. 21.*

non libet; videbo enim paulo post, quantum crimen communi aliorum addideris culpæ.

Sed hæc fuga vestra, o Discipuli, & infirmitas in Dei gloriam, & utilitatem nostram vertetur; nos enim docuistis, ab errore vestro deflectere. O Reverendi Sacerdotes, utinam omnes a Christi Discipulorum exemplo quæ ad nos pertinent disceremus! Mihi credite; multò ferventiores essemus, magisque constantes in Sanctis Institutis promovendis, ac in procurando Dei honore, neque leves quaslibet hominum & Mundi objurgationes in ministeriis nostris optimè gerendis formidaremus: Vos autem, carissimi filii, non tam citò, ingruente adversitate aliqua vel tentatione, Christum in incœptis sanctis operibus adimplendis desereretis. Putatis-ne, quòd nobilis illa Matrona, quæ mundi pompas abjecit, Scholis Christianæ Doctrinæ frequens adest, singulis festis diebus Eucharistico Cibo reficitur, ubi aliquas eam irridentes, aut hypocrysis & simulatæ Sanctitatis accusantes audiret, a spirituali vita tam citò recederet? Minimè profectò, ne èt ipsa hujus Apostolorum infirmitatis particeps esset. Quàm multi hodie, ac etiam ipsa hora dum loquimur, fortè nostris, imo veriùs Dei verbis commoti, statuent pristinos mores deponere, veterem hominem exuere, vitam in melius mutare, quæ retinere non possunt restituere, majori cura divinis rebus incumbere: At ubi primùm hinc fuerint egressi, quilibet Mundi aspectus, quælibet, licèt inanis & frivola causa, ipsos in fugam convertet; & non intelligent, quia, relicto Christo boni totius ac vitæ fonte & auctore, in mala omnia prolabentur. Accidit profectò Domino, quod ipse de se prædixerat: *Elongasti a me amicum, & proximum, & notos meos a miseria* (*a*): Quod etiam ipsum, ambigi nequit, quin incredibilem attulerit Christo dolorem. Sed dolere quoque plurimùm debuerunt Apostoli post fugam hanc: siquidem Christus *bonorum nostrorum non indiget* (*b*), qui sufficit sibi soli; nos verò cùm ab ipso recessimus, cùm eum amisimus, non possumus tam gravem jacturam ægerrimè non ferre, ejusque maxima damna minimè sentire.

Ligatus ergo Dominus Jesus a satellitibus ei improperantibus, tamquam latro aut viarum grassator Civitatem ingreditur, quam quatuor ante dies, veluti Rex, imo nomine Regis Israël

(*a*) *Psalm. LXXXVII. v. 19.* | (*b*) *Psalm. XV. v. 2.*

Israël appellatus ac triumphans intraverat. Non hìc amplius Regio titulo salutatur, non vestimenta sternuntur, non rami de arboribus cæduntur; non ei ab omnibus acclamatur, non turbæ plaudentis reverentiam sedens Asinæ excipit. O ingratissima Civitas, tam tibi ipsi dissimilis! Omnia nunc ei in oppositum exhibentur. Intrat pedibus suis, trahitur, urgetur, impellitur, vinculis plurimis constrictus, & innumeris etiam injuriis affectus. Et hæc ipsa confusio ac ignominia in Civitate illa, in qua plura & insignia miracula ediderat, in qua novissimè tot honores receperat, in quam tam multa hominum millia ad proximum diem festum confluxerant, quàm gravem Christo Domino cruciatum inflixit! I nunc Mundi sectator, ejusque honoribus ac favoribus confide: vide, quàm sit instabilis! Vix quatuor prætereunt dies, & cui fueras gratissimus, te infensissimum præstabis; quique tibi omnes exhibuerant honores, ferre te & videre non poterunt; frangetur demum arundo, & tu in terram cades, & manum perforabis (*a*): Ægyptus enim, idest Mundus, arundo est; & nihil est vanius, quàm ejus vanitatibus & mendaciis fidem aliquam adhibere; nihil stultius, quàm ejus fraudes & astutias non agnoscere; nihil infelicius, quàm fucatis ejus felicitatibus allici & capi.

Intrantes itaque satellites Jerusalem, ac prope domum Annæ, qui erat Socer Caiphæ Pontificis anni illius (*b*), pertranseuntes, læti ac triumphantes, *sicut victores captâ prædâ* (*c*), aut milites cum captivo hoste ligato Civitatem intrantes, ad Annam accedunt: Ecce dicentes: (fortè cum incredibili gaudio), quem tamdiu perdere desideravimus. Effugiat enim, si potest, manus nostras; lateat nunc, si locus ei suppetit, in quo abscondatur: Non abibit profectò e manibus nostris impunitus sacrilegus hic seductor. Fruemur tamdem optata pace, nec oculis amplius obversabitur perturbator iste nostræ Civitatis, publicæque quietis. Multa inde eidem exprobrantes, & impurissimo ore in eum evomentes, *duxerunt Jesum ad Caipham Principem Sacerdotum*, ubi Scribæ & Seniores convenerant (*d*), expectantes satiari carnibus Christi. Ipso autem intrante, quis exprimat quantâ perfidi illi omnes lætitiâ & exultatione exundaverint? Desideraverant tam longo tempore hunc diem. Molestissimus iis erat

(*a*) *Isaiæ XXII. v.* 25.
(*b*) *Joann. XVIII. v.* 13.
(*c*) *Isaiæ IX. v.* 3.
(*d*) *Matth. XXVI. v.* 57.

erat Christus, videbatur, ab ipsis *animas* eorum *tollere* (*a*): Facti sunt jam voti compotes, idcirco Deo gratias egisse illos arbitror pro tanto dono, quod se putabant assecutos. O infelicissimi ac stultissimi cæci! de quo tristari opus esset, vos lætamini, & de vestra infelicitate ac miseria gaudetis. Non semper tamen gaudebitis: brevissimus risus hic vester, heu quàm amaro nimiùm dolore miscebitur; & extrema hujus vestri gaudii, acerbissimus luctus occupabit (*b*)!

Cœpit primùm Caiphas Dominum, uti læsæ Divinæ & humanæ Majestatis reum, subjicere examini, *& de Discipulis, ac doctrina ejus interrogare* (*c*). Jesus autem, quia de Discipulis nihil præclari proferre poterat, utpote quorum infirmitatem non tam vidisset recentissimè, sed etiam expertus foret, de doctrina tantùm respondit, quàm se publicè, & non privatim, aut in angulis & conventiculis docuisse affirmavit (prout miserrimi Hæretici faciunt); ideo ab ejus auditoribus, quos habuerat plurimos, posse hæc omnia facilè intelligi (*d*). Quidam verò Caiphæ adulator & minister, illic adstans, quòd magnam domino suo injuriam a Christo irrogatam autumaret, ut maledictam domini sui gratiam aucuparetur, Dei odium incurrit, & Dei Filio alapam impingere est ausus, inquiens: *Sic respondes Pontifici* (*e*)? O ingratissima Domino conditori tuo terra, quomodo tantam labem Deo illatam tulisti? Cur non statim aperta temerarium illum vivum deglutisti? Quid agis o ignis? Cur non e Cœlo descendis, & hominem hunc, omnemque domum illam incolentes non consumis? Ubi est, mors, justitia & æquitas tua? Oza, eò quòd labentem Arcam, calcitrantibus bobus manu apposita sustinere voluisset, statim mortuus cecidit (*f*): Et impius iste nequissimus, qui non Arcam sustentare voluit, aut a lapsu defendere, sed vivam Divinitatis Arcam, Cœli & terræ Regem, Deum ipsum alapâ præsumpsit impetere, adhuc vivit; nec temeritatis suæ pœnas gravissimas luit? Et quæ umquam pœnæ, qui ignes, quæ supplicia, tanto puniendo facinori non erunt minima atque levissima?

Sed multò majora pati pro me paratus est Dominus; unde non illi, sed mihi potiùs succensere debuissem, propter quem & ala-

(*a*) *Joann. X. v.* 24.
(*b*) *Proverb. XIV. v.* 13.
(*c*) *Joann. XVIII. v.* 19.
(*d*) *Ibidem v.* 20. *& seqq.*
(*e*) *Joann. XVIII. v.* 22.
(*f*) *II. Regum VI. v.* 6. *&* 7.

& alapam & omnia pertulit Dominus; qui tamen mitiſſimè & benigniſſimè reſpondit: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perbibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis* (*a*)? Potuiſſet ipſe, *qui ventis imperabat, & mari, & obediebant ei* (*b*), imperare tunc creaturis omnibus, ut Creatori illatam ulciſcerentur injuriam; ſed remiſſionis & manſuetudinis voluit ipſe nobis exempla præbere, ut quemadmodum ipſe fecit, èt nos faciamus (*c*). O tempora, o mores! Impingat jam quiſpiam alapam in aliquem, licèt viliſſimæ conditionis hominem, imo potius ignobiliſſimum vermem. Sed quid dico alapam? Inferat contumeliam etiam verbo: apparebit-ne in illo iſta Chriſti manſuetudo & benignitas? Nequaquam profectò: Verùm pro verbo alapas, vulnera, & mortem reddet; imo èt quandoque non in eum ſolum, qui contumeliam intulit, iratum & injurioſum ſe oſtendet, verùm etiam in omnes ejus liberos, conſanguineos, domeſticos, & amicos. O bone Deus, quis ſtupor hic eſt? Rex Cœli & terræ, Dei Filius alapas patitur; & ſaccus ſtercorum, cibus vermium, vas putredine plenum, fœdiſſimus peccator ne verbum quidem pati poteſt? Et ſunt hi Chriſtiani? Et adeo erunt impudentes, ut ante hunc Dominum audeant accedere, & pro peccatis ſuis veniam petere? *Homo homini reſervat iram; & pro eo quis deprecabitur* (*d*)? Neſcio quidem quid magis admirer, an immenſam Chriſti patientiam & tolerantiam, an verò inexplicabilem hominum ſuperbiam.

Cùm verò plura falſa teſtimonia adversùs Jeſum quærerentur, & adveniſſent, & a ſe ipſis diſſentirent; interrogavit denuo Caiphas Dominum ſuper his, quæ ei objiciebantur. Ipſe verò ſiluit ſemper, & nihil reſpondit (*e*). Sed non ſilebat cor ejus, imo lamentabatur & dolebat ſuper populi ſui ingratitudine & cæcitate, atque illorum delicta & pœnas, quas pro iis daturi erant, acerbiſſimè deplorabat; dicens ipſe, quod in ejus perſona prius dixerat David: *Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei: Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus a te non eſt abſconditus* (*f*). *Et qui inquirebant mala mibi locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur: Ego autem tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Et factus*

(*a*) *Joann. XVIII. v.* 23.
(*b*) *Lucæ VIII. v.* 25.
(*c*) *Joann. XIII. v.* 15.
(*d*) *Eccli. XXVIII. v.* 3. & 4.
(*e*) *Marci XIV. v.* 56. & *ſeqq.*
(*f*) *Pſalm. XXXVII. v.* 9. & 10.

factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones (*a*).
Tertiò demum interrogavit eum Pontifex, & cum juramento adstrinxit inquiens: *Adjuro te, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei* (*b*). Silentio ob Dei reverentiam, in cujus nomine adjuratus fuerat, Christus finem imposuit: Sacrosancta enim res est adjuratio, nec nisi Religionis causâ, ac debitis adhibitis circumstantiis est proferenda. Itaque *dicit illi. Tu dixisti: Ego sum. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cœli* (*c*). Hæc ubi *Princeps Sacerdotum* audivit, eumdem blasphemiæ reum judicavit, ac in tanti, ùt ipse falsò asserebat, criminis detestationem, *scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: Quid vobis videtur? At illi* condemnaverunt eum esse reum mortis, *respondentes dixerunt: Reus est mortis* (*d*). Audite blasphemi, qui impudico ore Deum & Sanctos non dubitatis probris ac contumeliis afficere, qui vestram linguam, quam a Deo recepistis, ut ipsum laudetis, in eumdem temerario ausu retorquetis; audite, inquam, quàm grave scelus, etiam apud impios istos, sit blasphemia! Pontifex *vestimenta* in hujusmodi detestationem *scidit;* Sacerdotes verò, quem blasphemum reputant, absque ulla spe veniæ, *reum esse mortis* declarant. Et profectò si in Regem aliquem injuriam inferens, reus est mortis, quantò magis qui Deum ipsum contumeliâ afficit? Sed non potest blasphemus esse Christus, o Caiphas; neque enim in se ipsum injuriosus est Deus. Utinam sic tu Dei honorem quæreres, ùt ipse! *Honorificavit* ipse semper *Patrem suum* (*e*): quod de se dixit, pro veritate & adjuratione coactus dixit. Itaque injusta & præceps est, o Judæi, vestra sententia. Ergo reus est mortis is, *cui dedit Pater habere vitam in semetipso, sicut ipse habet* (*f*)? Reus est mortis is, *per quem omnia sunt* (*g*), & vitam habent? Is, *in quo vivimus, movemur, & sumus* (*h*)? Is, qui attactu, verbis, & fimbriis vestimentorum tot morbos a vestro populo depulit? Reus est mortis, qui paulo ante & alios, & Lazarum quatriduanum a mortuis suscitavit (*i*)? *Qui venit* in hunc Mundum, *ut* homines *vitam habeant, & abundantiùs habeant* (*k*)? cujus vocem *qui audit, vivit*

(*a*) *Psalm. XXXVII. v.* 13. *& seqq.*
(*b*) *Matth. XXVI. v.* 63.
(*c*) *Ibidem v.* 64.
(*d*) *Ibidem v.* 65. *&* 66.
(*e*) *Joann. VIII. v.* 49.
(*f*) *Ibidem V. v.* 26.
(*g*) *I. ad Corinth. VIII. v.* 6.
(*h*) *Act. Apost. XVII. v.* 28.
(*i*) *Joann. XI. v.* 43. *&* 44.
(*k*) *Joann. X. v.* 10.

vit (*a*)? Reus eſt mortis *panis vitæ* (*b*), *vita*, & *reſurrectio mortuorum* (*c*)? cujus vocem audient in die Judicii mortui omnes, & reſurgent, & cineres combuſti ac diſperſi, & carnes a piſcibus, avibus, ſerpentibus, & beſtiis devoratæ, & oſſa huc illucque aſportata colligentur? Vos potiùs, vos iniquiſſimi homicidæ vel Deicidæ, eſtis mortis rei, qui auctorem vitæ condemnaſtis, & cruci affixiſtis.

Et tunc *viri*, *qui tenebant eum*, *illudebant ei* (*d*). Hæc autem illuſio eò gravior erat, quò major Magiſtratuum rabies, quibus illi adulabantur, & a quibus gratiam peſſimâ hac ratione captabant. *Et expuerunt in faciem ejus*, & *velaverunt eum*, & *colaphis eum cæciderunt*, *alii autem palmas in faciem ejus dederunt*, & *percutiebant faciem ejus*, & *interrogabant eum dicentes*: *Prophetiza nobis*, *Christe*, *quis eſt*, *qui te percuſſit?* & *alia multa blaſphemantes dicebant in eum*. *Et miniſtri alapis eum cædebant* (*e*). Neque ab Evangeliſtis hìc omnia deſcripta putetis; nam nullum fuit immanitatis & contemptùs genus, quod rabidiſſimi illi canes in Chriſtum non exercuerint; capillos ejus etiam & barbam ſummo cum dolore evellebant. O ſacratiſſima facies, Angelis ipſis deſiderabilis; facies, quam priſci illi Patres adeo videre optabant, ut dicerent: *Oſtende nobis faciem tuam*, & *ſalvi erimus* (*f*); quid in te video? Tu Domine, qui *ſpecioſus* eras *formâ præ filiis hominum* (*g*), quomodo factus *es vermis*, & *non homo*, *opprobrium hominum*, & *abjectio plebis* (*h*)! Sed nil mirum; quia ſic vis, ſic ab æterno ſacroſanctæ voluntati tuæ beneplacitum fuit, ſic per Prophetas ſervos tuos prædixiſti: *Dominus aperuit mihi aurem*, *ego autem non contradico*: *retrorſum non abii*. *Corpus meum dedi percutientibus*, & *genas meas vellentibus*: *faciem meam non averti ab increpantibus*, & *conſpuentibus in me* (*i*). Tu, inquam, ille es, de quo jam multò antea dictum fuerat: *Dabit percutienti ſe maxillam*, *ſaturabitur opprobriis* (*k*). Sed non ſaturatus tu fuiſti opprobriis, quia caritas tua erat inſatiabilis, qua multò plura pro me pati fueras paratus, quàm ea, quæ paſſus es, licèt innumera atque graviſſima. Quis hæc in cane, aut in bruto fieri videns non compatiatur, non totus commoveatur? At quantò

(*a*) *Joann. V. v. 25.*
(*b*) *Ibidem VI. v. 35.*
(*c*) *Ibidem XI. v. 25.*
(*d*) *Lucæ XXII. v. 63.*
(*e*) *Matth. XXVI. v. 67.*, & *Luc. XXII. v. 63.* & *ſeqq.*
(*f*) *Pſalm. LXXIX. v. 4.* & *8.*
(*g*) *Pſalm. XLIV. v. 3.*
(*h*) *Pſalm. XXI. v. 7.*
(*i*) *Iſaiæ L. v. 5.* & *6.*
(*k*) *Thren. III. v. 30.*

magis, si hominem ita malè haberi conspiciat? Quo autem animo ferenda sunt, cùm Dei Filio irrogentur? Solus Deus multiplicis hujus illusionis & improperii gravitatem agnovit, qui solus infinitam magnitudinem suam comprehendere potest: ideo dicit ipse, qui patitur: *Tu scis improperium meum, & confusionem meam* (*a*), quia tu solus, quis & quantus sum, nosti.

Attamen non affligebatur solùm intus atrium a satellitibus & ministris Dominus Jesus; sed extra etiam ab eo, quem adeo carè diligebat, Petro; nam dum intus ab illis illuderetur, ab hoc extra negabatur. Cùm enim a longè Dominum sequeretur, & introductus fuisset a Discipulo noto Pontifici (*b*) [erat enim foris deorsum, in atrio *calefaciens se* (*c*) cum ministris, dum Christus in loco interiori degebat] ancillula autem quædam eum vidisset, primùm interrogavit: Numquid *èt tu cum Jesu Galilæo eras* (*d*)? aliis enim priùs dixerat, *èt hic cum illo erat:* Ipse verò negavit, inquiens: *Non sum* (*e*), *non novi hominem* (*f*); & verè dixit, quia non erat is, qualem se fore promiserat. Tum exiit atrium, non tamen portam exteriorem, & cantavit Gallus, nec Petrus resipuit. Eo verò ingrediente, alia quædam ancilla ait: *Et hic erat cum Jesu Nazareno;* nec non èt servus quidam: *Et tu ex illis es* (*g*), & plures simul eum interrogaverunt: *Numquid èt tu ex illis es?* Negavit Petrus, & cum juramento. Tum tertiò servus quidam inquit: *Verè èt hic cum illo erat, nam Galilæus est;* & alii plures: *Verè èt tu ex illis es, nam & Galilæus es, & loquela tua manifestum te facit* (*h*); & *Cognatus* Malchi, *cujus absciderat Petrus auriculam*, subdidit: *Nonne ego te vidi in horto cum illo* (*i*)? Quoniam verò hic eum efficaciùs videbatur convincere, iterum negavit, & ait Petrus: *Homo, nescio quid dicis:* ille autem *tunc cœpit detestari, & jurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis* (*k*). Et hæc fuerunt quidem egregia Petri facinora, qui priùs, *etiam si omnes scandalizati fuissent in Christo, ipse tamen* audacter promiserat, *se numquam scandalizandum* (*l*). Et quidem si culpam hanc undequaque diligenter perpendamus, gravissimam fuisse agnoscemus, & plura adnotare poterimus, ne èt nos in idem scelus prolabamur. Ac in primis quod

(*a*) *Psalm. LXVIII. v. 20.*
(*b*) *Joann. XVIII. v. 15.*
(*c*) *Ibidem v. 25.*
(*d*) *Matth. XXVI. v. 69.*
(*e*) *Joann. XVIII. v. 25.*
(*f*) *Matth. XXVI. v. 72.*
(*g*) *Ibidem v. 71. & seqq.*
(*h*) *Ibidem v. 73.*
(*i*) *Joann. XVIII. v. 26.*
(*k*) *Matth. XXVI. v. 74.*
(*l*) *Ibidem v. 33.*

quod ad tempus attinet, quo hæc acta fuerunt, nox erat & frigus, *& calefaciebat se Petrus ad ignem* (*a*) impiorum ministrorum. Si nox erat, quid mirum, si justitiæ Solem non videbat? Si frigus erat, quid mirum, si caritate non ardebat? Si impiorum igne calefiebat, quid mirum, si eorum participabat operibus? Verè, ubi nox est peccati & ignorantiæ, ubi deficit caritatis calor, ubi calefacit ignis concupiscentiæ, nil superest, nisi ut negetur Christus.

Verùm ad ea, quæ Petrum propiùs attingunt, & ad potiores criminis hujus circumstantias descendamus. Quis est, qui negavit? Is profectò, qui designatus fuerat petra, supra quam fundaretur Ecclesia (*b*), qui futurus erat mystici corporis Christi caput visibile; is, qui aliàs tam fuerat caritate fervidus, ut fræno in peccatis puniendis egere potiùs videretur, quàm stimulo; qui toties tam multa de se ipso spoponderat, quòd, *etiamsi mori oportuisset, numquam Dominum suum negasset* (*c*); qui antea tam apertè confessus fuerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*d*); qui debebat alios *confirmare* (*e*); qui demum in se ipso & viribus suis tantùm confidebat. Quem verò negat? Negat, se ejus esse Discipulum, imo nec eum hominem nosse, quem Dei Filium fuerat antea confessus, quem olim tanti fecerat, ut diceret: *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine* (*f*); a quo prius in æternum nolebat pedes suos lavari (*g*); quem paulo ante in monte Thabor transfiguratum, mortuos suscitantem, cæcos illuminantem, infirmos sanantem, Dæmones expellentem, & mirabilia alia innumera operantem conspexerat; quem relictis omnibus, fuerat sequutus; cui dixerat: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes* (*h*): Hunc, inquam, negat. Et fortè minis impulsus, tormentis coactus, maximis præmiis inductus, vel a Judicibus jussus? Nil horum fuit in causa, sed sola mulierculæ vox eum ad Christum negandum adduxit. O quàm periculosus fuit semper & perniciosus hominibus, hujusmodi sexus muliebris! Mulier primum Parentem ad peccandum incitavit, peccati fuit origo, & per peccatum, mortem & mala omnia in mundum invexit, atque calamitatum omnium nostrarum & miseriarum fuit occasio. Mulier fortissimos Samsones, sapientissimos Salomones, justissimos

(*a*) *Marci XIV. v.* 54.
(*b*) *Matth. XVI. v.* 18.
(*c*) *Ibidem XXVI. v.* 35.
(*d*) *Ibidem XVI. v.* 16.
(*e*) *Lucæ XXII. v.* 32.
(*f*) *Ibidem V. v.* 8.
(*g*) *Joann. XIII. v.* 8.
(*h*) *Ibidem VI. v.* 69.

mos Davides, imbecillimos, ſtultiſſimos, & peccatores maximos effecit. Mulier quoque poſtremò, ut etiam ipſa in Chriſti Paſſione partem aliquam haberet, ejuſque doloribus afflictionem adderet, Petrum, præcipuum Chriſti Apoſtolum in denegationis & perjurii delictum conjecit. O quàm fugienda ſunt omnibus, dilectiſſimi filii, mulierum conſortia, per quæ tam dilectus Chriſto Apoſtolus, Magiſtrum ſuum minimè ſe noſſe miſerrimè affirmavit! Nec id ſemel tantùm, ſed ter; culpam ſuam ſemper augens juramento, deteſtatione, perjurio. Eum denique tripliciter negavit, cui conſtantiam in Fide, triplici illa tam inſigni proteſtatione ſpoponderat, dicens: *Animam meam pro te ponam* (*a*); *& ſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego* (*b*); *etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*c*). Quàm verum eſſe, facto comperiit Petrus, quod antea dixerat David: *Cum Sancto Sanctus eris: & cum perverſo perverteris* (*d*)! Quis enim adeò probus & innocens, qui, ſi cum improbis verſetur, in magno ſemper periculo non exiſtat?

Sed hic eſt, o Aulici & ambitioſi, Aularum plerumque fructus præcipuus, ut illi, qui ſtudiis hiſce ſunt immerſi, ſæpe ob minima quævis Chriſtum negent; &, ne quis Domino ſuo diſpliceat, neve rei privatæ aut honoris jacturam aliquam patiatur, profiteatur & juret, ſe Chriſtum non noſſe, nec ſcire quis ſcit, ejuſdem contemnendo præcepta. Imo non modò Chriſtianum, ſed hominem etiam plerumque exuat, & ſi non verbis, facto ſaltem dicat; non ſum, non ſum homo, non ſum Chriſtianus, non ſum qui eſſe deberem, quia mihi non expedit, quia aliter honor ſuadet ac Mundus. Denique ſemper Chriſto inimicus fuit Mundus, quia *in Chriſto non habet quidquam* (*e*); & qui in Principum domiciliis diverſari volunt, ut Mundo adhæreant, Chriſtum frequenter deſpiciunt. Fugiendæ prorſus ſunt hujuſmodi occaſiones: *Qui* enim *amat periculum, in illo peribit* (*f*). Ac ſi quis hactenus Petrum peccantem eſt imitatus, imitetur etiam, obſecro, eumdem pœnitentem; & qua ratione ac via ille peccatum ſuum deleverit, aſpiciat: In ejus namque pœnitenti dolore Chriſtus operatus eſt cum Petro, & cum Chriſto Petrus; neque enim ſine Chriſto quidquam poterat Petrus (*g*), nec ſine Petro ſat fuiſſet, quod fecerat Chriſtus. Primò Gallus cantavit,

(*a*) *Joann. XIII. v.* 37.
(*b*) *Marci XIV. v.* 29.
(*c*) *Matth. XXVI. v.* 35.
(*d*) *Pſalm. XVII. v.* 26. *&* 27.
(*e*) *Joann. XIV. v.* 30.
(*f*) *Eccli. III. v.* 27.
(*g*) *Joann. XV. v.* 5.

vit, tum Petrum Christus respexit benignissimo illo Divinitatis oculo, quo justos intuetur, & peccantes ad pœnitentiam revocat. Subinde verò *Petrus recordatus est verbi Jesu, quod dixerat: prius quàm Gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amarè* (*a*); nec *flevit* solùm, sed *amarè*. Tunc cœpit luctus ille, qui ab ejusdem oculis fluere, quamdiu vixit, numquam cessavit, adeo ut præ continuis lacrymis defossos haberet oculos, & arentes genas, ac in eis continui lacrymarum torrentes quosdam veluti canales excavassent (*b*): Atque hoc etiam, postquam tam multis signis certò novisset, peccati sui veniam se a Domino obtinuisse. O peccator, putas-ne, quia possis, quandocumque volueris, a peccato statim viribus tuis resurgere, qui tam facilè peccas? Falleris profectò; hæc enim omnia concurrant necesse est: primò cantet Gallus, divina scilicet inspiratio cordis tui auribus insonet; tum aspiciat te oculis infinitæ misericordiæ suæ Dominus Jesus, benignissimâ te gratiâ præveniens: Insuper egrediendum est tibi foras, relinquendæ occasiones omnes, quæ ad peccandum hactenus viam aperuerunt; & demum flendum amarè, eò quòd peccaveris. Quid ni amarè deploretur, quod in tantam amaritudinem animam tuam induxit? *Scito*, scito peccator, *& vide quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & timorem ejus non esse apud te* (*c*); scito, inquam, quia nulli alteri rei lacrymæ debentur, nisi peccato. Non infirmitatibus, in quibus sæpe virtus elucet; non tribulationibus, quæ hominem purgant; non paupertati, quæ vitiorum alimenta resecat; non morti, quæ miseriis finem & terminum imponit: Sed sola deflenda sunt scelera, quia sola sunt mala, miserum hominem reddunt, æternis nos bonis expoliant; sola Jesum Christum Dominum meum in Crucem evexerunt. O quanta vis est hujusmodi lacrymarum! Hæ balneum sunt animarum, Angelorum deliciæ, Deo carissimæ: Hæ conscientias emundant; peccata omnia extergunt, atque eos, qui priùs fœdissimi fuerant ac teterrimi, candidissimos reddunt. His propitius redditur Deus, gratias tribuit, dona cuncta largitur. Ploremus ergo (quamdiu lacry-

(*a*) *Matth. XXVI. v. 75.*

(*b*) Traditione ista usi sunt nonnulli Sacri Evangeliorum Interpretes ad ea verba Sancti Marci Cap. XIV. *cœpit flere*. Henricus autem Engelgrave Parte prima sui Operis, inscripti *Cœlum Empyreum*, ubi de Festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli agit, hæc habet: „ Petrus cœpit lacrymas profundere, & numquam flere destitit, adeò ut, magno teste „ Clemente, canales in oculis ejus exarati essent.

(*c*) *Jerem. II. v. 19.*

crymæ prosunt) dilectissimi, ante Judicem, flectamus iram vindicem, ne, morte præveniente, tunc flere velimus, quando flere non licebit; sed temporalibus his & momentaneis lacrymis, æterna nobis gaudia comparemus.

PARS TERTIA.

Quid reliqua tota ea nocte de Christo sit actum; quot sit passus ab hostibus suis injurias & illusiones, ipsi soli esse potest compertum. Hoc certè nemini dubium esse debet, nullam ei quietem fuisse inter sævissimos eos Ministros, qui Sacrificium *se præstare Deo* (*a*) existimabant, si illum novis & inusitatis modis affligerent. Mane summâ diligentiâ ac solicitudine ad domum Caiphæ Magistratus conveniunt; denuo producitur Dominus; interrogatur, si Christus sit, & Dei Filius. Non negat: iterum unanimes clamant, blasphemum esse, & reum mortis (*b*). Concilium igitur ineunt, ut statuant, quænam Christo objicienda sint coram Pilato; non enim quascumque ille querelas acceptasset. Tum illum rursus vinctum & alligatum ad Pilatum ducunt; sed ipsi non ingrediuntur Prætorium, ob scrupulum Paschæ, ne contaminarentur (*c*). Hæc erat Pharisaica justitia, ut gravia præcepta contemnentes in exterioribus quibusdam atque levissimis essent accuratissimi. Properant ad sanguinis justi effusionem, & verentur ingredi Prætorium; sicque in omnibus *excolebant culicem*, *glutiebant* autem *camelum* (*d*): Timebant contaminari loco, & non potius colloquio cum homine profano, propter quem domus ipsa polluta erat; nec timent effundere sanguinem innocentem, quo tamen timore maximè angebatur Pilatus Idololatra, cujus omnem culpam, & Christi sanguinem in se ac filios suos converti postulabant (*e*): Timent, ne impediantur celebrare Pascha; & occidunt Agnum, quo Pascha illorum perpetuò sublatum est. Sic peccatores semper *trepidaverunt timore*, *ubi non erat timor* (*f*).

Pilatus igitur, relicto Jesu in Prætorio, a militibus excepto, *exiit ad eos foras*; cùmque ipsi contenderent, eum statim esse condemnandum, Pilatus interrogat: *Quam accusationem affertis adversùs homi-*

(*a*) *Joann. XVI. v. 2.*
(*b*) *Lucæ XXII. v. 66. & seqq.*
(*c*) *Joann. XVIII. v. 28.*
(*d*) *Matth. XXIII. v. 24.*
(*e*) *Ibidem XXVII. v. 25.*
(*f*) *Psal. XIII. v. 5., & Psal. LII. v. 6.*

hominem hunc (*a*)? Judæi ſubterfugiunt objicere crimina, quia illis non ſuppetunt, quæ cum veritate poſſint objicere, ſed ſuperbiſſimi ſe ipſos tanti faciunt, ut abſque alia circumſpectione ſibi velint credi, & quem ipſi condemnaverunt, inauditâ etiam causâ condemnari: *Si non eſſet* (ajunt) *hic* homo *malefactor*, *non tibi tradidiſſemus eum* (*b*): Tantum illi religioni ſuæ & auctoritati temerè tribuebant. Verùm Pilatus non ita ſentiens, ſed juris ſervato ordine (quantum in ipſo eſſet) volens procedere, (quod tamen nec ipſe poſtea fecit) indignatus quodammodo: *Accipite*, inquit, *eum vos*, *& ſecundùm legem veſtram judicate*. Illi verò reſponderunt: *Nobis non licet interficere quemquam* (*c*), eo videlicet mortis genere, ſcilicet Crucis; nam lapidarunt Stephanum, & alios ſine Præſidis auctoritate, ſive decreto: Hoc autem totum, Divina diſponente providentia fiebat, *ut impleretur ſermo* prædicens, *qua morte eſſet moriturus* (*d*).

Cùm igitur neceſſarium eſſe cognoſcerent exponere, pro quibus delictis illum damnari vellent, noluerunt ei opponere crimina contra legem & religionem commiſſa, aut legis Moſaycæ non ſervata præcepta, eò quòd hæc Pilatus nihili feciſſet; ſed ea excogitarunt, quibus Romanorum jura, & majeſtas læſa videretur, & quibus Romani Magiſtratus in Jeſum magis redderentur infenſi. De tribus ergo illum accuſant, nimirum: *Hunc invenimus* primò *ſubvertentem gentem noſtram*, ſcilicet pravâ doctrinâ; ſecundò *prohibentem tributa dare Cæſari*; tertiò *dicentem*, *ſe Chriſtum Regem eſſe* (*e*): Quæ tamen omnia falſiſſima erant: Ipſe ſiquidem ſalutarem ſemper doctrinam populo tradiderat: Ipſe didrachma, inſigni illo præcedente miraculo, pro ſe & Petro ſolverat (*f*); & biduo ante fraudolenter interrogantibus Phariſæis dixerat: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari* (*g*): Ipſe demum, *cùm quærerent eum Regem facere*, *fugit in montem* (*h*); cùmque ea nocte adjuratus, ſe Chriſtum eſſe, fuiſſet confeſſus, declaravit, ſe non Regem temporalem eſſe, dicens: *Videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei*, *venientem in nubibus Cœli* (*i*).

His ergo auditis accuſationibus, *introivit Pilatus Prætorium*, *& vocavit Jeſum* (*k*). *Jeſus autem ſtetit ante Præſidem* (*l*), Creator,

(*a*) *Joann. XVIII. v.* 29.
(*b*) *Ibidem v.* 30.
(*c*) *Ibidem v.* 31.
(*d*) *Ibidem v.* 32.
(*e*) *Lucæ XXIII. v.* 2.
(*f*) *Matth. XVII. v.* 26.
(*g*) *Ibidem XXII. v.* 21.
(*h*) *Joann. VI. v.* 15.
(*i*) *Matth. XXVI. v.* 64.
(*k*) *Joann. XVIII. v.* 33.
(*l*) *Matth. XXVII. v.* 11.

tor, tamquam reus, coram creatura sua, Deus coram peccatore iniquissimo Pilato; *& interrogavit eum* de iis, quæ ad ultimam querelam affectati Regni spectabant, & dixit ei: *Tu es Rex Judæorum* (*a*)? Dominus autem rem audiens adeò in se futilem ac novam, respondit: *A te metipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Pilatus verò ait: *Numquid Judæus ego sum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?* Tum aperit Jesus, qualis Rex sit Dei Filius, & quale ipsius sit Regnum, subdens: *Regnum meum non est de hoc Mundo: si ex hoc Mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem Regnum meum non est hinc* (*b*). Sed numquid non Cœli & terræ Rex es, Domine Jesu? Es quidem; sed cùm Rex esses, in forma servi venire dignatus es, ut nos miseros servulos, Reges efficeres Cœli; innuis enim his verbis, non quidem te Regem non esse, sed Regnum tuum non terrenis aut humanis legibus constare, quò Pilato suspicionem auferas affectati a te Romanorum Regni.

Pilatus hoc audito inquit: *ergo Rex es tu? Tu* (respondit Dominus) *dicis* (*c*). Ne verò jactabundus aut superbus videatur, se prædicans Regem, cur hoc dixerit, causam addit: nimirum quia in hoc ipse in Mundum venerat, ut veritati testimonium perhiberet (*d*); suis tamen verbis fidem a Pharisæis & Scribis adhibitam non fuisse, quòd ex veritate non essent, & quos, antequam in eorum manus deveniret, ex Patre Diabolo esse dixerat, qui mendax est ab initio, & pater mendacii (*e*). Cùm igitur Pilatus eum interrogasset: *quid est veritas?* non expectato responso *exivit ad Judæos*, & Principes Sacerdotum, dicens: *Ego nullam invenio in eo causam* (*f*). Illi autem multò magis clamabant, in multis accusantes eum, confidentes in multitudine, & clamore magis, quàm in veritate. Jesus verò silet omnino, etiam provocante Pilato, ut aliquid responderet, quem sciebat posse facillimè objecta diluere, cùm ipsi de illius innocentia satis constaret. At illi ab admirabili hac mansuetudine adversùs innocentissimum Agnum magis efferebantur: Ipse verò qui sponte se morti obtulerat, verbis se tueri, cùm posset, recusabat; nobis

(*a*) *Matth. XXVII. v.* 11., *& Joann. XVIII. v.* 33.
(*b*) *Joann. XVIII. v.* 34. *& seqq.*
(*c*) *Ibidem v.* 37.
(*d*) *Ibidem.*
(*e*) *Ibidem VIII. v.* 44.
(*f*) *Ibidem XVIII. v.* 38.

nobis patientiæ in calumniis admirandum præbens exemplum. Utinam tibi, o Christiane, cùm te quispiam injuriis ac contumeliis lacessit, in mentem statim subiret, quale-nam Dei Filius tam multiplicibus & gravibus calumniis responsum reddiderit; ipso etiam Pilato admirante (a) mansuetum ejusdem silentium & mortis contemptum, nec ei indignante quia sileret, & se Regem dixisset; quod Caypham mirè ad iracundiam provocaverat (b). Judæi validiùs clamare aggrediuntur: *Commovit populum per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc* (c), addentes Galilæam, ut eum in majorem suspicionem seditiosi hominis inducerent: prodierant quippe aliàs complures ex Galilæa seditiosi homines, ùt Judas Galilæus, & Theodas (d); ita ut Patria illa contra Christum etiam non leve faceret indicium. Pilatus verò libenter judicio se se eximere cupiens, audiens, quòd de Galilæa esset, arbitratus se hinc opportunitatem nactum, Jesum *ad Herodem remisit* (e). Verùm iniquissimè egit, eum non liberans, quamvis comperisset ac testatus fuisset esse innocentem, sed ad tyrannum remittens: hoc ipso etiam Judæis occasionem tribuens, magis in Christum Dominum insaniendi.

Herodes, viso Jesu, gaudet plurimùm; erat enim ex multo tempore cupiens eum nosse, & videre aliqua ab ipso edi miracula, quorum fama ad illum pervenerat (f). Etiam impii, dulcissime Domine, in tuo gaudent aspectu, licèt ligatum, & illusum, ac inter satellites veluti latronem te videant. Quale ergo mihi erit gaudium, si te in Cœlo gloriosum & triumphantem intueri meruero! Superat longè tuî visio jucundissima omnes mundi, & Cœli delicias, ac voluptates; in ea quippe omnis felicitas nostra consistit. Sed gaudebat ex curiositate Herodes; ideo parum ei profuit, quòd te viderit, licèt inde salutis suæ procurandæ occasionem debuisset arripere. Itaque nec miracula vidit, nec ullum a Domino responsum accepit (g), cùm illa non pro vindicanda propria innocentia, nec ad suî commodum, sed pro Patris gloria, & nostra salute Christus facere consuevisset; curiosos verò in primis scrutatores majestatis,

(a) *Matth. XXVII. v. 14.*
(b) *Ibidem XXVI. v. 62.*
(c) *Lucæ XXIII. v. 5.*
(d) *Act. Apost. V. v. 36. & 37.*
(e) *Lucæ XXIII. v. 7.*
(f) *Ibidem v. 8.*
(g) *Ibidem v. 9.*

Deus habeat exosos. Cùm autem in multis accusaretur, nihilque umquam accusatoribus, vel Herodi Dominus responderet, tamdem *sprevit illum* impius tyrannus; cui cùm rem gratam adulatores illius ministri se facturos agnoscerent, quis dubitet, quin mille Christo modis indignissimè illuserint? In contemptum verò eum tamquam stultum & amentem etiam existimans Herodes, *veste alba indutum*, *ad Pilatum remisit* (*a*). *Obstupescite Cœli*, *& portæ ejus desolamini vehementer* (*b*), quia Dei sapientiam, Deum ipsum, vilissimus vermis stultum reputavit, ùt stultum pessimè habuit; stultitia enim Mundi, sapientia est apud Deum (*c*). Utinam èt nos sic propter Christum stulti reputemur! tunc siquidem verè sapientissimi essemus, æternæ Sapientiæ magis conformes effecti. Hac tamen ipsà injurià, licèt indignissimà, reddidit innocentiæ Christi non exiguum testimonium Herodes, cùm *nihil morte dignum* ei mandaverit fieri (*d*). Nec vestis hæc vacat mysteriis; quantum enim se se pro nobis Dei Filius demisit in terris, tantum etiam exaltari meruit in Cœlis. Meruit itidem nobis, ut nos Reges efficeret; illa enim alba vestis non modò ipsius designabat innocentiam, sed etiam verum Regem ipsum esse (licèt Mundo ignotum) apertissimè prædicabat; nobisque per eam, immortalitatis vestem Dominus acquisivit.

Remisit ergo *eum* Herodes *ad Pilatum*, *factique sunt in ipsa die amici* (*e*), ut quod Propheta prædixerat, ad unguem adimpleretur: *Astiterunt Reges Terræ*, *& Principes convenerunt in unum adversùs Dominum*, *& adversùs Christum ejus* (*f*). In hoc quippe nunc etiam Judæos cum Gentilibus convenire animadvertimus, ut Christi religionem contemnant; qua concordià quid iniquius, cùm solùm tendat in malum, malum solummodo quærat, & soli malo innitatur? Nec mirum, si èt iniqui reconciliantur in Christo; erat quippe naturà suà *Christus pax nostra* (*g*), & reconciliatio, licèt illi, desumptà ab ipso occasione, in illius perniciem reconciliarentur.

Ita verò Salvator noster innocentissimus ad tam multa Tribunalia pertractus, multis Judicibus, Scribis, & Turbis est spectaculum factus, ubique apud omnes illusus, contemptus, & plurima

(*a*) *Lucæ XXIII. v.* 11.
(*b*) *Jerem. II. v.* 12.
(*c*) *I. ad Corinth. III. v.* 19.
(*d*) *Lucæ XXIII. v.* 15.
(*e*) *Ibidem v.* 11. *&* 12.
(*f*) *Psalm. II. v.* 2.
(*g*) *Ad Ephes. II. v.* 14.

rima passus apud Annam & Caipham, apud Herodem & Pilatum; unde æquum fuit etiam, ut a quatuor Evangelistis, ejus gloria & majestas Mundo innotesceret, cujus vita improperiis & contumeliis apud quatuor iniquissimos Judices exposita fuerat. Quæ quidem licèt gravissima fuerint, sunt tamen nulla, si cum iis conferantur, quæ, ùt modò audietis, ipse a Pilato pertulit, qui de cetero ei maximè omnium favere videbatur. Hactenus verbis & sputis actum est tecum, mansuetissime Jesu; nunc ad verbera, ad spinas, ad sanguinem transitus fiat.

Probè noverat Christi innocentiam Pilatus; quam èt sæpius testatus fuerat; idcirco quæcumque se se offerret occasio eum liberandi, ab ipso non intermittebatur. Et hæc illi optima visa fuit, quòd ad Herodem transmissus, remissus etiam esset, quin aliquid morte dignum illi actum fuisset. *Emendatum igitur*, inquit, *illum dimittam* (a), ut rabido Judæorum odio aliqua ex parte, si posset, satisfaceret. Sed Judæorum sævitia veluti hydra implacabilis, nullâ umquam ratione potuit sedari, omnesque conatus irriti fuerunt; quin potiùs obfuit Salvatori nostro (quæcumque fuerit) Pilati misericordia; nam cùm dirè ad placandos Judæos flagellis dilaniatus fuisset, nec quidquam veniæ apud illos esset consecutus, præter mortem, etiam flagella est passus; quæ non pertulisset, cùm illum tantùm crucifigi postularent Judæi. Itaque ab omnibus omnium generum hominibus pati Dominus voluit, & sibi non minus obesse Judæorum invidiam ac crudelitatem, quàm Pilati clementiam atque misericordiam.

Aliam igitur adhuc occasionem liberandi Dominum optimam nactus Pilatus, uti proficuam admodum adhibuit. Mos tunc erat, ut in Pascha liceret Judæis petere, sibi dari unum ex iis, qui in carcere detinebantur, quemcumque maluissent. Pilatus, cùm multos haberet in vinculis, non expectans, ut ipsi quemquam peterent, ex omnibus scelestiorem proposuit Barabbam quemdam, seditiosissimum virum, cujus omnibus erant nota facinora; existimans, quòd propter istius improbitatem eum liberum dimitti numquam essent petituri. Barabbam igitur, & Jesum proposuit: quod tamen iniquum admodum turbis ipsis visum fuit, cùm in aliquas angustias se dejici viderent. Itaque diu ancipites deliberabant, quis ex iis esset petendus. Inclinabant in Jesum; sed Principes Pharisæorum & Scribæ congregantes

(a) *Luca XXIII. v. 16.*

tes turbas, *persuaserunt*, *ut peterent Barabbam*, *Jesum verò perderent* (*a*). Interim verò aliud etiam testimonium redditur innocentiæ Christi ab Uxore Pilati, quæ a Deo potiùs monita, quàm a malo spiritu, ad Maritum misit, dicens: *Nihil tibi, & justo illi* (*b*). Iterum ergo petente Pilato, quem vellent e duobus sibi dimitti, acclamare omnes cœperunt: *Non hunc:* sed *tolle hunc*, *& dimitte nobis Barabbam* (*c*); duo requirentes, nempe Jesum tolli, & Barabbam dimitti.

O infelicissimæ Turbæ, qualem vestro Messiæ intulistis injuriam! *Virum sanctum & justum negastis*, *& petistis virum homicidam donari vobis: Auctorem verò vitæ interfecistis* (*d*). Nec mirum, si vos homicidæ, homicidam petistis; si *ex patre Diabolo cùm essetis*, *qui ab initio homicida fuit* (*e*) & seditiosus, scelestissimum seditiosum, Dei Filio prætulistis: Sic, cùm jam Christum in Patris nomine ad vos venientem recipere nolueritis, recipietis tamen postea Antichristum, in proprio nomine venientem. Sed nec decebat, ut occasione Festi Paschatis liberaretur Agnus Paschalis, qui pro nobis omnibus tunc erat immolandus. Moritur ergo innocens, liberatur seditiosus; ille exolvit, quod iste rapuit (*f*). Heu! quia nos Barabbas sumus; nos mortis eramus rei, nos seditiosi, nos debitis obstricti: Ipse verò innocens, quid mali fecerat? Sed voluit nostra debita exolvere, & sua nos damnatione ab æterna morte eripere. Quid ergo Judæis succenseam? Tu Pater æterne, tu, inquam, Barabbam Filio tuo prætulisti; tu, ut servum redimeres, Filium tradidisti; tu *sic nos dilexisti*, *ut Unigenitum Filium tuum* pro nobis *dares* in mortem (*g*). Verùm utinam nos quotidie indignissimam hanc commutationem non renovaremus! Quid est, o avare, lucrum & pecunias justitiæ anteponere? quid est, o libidinose, carnis illecebras & voluptates Divinis præferre præceptis? quid est, o iracunde, honori tuo Dei honorem postponere; nisi Barabbam amplecti, Barabbam liberare, & Christum rejicere, Christum denuo crucifigere? Et utinam peccatum tuum non sit gravius Turbarum peccato! illæ enim ignorantes fecerunt, suadentibus Principibus; & Christum scelesto quidem, sed homine, commutarunt: tu verò utinam Christum non commutares re multò viliori, quàm homine, nempe exiguo lucel-

(*a*) *Matth. XXVII. v.* 15. *& seqq.*
(*b*) *Ibidem v.* 19.
(*c*) *Lucæ XXIII. v.* 18.
(*d*) *Act. Apost. III. v.* 14. *&* 15.
(*e*) *Joann. VIII. v.* 44.
(*f*) *Psalm. LXVIII. v.* 5.
(*g*) *Joann. III. v.* 16.

lucello, sordidissimâ voluptatulâ! Utinam vilissimas quasque creaturas Dei Filio non præponeres!

Redit iterum ad Judæos Pilatus inquiens: *Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?* At illi iterum succlamabant: *Crucifigatur; crucifige eum. Quid enim* (subdit Judex) *mali fecit* (*a*)? *Nullam causam mortis invenio in eo: Corripiam ergo illum, & dimittam* (*b*). Sed ego tibi, o Pilate, innumeras *mortis causas invenio*; sunt enim omnium hominum peccata, causa mortis in Christo: in *ipso* namque *posuit Dominus iniquitates omnium nostrûm* (*c*). At hæc audientes Judæi, *instabant vocibus magnis, postulantes, ut crucifigeretur* (*d*).

Tunc apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit (*e*); tum quia mos hic esset apud Romanos, ut crucifigendi flagellis priùs cæderentur (*f*); tum etiam ut experimentum faceret, an aliqua ex parte satiari hac pœna possent Judæi, illiusque extremo parcerent supplicio: Quocirca etiam crudeliùs solito flagellari eum præcepit, ut ejusdem hostes ad misericordiam magis incitarentur. Sed quid bone Jesu jam ages, dum te Judex præcipit diris verberibus cædi? An flagella recusabis? Erunt hæc quidem acerbissima; sed multò his duriora sunt flagella Divinæ iræ, nobis debita, quæ tibi Pater parat infligere. *Ego autem*, o Anima, *in flagella paratus sum* (*g*); ad hoc veni in mundum, ut quæcumque tu rapuisti, in corpore meo persolvam; *adversùm me lætati sunt, & convenerunt* Judæi: *congregata sunt super me flagella, & ignoravi* (*h*), non quòd quidquam horum mihi absconditum fuerit, sed quo ad ipsos *ignoravi*. Putabant ipsi, hæc se mihi nescienti machinari; ea autem omnia longè antea prævideram, imo ad hæc ipsa ferenda descenderam. Sed jam video, Salvator animæ meæ, quòd tu peccatum non feceras, licèt ad flagella damneris; nam èt Herodes hoc vidit, hoc Pilatus multoties est testatus, de hoc ejusdem Uxor divinitus monita fuit, te prorsus esse innocentem: Verùm *vulneratus es propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra* (*i*). Mili-

(*a*) *Matth. XXVII. v. 22. & 23.*
(*b*) *Lucæ XXIII. v. 22.*
(*c*) *Isaiæ LIII. v. 6.*
(*d*) *Lucæ XXIII. v. 23.*
(*e*) *Joann. XIX. v. 1.*
(*f*) In Supplemento ad Gronovium & Grevium, a Sallengre collecto, Tom. III. legitur Commentarius *de Judiciis & Pœnis Romanorum*, Auctore H. F. Salomone, Senatus Aquitanici Præside, in quo Libro I. Cap. XI. hæc habentur: „ Duratio pœnæ considerabatur in „ Cruce, quia traducebatur Cruciarius per Urbem, virgis, flagris, aut scorpionibus vel „ loris cæsus. Flagella erant asperrima, adeò „ ut scripserit Ulpianus, multos sub flagellis „ occubuisse, cùm insertis ossiculis aut clavis „ asperarentur. Infamiæ magnitudo ex eo in„ telligebatur, quòd per compita & vicos Cru„ ciarius ferale lignum circumferebat, & suffi„ xus a cunctis adspiciebatur.
(*g*) *Psalm. XXXVII. v. 18.*
(*h*) *Psalm. XXXIV. v. 15.*
(*i*) *Isaiæ LIII. v. 5.*

Milites ergo Jeſum apprehendentes, ſive Pilati permiſſu, ſive militari quadam licentia, ut Judæorum benevolentiam captarent, diverſimode Regem gloriæ cœperunt affligere, eique illudere: quæ profectò ſine maximo doloris ſenſu nequeunt enarrari. Hujuſmodi probrorum & cruciatuum novem genera adhibita fuere: Primò enim cohortem convocarunt, quaſi ad ſpectaculum, quod ipſis foret jucundiſſimum. Secundò coram tot hominibus etiam viliſſimis, veſtibus eum denudarunt, qui pudor fuit graviſſimus, licèt in Chriſto non adeſſet caro pudenda, cùm ea numquam Spiritui rebellis fuiſſet. Tertiò irridentes, veſte coccinea illum induerunt; veſte Imperiali, inquam, aut Regali, juxta militum Romanorum morem (*a*). Quartò coronam ſpineam capiti ejus impoſuerunt, huic perfidæ irriſioni acutiſſimum dolorem addentes; duriſſimæ enim illæ ſpinæ, non modò cutem totam perforabant, ſed oſſa ipſa transfigebant, ac ſanguine ex omni parte defluente, ſacratiſſimum Chriſti vultum & corpus rigabant. Quintò arundinem in ejus dextera collocant, veluti ſceptrum Regale. Sextò illudentes, genua flectebant, ei dicentes: *Ave Rex Judæorum*. Septimò conſpuebant. Octavò alapis illum plurimis cædebant, ùt ex magno militum, qui illic aderant, numero conjici poteſt. Nonò caput arundine eâdem percutiebant, ſpinas venerandæ ejus Divinæ cervici altiùs infigentes (*b*). O ſacroſancta ludibria pro me ſuſcepta! o Chriſtianorum omnium inæſtimabiles theſauri! Quis mihi det, ut quæ in vobis latent arcana myſteria intelligere poſſim? Detege tu, qui ea pertuliſti Domine, tu enim ſolus hæc omnia noſti. Veſtis, qua primò exutus fui, Divinitatis fuit Majeſtas & gloria, quam ſponte ipſe exuiſſe ſum viſus; *cùm* enim *in forma Dei eſſem, exinanivi memetipſum, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo* (*c*). Chlamys coccinea, veſtra peccata fuerunt, o homines, rubra quaſi coccinum & vermiculus; quæ ego ſuſcepi, ut ſanguineos colores veſtros ſanguine meo expiarem. Hoc fuit Martyrium ſimul & triumphus in effuſo meo ſanguine; quem admirabatur Propheta dicens: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in mul-*

(*a*) Julius Cæſar Bullengerius deſcribens Imperatorum veſtes, Libro II. Cap. IV. ait, Inſigne proprium & peculiare eorumdem fuiſse *purpuram*, ſicuti etiam Regiæ & Sacerdotalis Dignitatis; primum autem ex Regibus Tullum Hoſtilium Romæ uſum eâ fuiſſe, ut Caſſiodorius teſtatur in Chronico.

(*b*) *Matth. XXVII. v. 27. & ſeqq.*

(*c*) *Ad Philipp. II. v.7.*

multitudine fortitudinis: Torcular ego *calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum* (*a*)*: hac veste aspersa sanguine*, me Joannes dilectus discipulus meus vidit indutum (*b*). Spinæ acriores iis, quibus caput meum operiebatur, erant peccata tua, o homo, quibus anima mea discerpebatur; illa, inquam, peccata, quæ de maledicta cordis tui terra germinarunt (*c*): sed spinæ illæ meæ coronam tibi immortalitatis promeruerunt. Arundo, fuit sceptrum meum; Crux enim, quam amplexus sum, licèt infidelibus videatur infirma, potentissima tamen est, in qua ego debellavi omnes inimicos meos, & tuos, universumque terrarum orbem Fidei meæ imperio subegi: Hæc, inquam, arundo, virga est, de qua Propheta prædixerat, quòd *recturus essem gentes in virga ferrea, & tamquam vas figuli confracturus eas* (*d*). Verè tu Domine, Rex es gentium, verè tu Rex Cœli & terræ; quamvis ironicè ab his hodie Rex salutatus, quamvis a Mundo non agnitus, neque receptus. Sed quàm differs a Regibus terræ; quàm dispar est corona capitis tui, & sceptrum dexteræ tuæ! O Jacobe & Joannes, venite & videte, quale sit *Regnum* Christi, in quo vos *sedere* ambiebatis, *unus ad dexteram, alter ad sinistram* (*e*). Accedite omnes Reges ac Principes terræ; aspicite, quales sint deliciæ, quales pompæ Regis vestri: & erubescite vilissimi vermes. Accedite superbi omnes & elati; vos enim estis, qui spinis Christi caput perforastis. Proh dolor! Et audemus permittere, ut quispiam nos Christianos appellet? Annon gravissimam Christo inferimus injuriam, quotiescumque nos ipsius Discipulos vocare præsumimus? O Mulieres, videte Christi caput; num spinæ eidem infixæ vestris crinibus contortis, vestris ornamentis sint similes: Et speratis, partem cum Christo vos habituras, quæ tam apertè factis Christo contradicitis?

Dominum Jesum adeo dirè habitum, & totum sanguine respersum, Pilatus ad Judæorum animos commovendos, foras produxit, ut agnoscerent, quia nullam in eo inveniret causam, dicens: *Ecce homo* (*f*). O peccator, (sim jam ego Pilatus): *Ecce homo:* Ad Deum timuisses accedere? *ecce homo*. Cur eum non imitaris? Cur èt tu ipsius Crucem non amplecteris? Cur èt tu per viam tribulationum & Crucis non vis incedere? Quid dicis?

(*a*) *Isaiæ LXIII. v. 1. & 3.*
(*b*) *Apocalyps. XIX. v. 13.*
(*c*) *Genes. III. v. 17. & 18.*
(*d*) *Psalm. II. v. 9.*
(*e*) *Matth. XX. v. 21.*
(*f*) *Joann. XIX. v. 4. & 5.*

dicis? Ipſe erat Deus; *ecce homo* eſt. Triginta & octo annos jam in peccati paralyſi perſeveraſti, non poteris amplius dicere, *hominem non habeo, qui, cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam* (*a*). *Ecce homo:* Ecce Deus pro te factus homo: Et qualis homo, imo potiùs monſtrum; jam enim *non eſt ei* humanus *aſpectus* (*b*); jam talis eſt factus, qualem ſi videremus etiam canem, non poſſent viſcera noſtra non commoveri.

Et tamen non commoventur Judæi, ſed creſcit eorum rabies, qui magis Chriſti ſanguinem ſitiunt, quàm lupi fame confecti: Ovis manſuetiſſimæ carnibus ſaturari cupiunt; nam altiſſimis vocibus rurſus eum poſtulant crucifigi. Sed teſtimonium adhuc innocentiæ ejus reddit Pilatus dicens: *Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo cauſam* (*c*). Obſtinatiſſimi perſiſtunt Judæi in ſententia, eum crucifigi ſive jure, ſive injuria volentes; & ad legis ſuæ mandata confugiunt. *Nos*, inquiunt, *legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit* (*d*), quaſi blaſphemus fuiſſet. At in hoc etiam hallucinantur: nam ſi blaſphemiæ reus erat, non in Crucis patibulo occidi debuerat ſecundùm legem, ſed lapidibus obrui (*e*). Et profectò hi neſcientes, altera ex parte verum dicebant, quòd mori deberet, *quia ſe Dei Filium feciſſet;* erat enim ab æterno hoc ſtatutum, & a Sanctis Prophetis prædictum, debere Dei Filium pro hominibus mori. Hoc autem Pilatus audiens, *magis timere cœpit*, ne is, quem innocentiſſimum videbat, Dei Filius eſſet:

Et ingreſſus iterum Prætorium ita Jeſum interrogavit: *Unde es tu? Jeſus autem reſponſum non dedit ei* (*f*), jam enim nota erat Pilato ipſius innocentia, quam toties fuerat teſtificatus, unde ſupervacaneum Domino videbatur, ei ultra reſpondere; præterquam quod priùs etiam reſponderat: *Regnum meum non eſt de hoc Mundo*, & ſciebat nihilominus obſtinationem & furorem Judæorum apud Pilatum prævaliturum. Ob hæc omnia ſiluit Dominus Jeſus: atque inſuper, ne videretur, ſe laborare ut Crucem effugeret; imo ut manifeſtum omnibus fieret, quòd ultro & ſponte mortem amplectebatur. Tum Pilatus: *Mihi*, inquit, *non loqueris?* Mihi viro tantæ auctoritatis & poteſtatis; qui tanto

(*a*) *Joann. V. v. 7.*
(*b*) *Iſaiæ LIII. v. 2.*
(*c*) *Joann. XIX. v. 6.*
(*d*) *Ibidem v. 7.*
(*e*) *Levitic. XXIV. v. 16.*
(*f*) *Joann. XIX. v. 8. & 9.*

to ſtudio conatus ſum te libertate donare? *Neſcis quia poteſtatem habeo dimittere te, & crucifigere te* (*a*)? O Pilate jam contra te ipſum profers ſententiam. Putas-ne, a tanto crimine te excuſatum iri, cùm manus lavabis? Ah falleris miſer! Jam tuis te verbis convinco. Si *poteſtatem habes dimittere* Jeſum, cujus innocentiam toties publico teſtimonio confirmaſti, cur non dimittis? cur poſtea trades Judæorum voluntati? Sed arrogans & præſumptuoſa fuit in te, & eſt in quolibet Judice hæc vox; non enim eſt in Judicis arbitrio aut poteſtate, quempiam abſolvere, vel condemnare; habet enim æquus Judex manus, juribus legibuſque conſtrictas: Et tamen quàm multi ſe non Judices, ſed legum conditores ac dominos eſſe exiſtimant; non attendentes quid jura præſcribant, ſed habentes pro ratione voluntatem! Per hanc ego Pilati injuſtitiam, quam contra te iniquiſſimus Judex exercuit, bone Jeſu, Judices tibi hodie omnes commendo. Aperi tu eorum oculos, ut videant, quàm ſit eorum circumſcripta auctoritas, & quàm ſint legibus obſtricti; ne quidquam audeant, niſi ad legum præſcripta ſtatuere, vel deliberare. Errabas manifeſtiſſimè Pilate, tantæ te poteſtatis eſſe reputans; nam præterquam quòd in univerſum hoc omnino veritati obſiſteret, ſigillatim tamen in Chriſto nullam habebas poteſtatem, cujus longè majus erat omni humana poteſtate imperium. Audivit hoc Jeſus, nec jam ſilere ampliùs debuit ad tam ſuperbam & arrogantem vocem, a viliſſima creatura coram Rege gloriæ prolatam. (Es enim tu Domine Jeſu ſuperborum inimicus acerrimus; derogant hæc Pilati verba Patris tui poteſtati, quam ille non agnoſcit, ſed ſibi attribuit: idcirco tuère Patris honorem):

Non haberes, inquit Jeſus, *poteſtatem adversùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper* (*b*); non enim coactus morior, ſed ſponte, quia ſic Patri meo complacuit, cum quo unius ſemper ejuſdemque extiti voluntatis. Tu verò ab ipſo tantùm in me hæc exercere permitteris, quia *hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum* (*c*); nec ſolùm in me nihil potes, quia innocens ſum, ſed quia omni humana poteſtate ſuperior. O laici domini, & Seculi Principes, ad vos Dominus verbis his loquitur: Non habetis ullam in Eccleſiaſticos viros poteſtatem; nullum vobis in ipſos

(*a*) *Joann. XIX. v.* 10.
(*b*) *Ibidem v.* 11.
(*c*) *Lucæ XXII. v.* 53.

ipſos jus competit. Nolite in alienam meſſem manus injicere: Ipſi veſtri ſunt Judices; vos oves eſtis & pedes; ipſi Paſtores, & ſuperiora myſtici Corporis Chriſti Eccleſiæ membra. Non eſt vobis data deſuper tanta auctoritas, ut in ipſos animadvertatis; veſtræ potiùs auctoritatis moderatrix eſſe debet Sancta Mater Eccleſia, voſque ab illius arbitrio opus eſt omnino pendère.

Propterea, (o Pilate Chriſtum audi) *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* (*a*). Non certè culpâ tu cares, & quidem graviſſimâ; neque enim poſſum ego, qui veritas ſum, veritatem reticere: Sed Judæi, qui me tradiderunt, multò graviùs, quàm tu, peccarunt. Quibus umquam lenioribus verbis, beniġniſſime Domine, alloqui potuiſſes eum, a quo tunc tam dirè flagellandus traditus fueras! In hoc tamen, ſicuti in ceteris, hic tuus erat ſcopus, ne ſcilicet videreris ambire, ut a ſuppliciis eximereris.

His omnibus permotus *Pilatus*, *exinde quærebat dimittere eum* (*b*). Tribunal ſolemne & publicum conſcendit, qui locus dicebatur græcè *Lithoſtrotos*, eò quòd eſſet lapidibus ſtratus, vel *Gabbatha*, quòd eſſet altus & conſpicuus, ne quemquam Chriſti Domini innocentia poſſet latère. Judæi verò Pilatum aggrediuntur expugnandum ex ea parte, qua ipſum noverant eſſe infirmiorem, clamantes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: omnis enim, qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari* (*c*). Validior fuit apud Pilatum vox iſta, quàm omnis Chriſti innocentia. O utinam multos jam non haberent hæc tempora Pilatos, qui Deo præferunt hominum gratiam! Quàm multi plura piè operarentur, niſi eos a bene agendo Mundi vel hominum reſpectus retraheret! Sed juſtè in hoc, ob quod peccavit, punitus fuit Pilatus; nam apud Cæſarem accuſatus, exilio mulctatus eſt, in quo extremum vitæ ſuæ diem infeliciſſimè clauſit (*d*), Dei & Cæſaris gratiâ deſtitutus. Hic ergo pro Tribunali ſedens ad Judæos ait: *Ecce Rex veſter: illi autem clamabant: tolle, tolle, crucifige eum. Non habemus Regem, niſi Cæſarem* (*e*). Ergo jam Meſſiam tamdiu expetitum recu-

(*a*) *Joann. XIX. v.* 11.
(*b*) *Ibidem v.* 12.
(*c*) *Ibidem*.
(*d*) Euſebius in Hiſtor. Eccleſiaſt. Libro II. Cap. VII., juxta verſionem Henrici Valeſii, ita ſcriptum reliquit: „ Neque verò illud prætereundum eſt, Pilatum ipſum, qui Servatorem noſtrum morti addixit, poſtmodum imperante Cajo, cujus nunc tempora proſequimur, in tantas incidiſſe calamitates, ut mortem ſibi conſciſcere, ſuorumque ipſe ſcelerum vindex eſſe coactus fuerit: Divinâ ſcilicet juſtitiâ in illum, ùt par erat, ſæviente.
(*e*) *Joann. XIX. v.* 15.

recuſatis? Nemini jam ſubeſſe vultis, niſi Cæſari? Cæſaris ergo tyrannidem ſponte ſuſcepiſtis? Sed tanta erat in vobis concitata iræ & invidiæ flamma, ut omnibus licèt crudeliſſimis Tyrannis ultro potius vos ipſos ſubjicere parati eſſetis, modò crucifigeretur Chriſtus. Et ecce judicium Dei ſuper vos manifeſtiſſimum: cùm enim liberi eſſe poſſetis, *qua libertate* venerat *Dei filius vos liberare* (*a*), ſervire maluiſtis, & ideo ſervitis, & in perpetuum ſervi eritis: *Noluiſtis benedictionem, & elongata eſt a vobis: dilexiſtis maledictionem, & ecce venit vobis* (*b*).

Pilatus itaque videns, quòd non poſſet furorem Judæorum ſedare, multa etiam pro Chriſto a ſe peracta exiſtimans (pro quo tamen mori potius debuiſſet, quàm in eum mali quidquam ſtatuere) veritus Cæſaris odium, publicè verbo & facto proteſtatus eſt Chriſti innocentiam, manus ſuas lavans, & dicens: *Innocens ego ſum a ſanguine Juſti hujus: vos videritis* (*c*). Sed videris etiam tu, imo jam vides, ſceleſte, an tunc innocens fueris. Et ubi in te illa animi conſtantia, & legum ſervandarum inviolabilis firmitas, quæ Judicem decet? Ergo, ut hominibus placeas, effundendum ſanguinem juſtum putaſti? Ah miſer!

Sed longè miſeriores Judæi clamant: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros* (*d*). Ah crudeliſſimi in veſtros etiam filios! Saltem, ipſis prætermiſſis, tot pœnas in vos ſolummodo deprecaremini! Ecce quia venit *ſuper vos* hic *ſanguis*; quia quæcumque Chriſto intuliſtis, eadem vos etiam, & graviſſima paſſi eſtis, cum poſteris veſtris; ſciſſum eſt enim, & ablatum a vobis Sacerdotium; velati oculi veſtri, ne Scripturas intelligatis (*e*); *facti eſtis opprobrium vicinis veſtris* (*f*), & cunctis gentibus; ſubverſa eſt Synagoga veſtra; facti eſtis omnibus populis vectigales; & ſpreto vero Meſſia, alium, qui numquam venturus eſt, expectatis. Juſto Dei judicio, ſicut Pilati Idololatræ deprecatione, ablata eſt ultio ſanguinis Chriſti a populo Gentili; ita Judæorum imprecatione recidit illa in populum Judaicum. Perſeverat enim uſque in præſentem diem hæc imprecatio ſuper Judæorum filios, & ſanguis Domini non auferetur ab eis. Verumtamen ſicut Pilatus ultionis deprecatione non penitus a ſe ſanguinem Domini avertit (nam èt ipſe juſto Dei judicio di-

(*a*) *Ad Galat. IV. v.* 31.
(*b*) *Pſalm. CVIII. v.* 18.
(*c*) *Matth. XXVII. v.* 24.
(*d*) *Ibidem v.* 25.
(*e*) *Ibidem XIII. v.* 13. *& ſeqq.*
(*f*) *Pſalm. XXX. v.* 12.

gnam pertulit ultionem, qui a ſanguine Domini non erat, ſicut videri volebat, innoxius); ita Dei miſericordià, quæ clementior fuit in Judæos, quàm iſti in ſe ipſos fuerint, effectum eſt, ut illorum imprecatio non in omnes firmaretur; multi enim ex eis, eorumque filiis poſtea per pœnitentiam converſi ſunt ad Dominum.

Securitate hac & cautione a Judæis accepta, tamdem Pilatus Salvatorem noſtrum *tradidit Judæorum voluntati* (*a*): manſuetiſſimum Agnum lupis feriſſimis dilaniandum conceſſit; poſuit Chriſtum Dominum noſtrum direptioni: Sicut enim caſtellum a militibus & hoſtibus captum diripitur, & in illa expugnatione & direptione, nulla eſt in militibus pietas, nulla miſericordia, ſed hic dejicit, ille extollit, quidam frangit, alter pedibus conculcat, unus rapit, alius ſecum affert, omnes demum truculento vultu cuncta furibundis clamoribus implent; ſic latà a Pilato horribili illa, immaniſſima atque injuſtiſſima ſententia, ut Chriſtus crucifigeretur, & Judæorum voluntati traderetur, omnes in eum irruerunt, & impetum fecerunt. Hic eum alapis cædebat, ille crines evellebat; quidam eum dejiciebant in terram; alii pedibus conculcabant; quidam ſputis pretioſiſſimam & pulcherrimam ejus faciem deturpabant; alii barbam convellebant, in manibus eam aſportantes; omnes denique vociferabantur, impiam exercentes immanitatem, & innocentiſſimum Agnum ad crudeliſſimam & acerbiſſimam mortem trahentes. Quid plura? Fuit Deus noſter commiſſus direptioni, & voluntati ſuorum hoſtium traditus, & in medio luporum mitiſſimus Agnus conſtitutus. Quid umquam ſub Sole factum fuit indignius? Quod fuit umquam tam impium facinus? Viciſti tamdem, maledicta invidia; obtinuiſti, quod tamdiu optaveras peſſima obſtinatio. Ecce Agnus, cujus ſanguinem tamdiu ſitiſti; diſcerpe jam, comede, dilania, ſaturare, bibe, inebriare. O feliciſſimam nobis Judæorum contumaciam, quæ tot nobis theſauros impertivit, quæ tales nobis ſanguinis fontes aperuit! Fateor profectò, o Judæi, multum me debere pertinaciæ veſtræ, illis veſtris toties geminatis acclamationibus *crucifige*, *crucifige*; vobis denique ipſis, quibus veluti inſtrumentis uſus eſt Omnipotens Dominus, ut me e peccati, Dæmonis, ac Inferni faucibus liberaret. Ecce, Domine, ex tam atroci iſtorum peccato, quàm grandia bona eli-

(*a*) *Lucæ XXIII. v. 25.*

elicuisti, totius videlicet Mundi reparationem! Sed jam ad finem tamdem accedamus, & qua ratione innocens hic Agnus a lupis fuerit dilaniatus, inspiciamus.

PARS QUARTA.

Verùm non tu Pilate *Jesum voluntati eorum tradidisti* (*a*), neque enim *potestatem adversùs ipsum ullam habuisses, nisi tibi datum fuisset desuper* (*b*). Nec vos, o Judæi, illum ducitis, seu trahitis; sed sponte vadit, sed Pater ipsum mittit ac ducit. Egregiè profectò hoc designavit insigne illud Abrahæ, & Isaac ejus filii factum, æternâ hominum memoriâ dignum: Cùm *Abraham de nocte consurgens stravit asinum suum: ducens secum duos juvenes, & Isaac filium suum;* & cùm pervenisset ad montem Moria, jussis pueris suis *expectare*, *tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem, & gladium* (*c*). Statutum fuerat ab æterno, ut prope montem hunc ipsum, unigenitus Patris pro nostra omniumque salute immolaretur, & in holocaustum acceptabile offerretur. Et ecce quia hodie egreditur ipse, & *ligna holocausti* super humeros suos defert, Crucem nempe, in qua erat immolandus, & Patri offerendus. Sequitur Pater filium, altera quidem manu deferens Justitiæ *gladium;* altera verò caritatis *ignem:* hæc enim duo ei mortem attulerunt. Justitia illum tradidit morti, caritas in homines eum totum concremavit. Ad Sacrificium ergo filius pergit hoc modo: Verumtamen in hoc uno distat Christi Sacrificium a veteri Abrahæ, quòd Patrem hic videre non valemus, sed eos tantùm, quos adhibet, ministros.

Isti ergo, accepta jam a Judice optatissima facultate, nil aliud diligentiùs curant, quàm ut Christum Dominum vitâ quamprimum expolient, nec ullam pati queunt moram, aut temporis dilationem; timentes etiam, ne Paschali Festo præoccupentur, ac voti compotes fieri prohibeantur. Primùm igitur exuunt eumdem clamyde coccinea, & propriis induunt vestimentis, gravissimam Crucem humeris ipsius imponentes. Hoc ei fuit non tam ignominiæ quàm doloris gravissimi argumentum; convenerant enim ex omnibus finitimis Regionibus Jerosolymam quamplu-

(*a*) *Lucæ XXIII. v.* 25.
(*b*) *Joann. XIX. v.* 11.
(*c*) *Genes. XXII. v.* 3. *& seqq.*

plurimi ad diem festum, tum etiam ut spectaculo huic tam novo interessent: novo quidem, propter genus mortis, Reis non crebrò inflictum; sed multò magis novo, propter illum qui Cruci affigendus erat, cujus fama mirum in modum gentes eas pervaserat. Jam te, benignissime Domine, verum hominum, quos redemisti, Principem agnosco; nunc enim *factus est principatus tuus super humerum tuum* (*a*). Jam Regni tui sceptrum ipse gestas, quod non multò post in Regum etiam coronis fulgebit, & hominum frontibus imprimetur: Illud etiam defers, quia sponte suscepisti; imo si quod inter tot dolores solatium habuisti, (quo tamen penitus tibi carere placuit) hoc unum tibi exultationi maximæ fuisse, affirmare auderem; te nempe ita voti compotem factum, ut non ampliùs anxio animo dicas: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur* (*b*)? Audio ego te enixius, quàm Andream, tuosque alios Servos, in Crucis amplexus & oscula præcurrentem, ac ex intimo corde dicentem: Salve Crux, tamdiu mihi desiderata; salve gaudium & corona mea, nobilissimum vexillum meum, thronus & stratum meum: Salve Arca, in qua homines a morte eripiendos recipiam: Te mihi nihil gratius, nihil dulcius, nihil jucundius: quàm magnos ego fructus miseris mortalibus sum in te producturus! In te Patris ego obsequar voluntati; in te Deo ablatus per peccatum honor restituetur; in te inimicorum meorum capita conterentur; novissimè autem omnium, et ipsa inimica mors destruetur. In te ego totius mundi peccata delenda suscipiam, firmissimam inter Patrem & homines pacem statuam, vacuas Cœli sedes instaurabo. Tanto desiderio ac caritate excepit, dilectissimi, Dominus noster hanc Crucem, ut immensæ lassitudini suæ etiam vim ingereret maximam: O quàm gravis & ponderosa Crux illa erat, quæ, Divina exigente Justitia, omnibus totius Mundi peccatis præponderabat! Cogitet quilibet nostrûm, quàm suis solùm peccatis aggravetur. Audiamus Davidem, virum aliàs secundùm cor Dei, pium & justum: Hic clamabat: *Sicut onus grave gravatæ sunt super me iniquitates meæ* (*c*). Quid ergo erat tam multorum millium hominum tam gravia pondera portare? Attamen dulcia efficiebantur gravissima hæc onera ab infinita ejus in nos dilectione, qua etiam si multò gravior fuisset

(*a*) *Isaiæ IX. v. 6.*
(*b*) *Lucæ XII. v. 50.*
(*c*) *Psalm. XXXVII. v. 5.*

ſet Crux illa, libentiſſimè tamen eam humeris impoſuiſſet.

O Jeroſolymæ & Mundi Aulæ, quàm male meritæ fuiſtis de Cœli terræque Rege ac Domino! In vobis reliquit ipſe honorem, ſanguinem, crines, veſtes, amicos; e vobis extulit tantùm pondera, Crucem, & mortem. Hæccine igitur aufertis a Chriſto; hæccine redditis Chriſto? Imo ita etiam vos geritis cum iis, qui in vobis excepti Principibus deſerviunt; nam in vobis plerumque aut Chriſtum millies negant, aut honoris & vitæ jacturam faciunt, aut virtutibus expoliantur, aut animas perdunt: E vobis verò nihil aſportant, niſi lacrymas cum Petro, vel Cruces & mortem; non quidem Chriſti, ſed latronum potius, quia ad æterna Inferni patibula pertrahuntur. Vobis ergo jam per me in æternum vale ſit dictum; nil mihi ultra vobiſcum, quia e vobis ejicitur Chriſtus, quia in vobis ſic in Deum delinquitur. *Eligo* jam *abjectus eſſe in domo Dei mei*, *magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum* (*a*).

Bajulat igitur Chriſtus Crucem. Sed heu! quia *ſpiritus quidem promptus eſt*, *caro autem infirma* (*b*): Succumbit oneri Dominus, fame confectus, ſanguine pene vacuus, ſiti exhauſtus, vigiliâ longâ ac doloribus innumeris & præviis cruciatibus ægrè vitam trahens. Unde non miſeratione commoti Judæi, ſed metu compulſi, ne aut ſententiam mutet Pilatus, aut imminens Feſtum ipſorum vota impediat, *Simonem* quemdam *angariaverunt* (*c*), ut Crucem deferret. Verùm, cur improbiſſimi canes, invito illi Crucem imponitis? Ecce, angariate & cogite me: Ego libentiſſimè Crucem illam portabo; mea eſt; jure, quod meum eſt, repeto; mihi debetur.

Sed jam progrediuntur ad locum ſupplicii; ſicque comitatus ille diſponitur. Præcedunt milites, turbæ quæ exclamarunt: *Crucifige*, *crucifige*, & qui funibus illum pertrahunt: Sequuntur carnifices, & latrones duo, ſimul cum Chriſto crucifigendi. Succedunt cuſtodes, dirè illum verberantes etiam calcibus & pugnis, ut iter feſtinetur; exinde Principes ac Sacerdotes, quaſi triumphantes de antecedente eos præda (Præda ſacratiſſima; quæ Infernum prædaberis, & mortem). Hi omnes, ſicut temerarius ille Semei patientiſſimo Davidi improperabat, mille calumnias & injurias evomentes Chriſtum impellunt. Denique manſuetiſ-ſimus

(*a*) *Pſalm. LXXXIII. v.* 11.
(*b*) *Matth. XXVI. v.* 41., *& Marci XIV. v.* 38.
(*c*) *Matth. XXVII. v.* 32., *& Marci XV. v.* 21.

ſimus Agnus ad mortem trahitur cum peccatoribus, inter peccatores, per manus peccatorum, tamquam peccator, ad locum ſupplicii peccatorum, montem, inquam, Calvariæ; quæ circumſtipatio multò magis illum pungebat, quàm acutiſſimæ ſpinæ. Verùm, ecce medio in itinere obvia fit Maria mater, omnium afflictiſſima, cum aliis Mariis. Hìc ego quid jam loquar, penitus ignoro; hactenus enim Chriſti me dolores excruciabant, nunc præter hos, Virginis Sanctiſſimæ ſingultus & ecſtaſes, ac aliarum lamentationes transfigunt. Ubique ingeminatur dolor; Chriſto Matris & mulierum aſpectus addit dolorem; Matri miſerrimus Filii intuitus animam ſauciat. O Mater ſacratiſſima: ne in Cœlum, obſecro, oculos tollas, quia Patrem adversùs Filium tuum indignatum pro me aſpicies, & Angelos, ac Cœlos lacrymas ſtillantes. Ne in terram oculos demittas, quia omnia ſunt cruentis Filii veſtigiis reſperſa; ubique omnia ſanguine uberrimè fluente rubent. Jam verè *diſperſi ſunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum* (*a*). Quid ſunt enim guttæ illæ, niſi margaritæ pretioſiſſimæ, niſi inæſtimabiles theſauri? Ne Filium intuearis, quia vivere, eo inſpecto, non poteris. Ne illius comites & cuſtodes, quia te etiam cum ipſo verberibus cædent. Sed Jeſum omnia videntem latère non potuit Maria, non potuerunt latère mulieres; ut qui ab omnibus creaturis patiebatur, ab ipſa etiam Matre, ac piis mulieribus maximam afflictionem reciperet. Videt ergo, & lacrymæ illæ abrumpunt Chriſti ſilentium: Tantum poſſunt lacrymæ, quæ a vera caritate, vel peccati dolore proficiſcuntur: quamobrem inquit: *Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete* (*b*); non quòd damnem veſtrum propter me fletum, ex pio procedentem miſerationis affectu; ſed *nolite me flere*, tamquam ſi ex impotentia aut infirmitate hæc paterer, nec ea poſſem effugere: patior enim, quia volo, & quæ patior, in maximam mei gloriam, & Mundi totius utilitatem convertentur. Vel non tam *ſuper me flete*, quàm *ſuper vos ipſas, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite ſuper nos, & collibus: operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* (*c*)? Verùm, quomodo poſſunt non flere amariſſimè propter te hæ ſanctæ Mulieres, Domine mi? O ſi illis profuiſſet dicere, quod viduis de Tabitha

(*a*) *Thren. IV. v. 1.* | (*b*) *Lucæ XXIII. v. 28.* | (*c*) *Ibid. v. 28. & ſeqq.*

Tabitha ad Petrum, cui ex *omnes flentes ostendebant tunicas, & vestes, quas illis faciebat Tabitha*, rogantes, ut eam mortuam suscitaret (*a*)! Quàm multa èt istæ dicerent, ac ostenderent æterno Patri, ipsisque etiam carnificibus, ne ad mortem trahereris! Ostenderent hæ mortuos, quos suscitasti; cæcos, quos illuminasti; obsessos a Dæmonibus, quos liberasti; languidos & infirmos, quos curasti; turbas, quas panibus satiasti: Ipsæ pro te vitam exponerent, ut a te mortem averterent. Sed quid dicam de Matre tua? Ostenderet ipsa ubera, quæ suxisti; ventrem, in quo te portavit; dolores, quos pro te pertulit: Rogaret ipsa, ut millies sibi vitam carnifices adimerent, modò parcerent tibi. Sed cessate a fletu, sanctæ Mulieres, quia lacrymæ vestræ non proderunt. Cessa Virgo sacratissima, quia atrociora hodie videbis spectacula; quia levissima hæc sunt & dulcissima, si cum iis, quæ hodie cernes & audies, comparentur. Eò devenies, ut Filium Deum videas inter latrones pendentem, se tibi adimentem, ac suì loco servum tibi dantem in filium; denique in Cruce cum lacrymis, & clamore valido expirantem. O quot lanceis anima tua discerpetur, quàm acerbè lacerabitur! Sequere, sequere Mater, & vide, quia ego sum qui Filium tuum sic malè habeo: pro me omnia illa patitur.

Ut autem ad locum patibuli fuit perventum, *vinum ei myrrhatum dederunt bibere* (*b*), cùm ceteris sicariis atque latronibus vina generosa propinarentur ad alleviandos dolores; hoc poculo innocentissimus Agnus hìc refocillatur. Tamdem vestibus spoliatus, nudus Cruci configitur manibus, & pedibus; ac una manu confixa, cùm ad foraminis locum altera non perveniret, per vim brachium eò usque protenditur. Horreo, filii, ista recensens. Tacere cogor, quia hæc narrari non possunt; ineffabilia sunt. O vita mea, o Deus meus & Dominus meus; quò ego ingratissimus Majestatem tuam adduxi! O Cœlum, o terra, quomodo me sceleftissimum fertis? O creaturæ omnes, cur de me iniquissimo vindictam non sumitis? Tantam ergo Domino vestro illatam injuriam, inultam esse patiemini? O Pater æterne, ecce post multa tamdem Unigenitus Filius tuus, tibi æqualis, animam efflat, expirat, moritur. Desine mihi jam irasci; tuæ enim justitiæ abundè est satisfactum. O manus, pedes, nervi, & ossa, o corpus totum mei Redemptoris, nimio dolore

(*a*) *Act. Apost. IX. v.* 39.

(*b*) *Marci XV. v.* 23.

sauciatum; quid vobis ego umquam rependam? *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi* (*a*)? Non est ulla eo digna retributio; & si memetipsum totum pro ipso tradidero, quæ erit ista commutatio?

EPILOGUS.

Eja ergo Animæ Christianæ, *egredimini* a ceteris omnibus curis atque cogitationibus, *& videte Regem* vestrum, & *Dominum in diademate, quo coronavit illum Mater sua* (*b*), in honoribus & gloria, ac retributionibus, quas ei Synagoga Judæorum paravit. *Egredimini*, inquam, *& videte*, novum spectaculum; novum, inquam, sed vetus: Vetus siquidem, quod ab æterno ordinaverat Divina caritas, prævisâ nostrâ ruinâ suo tempore implendum; quod ab ipso humani generis lapsu semper pii homines expectarunt; quod Abraham videre desideravit, *& vidit*, *& gavisus est* (*c*); quod Prophetæ omnes prædixerunt; quod Lex & Scripturæ tam multipliciter adumbrarunt; quod perpetuò Sacrosancta Mater Ecclesia Fidelibus suis proponit, vivifico hoc Crucis vexillo ubique, in Ecclesiis, in turrium summitatibus, in parietibus, in viis & compitis picto, exculpto, erecto; cujus memoriæ singulis hebdomadis dies sextus est deputatus; annuatim verò jam a mille quingentis octuaginta quatuor annis hodie celebratur: Vetus profectò ob hactenus recensita, videte spectaculum. Sed *egredimini*, *& videte* novum quoque spectaculum; tale enim est, ut, quamquam singulis horis recolatur, novos tamen semper affectus, novas cogitationes, nova desideria, novum stuporem, novas admirationis causas, novam vitam proponere nobis possit, & debeat. Et quale spectaculum? De iis quondam loquens Apostolus, qui aliquando peccatores fuerunt, & filii iræ, dicere non dubitavit: *Spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus* (*d*); at Deum, qui *posuit tenebras latibulum suum* (*e*), cujus cognitio ita obscura est, ut etiam cœlicolis ipsis, & beatis mentibus sit incomprehensibilis; cujus cognitionis gradus, & viæ sunt, negatio omnium imperfectionum, & affirmatio omnium perfectionum de eodem; nec a nobis cognosci potest, nisi profiten-do,

(*a*) *Psalm. CXV. v. 12.*
(*b*) *Cant. Cantic. III. v. 11.*
(*c*) *Joann. VIII. v. 56.*
(*d*) *I. ad Corinth. IV. v. 9.*
(*e*) *Psalm. XVII. v. 12.*

do, omnem captum noſtrum in infinitum illum excedere: hunc, inquam, Deum quis umquam putaſſet egreſſurum a luce illa inacceſſibili, & præbiturum Angelis, & toti Mundo in ſummitate montis Calvariæ, in ſublimi & patenti loco tale ſpectaculum, quale hodie nobis exhibuit?

Admirabatur Bernardus Sanctiſſimus (*a*) Dominicæ dignationis ſpectaculum, verbis illis: „ Ludebam ego foris in platea, „ & in ſecreto Regalis cubiculi ſuper me ferebatur judicium mor„ tis. Audivit hoc Unigenitus ejus, exiit, poſito diademate, „ ſacco veſtitus, aſperſus cinere caput, nudus pedes, flens & eju„ lans, quòd morte damnatus eſſet ſervulus ejus. Intueor il„ lum ſubitò procedentem, ſtupeo novitatem, cauſam percun„ ctor, & audio: Quid facturus ſum? Adhuc ne ludam, & de„ ludam lacrymas ejus „? Hæc Bernardus, conſpectans egreſſum illius Filii, ad oſtenſionem ſuam Mundo, per adventum ſuum in hac humana noſtra natura, cùm *ſemetipſum exinanivit*, abſcondens Majeſtatem Dei, & *accipiens formam ſervi* (*b*), induens ſaccum hujus noſtræ carnis, ſuſcipiens vigilias, famem & labores; hæc, inquam, dicebat, dum contemplabatur ſolùm Chriſti paupertatem in diverſorio naſcentis, ac deinde illum vagientem, & lacrymantem in præſepio. At quid facturus eras Bernarde, ſi contemplatus fuiſſes exeuntem a Cœna Paſchali cum Diſcipulis celebrata, ad acerbiſſimam Paſſionem & mortem ſubeundam; exeuntem, inquam, modò ex horto orationis, pertractum etiam funibus & vinculis ad domum Annæ; modò hinc ad domum Caiphæ; modò e domo Caiphæ ad domum Pilati Præſidis, ibique nunc ingredientem, nunc egredientem Prætorium; inde verò exeuntem ad Herodem, & rurſus ab Herode ad Pilatum, ibique iterum eductum a Pilato coram omnibus; demum exeuntem in atrium Prætorii, ut ibidem veſtibus exutus coram omni cohorte flagellis tunderetur, multiſque modis illuderetur? Quid dicturus, quid facturus, ſi vidiſſes exeuntem poſt hæc omnia in conſpectu populi, eductum a Pilato foras verbis illis: *Ecce homo?* Quid, ſi iterum conſpexiſſes eumdem, a Pilato exhibitum Populo verbis illis: *Ecce Rex veſter*, toties exclamantibus turbis: *Crucifige, crucifige eum?* Quid, ſi inde exeuntem, damnatum, iniquè traditum voluntati rabidiſſimæ ſuorum hoſtium, ut crucifigeretur?

(*a*) Serm. III. in die Natalis Domini pag. 789. Tom.I. editionis Pariſienſis anno mdccxix.

(*b*) *Ad Philippenſ. II. v.* 7.

tur? Quid tum denique dicturus, quid facturus, cùm e domo Pilati, & de Civitate Jerusalem egredientem, bajulantem Crucem ad montem Calvariæ, ut ibi satiaretur opprobriis, patibulo affigeretur, & spectaculum illud sui Mundo exhiberet, quod nos etiam mox spectabimus? Quid, si intuitus fuisses in Cruce vestibus denudatum, caput non cinere vel pulvere aspersum, sed proprio sanguine perfusum, spinis undique involutum, inter latrones, non jam in Præsepio in gremio Matris pro nobis lacrymantem? Quid, si saccum istum nostræ carnis vidisses undequaque perforatum, laceratum, per vim distentum?

O quàm admirabilius spectaculum est hoc, quod propter nos itidem propositum fuit! O cœlestes & beati Spiritus: Vos, qui intimiùs videtis, quàm nos miseri peccatores & infirmi homines, hujus spectaculi magnitudinem, quid facturi estis hodie? Certè *nusquam* vos *apprehendit*, aut vestram naturam, *sed semen Abrahæ* (*a*): attamen Deum vestrum ita miseratione dignum existimastis, ut vos ipsos continere non potueritis, quin in terras descendentes, ei consolationis officium exhiberetis. Et tu Pater omnipotens, quid facturus es, cernens Unigenitum Filium tuum, sic *factum spectaculum Mundo, & Angelis* (*b*)? Non patitur divinæ naturæ tuæ sublimitas, non gloria tua ac dignitas, ut doleas, ut fleas, ut quidquam patiaris, vel commovearis: Et tamen, sicut commota sunt viscera Patriarchæ Jacob, cùm videret vestem filii sui Joseph laceratam, & hædi sanguine aspersam (*c*); sic (ut nostro more loquamur) commovebuntur viscera miserationis tuæ. Verùm in creaturis voce & sensu carentibus tantam excitabis commotionem, ut certè hac via maximè ostendas, quid facturi sint pii homines, in morte Unigeniti Filii tui, ejusque cruciatibus deplorandis. Quid factura estis magna mundi luminaria Sol, & Luna? An adeo dirum spectaculum aspicere sustinebitis? Imo obscurabimini in meridie, sicut in nocte; & quæ siccis oculis multi nostrûm viderunt, vos ne videatis, latebitis, & mortales cunctos vestro lumine ac splendore privabitis. Quid facies velum Templi? Quoniam nos integri & obstinati perseveramus, tu *a summo*, *usque deorsum* scindèris (*d*). Quid facies terra? Nos non terremur, & tu tremes; nos latentia peccata non evomimus, & tu, apertis sepulchris, cadavera viva restitues.

(*a*) *Ad Hebr. II. v. 16.*
(*b*) *I. ad Corinth. IV. v. 9.*
(*c*) *Genes. XXXVII. v. 31. & seqq.*
(*d*) *Matth. XXVII. v. 51.*

tues. Quid facietis ſaxa, & lapides? An èt vos non clamabitis? In vobis profectò verificabitur Domini dictum, quoniam ſi nos tacuerimus, vos clamabitis, & permanentibus nobis in duritie cordis noſtri, vos invicem collidemini ac confringemini.

Sed unde in vobis o creaturæ omnes tanta commotio? Quid agitis? cur tot editis doloris ſigna? Nullam cauſam vos dediſtis tantæ pœnarum indignitati, tantoque ſpectaculo. Ad hominem, non ad vos, venit Chriſtus; ad me e Dæmonis captivitate liberandum, ac a morte redimendum acceſſit. Me quærit in Mundo, me vocat in Cruce, pro me patitur, pro me moritur, me peculiariter dilexit: *Nobis natus eſt puer, & filius datus eſt nobis* (*a*); *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis*, & hæc omnia pertulit. Non a vobis ipſe, ſed a nobis eſt offenſus, provocatus, irritatus. Non vos illum ſpreviſtis, imo ejus ſemper Divinæ obtemperaſtis voluntati: Nos illum contempſimus, & injuriis laceſſivimus. Non vos illum improperiis affeciſtis, ſed nos. Non vos illum flagellaſtis, non ſpinis coronaſtis, non clavis Cruci confixiſtis; ſed nos hæc omnia perpetravimus. Tu anima ingrata ſpectaculum hoc novum & atrox excitaſti, tu tantarum es cauſa novitatum. Superbiæ tuæ illum humiliaverunt; avaritiæ tuæ illum in tantam paupertatem & nuditatem adduxerunt; crapulæ tuæ illum aceto & felle potarunt: Tu crudelis in illum, tu proditrix, tu carnifex ejus extitiſti. Quid ergo hodie factura es? Aſpice, quid ipſi etiam Ethnici aliquando fecerint & dixerint. Dionyſius Areopagita, quo die & qua hora Dei Filius Spiritum reddidit Patri, exclamavit: *Aut Deus naturæ patitur, aut tota Mundi machina deſtruitur*. Verè dixit ille, *Deus patitur*, quando Templum, Spiritus Sancti operâ fabricatum, ubi re ipſa Divinitas inhabitare dignabatur, diſſolvitur ac deſtruitur, infra triduum reædificandum. Hæc item dum fierent, Apollophanes alter quidam Philoſophus, ipſe quoque ethnicus & Dionyſii ſocius: *Hæc*, inquit, *Divinarum rerum viciſſitudines ſunt: Sunt*, reſpondit Dionyſius (*b*). Et quales, bone Deus, viciſſitudines! Deus homo factus

(*a*) *Iſaiæ IX. v. 6.*

(*b*) Baronius ad annum Chriſti XXXIV. duas Epiſtolas recitat, a Magno Dionyſio Areopagita ſcriptas ad Polycarpum, & Apollophanem, in quibus mentio fit de admirando Solis defectu, quem ipſe Heliopoli degens adnotaverat: Has tamen Epiſtolas eſſe pſeudepigraphas, recentioris ætatis eruditi viri cenſuere. An verò Libri, qui ſub nomine Dionyſii Areopagitæ prodiere, genuini ejuſdem ſint fœtus, non levis eſt inter Scriptores controverſia, illoſque nonniſi Seculo circiter quinto a quodam Monacho fuiſſe confectos, plures contendunt.

factus e Cœlo descendit, suscipit dolores nostros & miserias, esurit, sitit, moritur; illi irascitur Pater, morte eumdem mulctans, in pœnam peccatorum nostrorum: Homo verò extollitur, Divinæ fit consors particepsque naturæ; nobis gloria præparatur, dona communicantur, nobis gratiæ distribuuntur, venæ dulcissimæ aperiuntur. O admirabiles vicissitudines! Deus, priùs nobis iratus, nunc est propitius; priùs inimicus, nunc est amicus; priùs Deus ultionum, nunc Deus est misericordiarum; priùs Dominus, nunc Pater. Sed quid ille ipse Dionysius (a) jam Christi vexillis adscriptus de hoc dixerit, audiamus: *Ecstasim*, ait ille, *ob amorem Deus patitur, extra se fit, cùm nostra suscipit, cùm in miseriis nostris, se nobis exhibet*. Ex vi caritatis dicere possumus, filii, quia extra se ipsum Deus fit, *ut faciat opus suum peregrinum*, & *alienum ab ipso* (b). Quid enim a Divina substantia magis *alienum*, quàm carnis commixtio? Quid ab ejus impassibilitate magis *peregrinum*, quàm tot dolorum perpessio? Quid Deo magis repugnat, quàm mors? De ecstasi hac & *excessu*, *quem completurus erat in Jerusalem* Dominus, *loquebantur cum eo Moyses & Elias* (c); & verè stupendus hic fuit excessus & ineffabilis, quòd de Omnipotente Deo triumphaverit amor & erga nos nimia dilectio, triumphaverit mors ipsa, prout in hodierno spectaculo vidit omnis creatura. Quid ergo facturus es, o homo? Ludes-ne, an deludes Christi mortem & opprobria? Annon deludunt qui ea nec cogitare dignantur; qui de iis loquentes habent fastidio; qui ad Templa & Oratoria, in quibus illa oculis proponuntur, recusant accedere; qui sanguinem hunc pretiosissimum suscipere, & vulneribus suis adhibere nolunt, malentes frustra pro se ipsis effusum esse? Non ita nos filii, non ita. Sed quid facturi sumus? Loquamur sæpe, & cogitemus de hoc amoris excessu; vicissitudines has Divinas æstimemus, & in mente semper retineamus. Perpendamus id quod pro nobis patitur Deus. Erimus-ne stupidiores cunctis creaturis? Cedemus-ne inanimatis elementis? Agnoscamus Redemptorem nostrum; tantæ dilectioni ne simus, obsecro, ingrati. Erimus-ne Ethnicis cæciores? Tam magna signa ab Æterno Patre nobis exhibita suæ justitiæ, & misericordiæ non respiciemus? Aperiamus, quæso, tam-

(a) In Libro de Divinis nominibus, quem Commentariis suis illustravit Sanctus Thomas Aquinas, Lect. X. de Ecstasi.

(b) *Isaiæ XXVIII. v.* 21.

(c) *Lucæ IX. v.* 30. & 31.

tamdem mentis oculos, & hoc ſignorum omnium ſignum intueamur. Tu Sancte Clave, tu Crux Sanctiſſima illud nobis oſtende, tu in medium profer ſpectaculum iſtud Angelis, & toti Mundo admirabile (a).

Ecce, ecce, filii, Homo, ecce Deus; ecce quò ſe demiſit Divina Majeſtas, ut *de ſtercore te erigeret* (b), o viliſſima creatura; ecce ſpectaculum univerſo Mundo propoſitum. O Maria nimiùm afflicta, & tota amaritudinibus plena: Ecce Filium tuum dilectum, unigenitum, ex puriſſimo ſanguine tuo compactum, a te novem menſibus in utero geſtatum, a te enutritum & educatum: Ecce, hic eſt dilectus tuus. Eſt-ne hic, quem tu nobis ab initio deſcripſeras? Eſt-ne, qualis tu dixeras, *candidus, rubicundus, electus ex millibus* (c), *ſpecioſus formâ præ filiis hominum* (d), *totus deſiderabilis* (e), atque formoſus? Heu, quàm mutatus ab illo! Ejus *caput* tu appellabas, *aurum optimum* (f); ſed vide, quia ſpinis & vulneribus circumdatur. *Comas* ejus *palmis* aſſimilabas; ſed ecce, quia diſciſſæ ſunt & evulſæ. Non ſunt hi *oculi, ſicut columbæ*, ſed languidi, & pallentes, ac effoſſi. Non ſunt hæ *genæ, ſicut areolæ aromatum conſitæ a pigmentariis*, ſed ſunt ſputis, & ſanguine, & alapis deformatæ. Non ſunt *labia* hæc, *lilia diſtillantia myrrham primam*, ſed emortua & exanguia. Non *guttur hoc ſuaviſſimum*, ſed amariſſimo felle & aceto, ac myrrhato vino exaſperatum. Non *manus hæ tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*, ſed clavis dilaceratæ. Non hic *venter eburneus diſtinctus ſapphiris*, ſed diro lanceæ mucrone perforatus. Non *crura* hæc *columnæ marmoreæ*, quæ *fundatæ ſunt ſuper baſes aureas*, ſed operta cicatricibus ac livore, oſſibus hinc inde divulſis, venis confractis, nervis diſtortis. Non eſt *ſpecies ejus ùt Libani* (g); imo *non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus; & deſideravimus eum* (h): Vidimus Regem gloriæ, *deſpectum*; hominum Creatorem, *noviſſimum virorum*; impaſſibilem, *virum dolorum*; eum, qui verbo ſuo infirmitates omnes depellebat, *ſcientem infirmitatem* (i), imo infirmitatibus plenum. Vultus ille, quem *deprecaturi erant omnes divites plebis* (k), jam eſt *quaſi abſconditus, & deſpectus, unde nec reputavimus*

(a) Hic proferatur Crucifixus cum facibus accenſis.
(b) *Pſalm. CXII. v.* 7.
(c) *Cant. Cantic. V. v.* 10.
(d) *Pſalm. XLIV. v.* 3.
(e) *Cant. Cantic. V. v.* 16.
(f) *Ibidem v.* 11.
(g) *Ibidem v.* 11. *& ſeqq.*
(h) *Iſaiæ LIII. v.* 2.
(i) *Ibidem v.* 3.
(k) *Pſalm. XLIV. v.* 13.

vimus eum (*a*). Tu eum totum desiderabilem, o Mulierum afflictissima, nobis descripseras; & ecce quia nobis apparet *leprosus, & percussus a Deo, & humiliatus* (*b*). Attamen, quamvis verè ita sit, nobis est totus desiderabilis.

O dilectissimi: Quis amicum suum in maxima calamitate constitutum, imo èt ab hostibus oppressum videns, quatenus possit, non juvet; & si juvare non possit, illi non condoleat? Heu! quis nobis umquam adeò carus, adeò constans amicus fuit, quemadmodum Christus? Quis umquam talem amorem ostendit, ut animam suam pro amicis suis poneret, ac ipse pro nobis vilissimis hostibus suis posuit (*c*)? Quæ amicitia, licèt arctissima, dissoluta non fuisset, & in odium intestinum conversa ob minimam ex innumeris injuriis, quas nos Dei Filio intulimus? Et tamen ipse in dilectione perstitit semper, & in nostrì patrocinium pugnat cum Hebræis, cum satellitibus, cum morte; vincitur ab omnibus, crucifigitur, occumbit: Nos verò hæc spectamus, perinde ac si somnia videremus; imo stupidiùs, nam somniantes quandoque commoveri solent, nos autem nihil penitus, veluti si aniles fabulæ ista forent; &, licèt etiam fabulæ aliquando cordis excitare soleant affectus, nos tamen ad hæc aridi penitus & sensûs expertes propemodum sumus.

Quis filius, insultantes in Patrem Sicarios videns, non accurrat, ut ei sit auxilio, non ploret, non clamet? Ecce Deus, Pater noster & Mater & Frater, qui nos creavit, a quo sumus quidquid sumus, trahitur ad supplicia, crucifigitur; & nos stupidi permanemus!

O filii, o filii, nonne Christus est Caput nostrum (*d*), & nos ipsius membra (*e*)? Numquid caput spinis perforabitur, lacerabitur, arundine percutietur, alapis cædetur, conspuetur, sanguine fluet; numquid capilli evellentur, aceto felle & myrrha potabitur, sitiet: & inter tot dolores, & durissimos spinarum aculeos, poterimus non vociferari, non inclamare, non misericordiam ab ipsisinet spinis implorare, ut parcant tenello ac delicatissimo Capiti? Si vèl minima nos acus pungit, statim clamamus; & spinæ Christi Capitis nostri cutem, ossa, & cerebrum pertransibunt; nos verò ne vocem quidem edemus?

Hæc

(*a*) *Isaiæ LIII. v.* 3.
(*b*) *Ibidem v.* 4.
(*c*) *Joann. XV. v.* 13.
(*d*) *Ad Ephes. IV. v.* 15.
(*e*) *I. ad Corinth. VI. v.* 15.

Hæc Christi ossa, sunt os ex ossibus nostris; hæc illius caro, est caro de carne nostra. Flagellis ergo contundetur totum illud sacratissimum Corpus, brachia dimovebuntur, ossa & nervi locis suis violentè distrahentur, scindentur venæ, manus & pedes perforabuntur, latus aperietur: Et tacebimus? Et erit ultra in nobis spiritus? Et non clamabimus ad Deum misericordem?

Si pes dolet, vel manus, aut aliquod aliud membrorum, non conquiescimus, etiamsi cetera omni dolore careant: Et *a planta pedis, usque ad verticem capitis non est* in Christo, carne nostra, *sanitas* (*a*); & non sentimus? *Hæc sentite in vobis*, filii, *quæ èt in Christo Jesu* (*b*). Quòd si hæc minimè sentitis, quia divisi estis a Christi carne quæ patitur, vel quia mortui estis; mortuum saltem illum ab Eliseo suscitatum (*c*) ita imitamini, ut singula membra vestra & partes, super singula Christi Domini membra ponantur. Adjungite partes omnes vestras illis Crucifixi Redemptoris, & clamare cogemini: nos, nos sumus, qui peccavimus, non tu o dulcissime Jesu. Caput tuum, sanctissimum & innocentissimum erat; hoc meum superbia & vanitatibus scatens, durissimis spinis erat pungendum. Non divina tua facies, decus Angelorum & gaudium, sed inverecundi nostri vultus conspui merebantur. Non velandi purissimi illi divini oculi, qui quoscumque aspiciebant, ad lacrymas ad pœnitentiam ad vitæ emendationem attrahebant; sed mei impudici & inhonesti, qui toties prædati sunt meam, & aliorum animas. Non alapis cædendæ genæ tuæ modestissimæ, sed nostræ potius, mille coloribus fucatæ. Non tu aceto felle ac myrrha potandus; sed ego, qui crapulis meis & ebrietatibus id millies promerueram. Non delicatissimis auribus tuis, sed meis, omni inhonestati ac maledicentiæ apertis debebantur blasphemiæ exprobrationes atque convicia. Tuæ illæ manus sunt, quæ cæcis visum, surdis auditum, esurientibus cibum, languidis sanitatem tribuerunt, semper liberales, semper apertæ; meæ hæ sunt, quæ pomum vetitum in Paradiso rapuerunt, quæ opus tuum deformarunt: Hæ igitur configendæ erant, non tuæ. Cor meum est, quod odii simultatum & iracundiæ domicilium extitit, unde exierunt detractiones, pravæ cogitationes, mille obscœnitates, innumera scelera;

 Tuum

(*a*) *Isaiæ I. v. 6.*
(*b*) *Ad Philipp. II. v. 5.*
(*c*) *IV. Reg. IV. v.* 33. *&* 34.

Tuum eft, quod *cogitavit* femper *cogitationes pacis, & non afflictionis* (*a*): Meum ergo, non tuum erat transfodiendum. *Pedes* mei *veloces* fuerunt *ad effundendum fanguinem* (*b*), ad peccata perpetranda, ad currendam viam iniquitatis; tui verò *circuibant Civitates, & Caftella* (*c*) in Evangelium pacis, ad fublevandos afflictos, ad beneficia innumera conferenda mortalibus: Non ergo tui, fed mei debuerant clavis perforari. Ego, ego, Domine, fui latro, inter latrones deputandus, non tu. Ego fui rebellis, non tu. Ego proditoribus parentibus genitus, & proditor, non tu. Ego, qui peccavi: Tu verò, Agne innocentiffime, manfuetiffima ovis, quid mali fecifti? quid admififti fceleris? quid commeruifti? Tu *vulneratus es propter iniquitates noftras, tu attritus propter fcelera noftra: fuper te difciplina pacis noftræ, & livore tuo fanati fumus. Omnes nos quafi oves erravimus, unufquifque in viam fuam declinavit*: Et *pofuit in te Dominus iniquitatem omnium noftrûm* (*d*). *Væ nobis, quia peccavimus! Defecit gaudium cordis noftri: verfus eft in luctum chorus nofter: cecidit corona capitis noftri* (*e*). Et inter hæc omnia faxis ipfis duriores perfiftimus, nec compungimur, nec fuperbiam deponimus, aut faftum; non contractus iniquos abrumpimus, aut peccata deferimus; non odia deponimus, non *opera tenebrarum abjicimus* (*f*).

O infenfati! Quis vos fafcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jefus Chriftus, amicus vefter, frater, mater, & pater, caput veftrum, os de offibus veftris & caro de carne veftra, *præfcriptus eft, in vobis Crucifixus* (*g*)?

Sed digni non fumus, oculos in Cœlum tollere, & multò minus in Cœlorum Regem, & Dominum Chriftum: In hunc inquam, quem toties prodidimus, confpuimus, defpeximus. Defponfavit ille quidem fibi animas noftras; fed nos *fornicati fumus* millies *fub omni ligno frondofo* (*b*); *nullum eft pratum, quod non pertranfivit luxuria noftra* (*i*); adulteræ funt animæ noftræ. Quibus ergo oculis tam benignum & mitem Sponfum, in quem nos adeò deliquimus, audeamus afpicere? Indigni fumus, Æternæ Pater; fed *refpice tu in faciem Chrifti tui* (*k*); refpice tu plagas illas, livores, & fanguinem; refpice corpus hoc ita dilaniatum. Sufci-

(*a*) *Jerem. XXIX. v.* 11.
(*b*) *Pfalm. XIII. v.* 3.
(*c*) *Matth. IX. v.* 35.
(*d*) *Ifaiæ LIII. v.* 5. & 6.
(*e*) *Thren. V. v.* 15. & 16.
(*f*) *Ad Roman. XIII. v.* 12.
(*g*) *Ad Galat. III. v.* 1.
(*b*) *Jerem. III. v.* 6.
(*i*) *Sapient. II. v.* 8.
(*k*) *Pfalm. LXXXIII. v.* 10.

Suscipe tu sacrificium istud; propitiare ob hoc holocaustum: Ecce sanguis Filii tui clamat ad te pro nobis misericordiam & veniam, propitiationem & gratiam, amorem & gloriam. Hujus tu meritis ac ferventissimis precibus exoratus respice propitius super famulum tuum Gregorium Papam XIII., universæ Ecclesiæ tuæ Pastorem, & da ei, ut verbo & exemplo, quibus præest, proficiat, & ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam: *Respice* Domine *de Cœlo, & vide vineam* tuam (*a*), Sanctam Ecclesiam, Filii tui sanguine pretiosissimo plantatam, exornatam, & auctam; eique semper adesto, donec cum triumphanti unum & idem efficiatur: Respice Episcopos omnes atque Sacerdotes, & Clerum; ut greges suos ita ipsi diligant, sicut nos Christus dilexit; ut parati sint pro animabus fidei suæ commissis vitam exponere, & sanguinem profundere; ut vocationis suæ sint memores, & se *ministros, & dispensatores mysteriorum* tuorum esse cognoscant (*b*). Respice ad Imperatorem nostrum Rodulphum; & fac, ut Crucis hujus Sacratissimæ vexillo innixus, & pretiosissimo Filii tui sanguine confirmatus, Regna omnia & Provincias, Sacrosanctæ Ecclesiæ tuæ, & veræ Fidei adjungat. Respice ad religiosissimum Regem nostrum Philippum; & fac, ut, quamvis tot Regnorum sit Dominus, tamen te solum, & verum Regem ac Dominum esse cognoscat; sciat tibi se redditurum esse omnium, quæcumque gesserit, rationem. Respice Principes omnes, & Magistratus, eosque doce, neminem esse, qui tuæ resistere possit voluntati, qui judicium tuum valeat effugere; nullam apud te esse personarum acceptionem, sed singulis te retributurum, *prout gesserint, sive bonum, sive malum* (*c*). Respice Ethnicos omnes & Paganos, & de ignorantiæ tenebris eos eductos, Filii tui sanguine illustra. Respice ad obstinatos Judæos, & videant ipsi, quia Deum gloriæ crucifixerunt; quia Messiam, quem inutiliter & frustra expectant, morti adjudicari petierunt. Respice ad perfidos Hæreticos, ut resipiscant tamdem, & agnoscant, quia te numquam habebit Patrem, qui Ecclesiam tuam noluerit habere Matrem; cùm *unus* solus sit *Deus, una Fides, unum Baptisma, unus Dominus* (*d*), una Ecclesia. Respice ad peccatores omnes oculo misericordiæ tuæ; & non ad ea, quæ ipsi peccarunt, attendas, sed ad imaginem tuam, sed ad Filii

(*a*) *Psalm. LXXIX. v. 15.*
(*b*) *I. ad Corinth. IV. v. 1.*
(*c*) *II. ad Corinth. V. v. 10.*
(*d*) *Ad Ephes. IV. v. 5. & 6.*

Filii tui ſanguinem, quo ſunt abluti, & redempti: ut tamdem *revertantur a viis ſuis peſſimis* (a), & te ſolum vitæ & bonorum omnium perquirant Auctorem.

Reſpice tamdem in facie, in corpore, in plagis, in ſanguine, in morte Chriſti tui Unigeniti Filii, omnes omnium generum, graduum, & conditionum homines; quoniam pro omnibus, & pro ſingulis eſt ille ſanguis effuſus, ut èt ipſi nomen tuum ſanctificare non deſinant, regnum tuum & gloriam propagare, ac demum, ut fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra; qui vivis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.



HO-

(a) *Baruch. II. v. 8.*

HOMILIA CIX.

IN SOLEMNITATE PASCHATIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

Habita a prandio in Templo Maximo Mediolani

ANNO MDLXXXIV. I. APRILIS.



NIVERSALEM ingentemque lætitiam toti Mundo attulit myſterium hoc Sacroſanctum triumphalis Reſurrectionis Salvatoris Noſtri Domini Jeſu. Nova lux innotuit Orbi terrarum, quæ ſuo ſplendore omnia illuſtravit. Dixi univerſalem: hodie ſiquidem Feſtum agunt Angeli omnes, circa Sacratiſſimum Sepulcrum, in quo Dei corpus conditum fuerat, volitantes, illudque tanta diligentia ac Religione cuſtodientes: Feſtum agunt Apoſtoli Sanctiſſimi, qui tam acerbo dolore, quo ob Magiſtri ſui mortem premebantur, hodie exolvuntur: Feſtum agunt piiſſimæ Mariæ, multiplicibus Angelorum, & ipſius Salvatoris apparitionibus atque alloquiis confortatæ. Annon maximum etiam Feſtum agunt in viſceribus terræ Sancti illi Patres, qui primo Dei aſpectu Beatitudine donati, in limbo Paradiſum inveniunt? Quis valeat animo comprehendere maximam eorum lætitiam, quam ſenſerunt, proximè videntes quem a longe tamdiu deſideraverant? *Abraham* (dixerat Chriſtus) *exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt* (*a*): Quid erit videre poſtea præſentem, quo viſo vèl abſente, tam incomprehenſibili gaudio ille exultavit?

Feſtum

(*a*) *Joann. VIII. v. 56.*

Festum universale est hoc, repeto; universalis hæc est lætitia: Verùm non omnes lætari sciunt, atque gaudere. Quid? Num fortè credimus, cunctos, qui hodiernum Festum recolunt, gaudere, ùt debent, & gaudio, quo oportet, exultare? Minimè profectò. Quàm multi hoc Paschæ adventu gaudent, quia transiit Quadragesimale jejunium, desiit lex tam longæ abstinentiæ, tempus pœnitentiæ & lacrymarum abscessit? Alii in hac ipsa solemnitate forte gaudent, sed infelicissimè, quia sibi videntur quodammodo erupisse ex magnis illis angustiis, in quibus versabantur, cùm ad confessionem peccatorum emittendam parare sese cogebantur: Erat hoc illis loco ingentis tristitiæ, & acerbissimæ afflictionis; nam ex una parte non deliberaverant, nec ex animo proposuerant vitare peccatum, ac peccati offendicula auferre; ex altera verò vehemens iisdem stimulus erant, præcepta Ecclesiæ, Prælatorum Sacerdotum ac Parochorum diligentia & solicitudo, timor confusionis, ne fortè præcepto non parentes, Censuras Ecclesiasticas, Interdicta, & hujusmodi incurrerent; atque ita inter confitendi necessitatem ac inevitabile præceptum, & malam ad id animi eorum dispositionem, veluti inter malleum, & incudem positi torquebantur; sicque jam ex hisce anfractibus, ùt ipsi putant, emersi, gaudent summopere. Sed maledicta & Diabolica gaudia sunt ista. Alii occasione hujus solemnitatis, & tam venerandi Mysterii lætantur; sed carnaliter tantùm, licere sibi putantes convivari, epulari, ludere, & carnem denique omnimode oblectare, ac Mundi lenociniis & voluptatibus indulgere. Sed neque istud verum est gaudium. O quàm longe absunt hi omnes a sincera legitimaque diei hujus lætitia!

Gaudete, inquit Apostolus: *iterum dico gaudete* (*a*); Congruunt rite verba hæc hodiernæ solemnitati; bis namque prolata duplicem quoque Christianis hominibus proponunt lætitiam, animæ scilicet ac corporis, spiritus & carnis: Sed quomodo corporis, & carnis? Beata illa spes, excitata & inflammata ab hoc Mysterio in cordibus nostris, nempe nos quoque aliquando in hac carne & his ossibus resurrecturos ad vitam æternam, & participes futuros immensæ Christi Domini gloriæ, ad quam hodie resurrexit; o quantum etiam corpori nostro oblectamentum debet ingerere! David hæc a longe considerans, dixit: *Cor meum, & caro*

(*a*) *Ad Philippens. IV. v.* 4.

& caro mea exultaverunt in Deum vivum (*a*). Dicat hoc idem quicumque de futura carnis suæ resurrectione ex animo cogitat; dicat, inquam: lætetur anima mea & spiritus hodie: lætetur *cor meum, & caro mea;* quia quod semper, quamdiu professus sum Christi Fidem, firmissimè credidi me resurrecturum, & quod semper speravi, hodie Dominus meus & Salvator meus, firmiùs & validiùs credere me impellit, atque sperare. Hæc verè Christiano homini occasio est dupliciter gaudendi, animâ simul & corpore; sed non insipienter, ùt superiùs diximus, cùm ex mundanis gaudiis omnis oriatur animarum ruina & calamitas:

Porro *gaudere* docet Apostolus *in Domino semper* (*b*), non in crapulis, in conviviis, non in ludis, in pompis, non in novis vestibus; imo subdit, ut hæc omnia a Christifidelibus amoveat: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus* (*c*). Jam verò potissimum tempus est hodie, cùm ista celebrantur mysteria, ostendendi Christianam modestiam: colloquia, consuetudines amicorum, mores, habitus, cibi, indumenta, studia omnia redoleant *modestiam*, omnia hujus virtutis condita sint sale, omnia plena sint hoc cœlesti decôre, quem docet veneranda Paschalis Festivitas.

Vult ergo Sancta Mater Ecclesia, ut gaudeamus hodie? Imo vult maximè; ideo namque ipsa tot nobis pro temporum diversitate, mysteriorum quoque proponit varietates atque vicissitudines. In Septuagesima excitat nos ad deplorandum primum Protoparentum peccatum, miseriarum omnium ac calamitatum nostrarum originem: Quadragesima est propriè tempus pœnitentiæ, orationis, atque jejunii: Tempus hoc Paschale, gaudii & exultationis: Adventûs Dominici tempus alia item varia mysteria proponit. Non semper Ecclesia filios suos detinet in iisdem affectibus, sed per exercitationes spirituales, ad Divinum obsequium semper illos urgere ac promovere contendit; atque hoc in omnibus, & omni tempore. Excitat ad lætitiam ad gaudia, ad dolores ad lacrymas, ad consolationes ad mœrorem; sed omnia dirigit ad animarum profectum, ut ex varietate mysteriorum quæ proponit, sumant boni & fideles ejus filii modò lugendi, modò itidem gaudendi occasiones, nunc doloris, nunc spei, & aliquando etiam timoris. Hic spiritus est Sanctæ Matris Ecclesiæ.

Quid

(*a*) *Psalm. LXXXIII. v.* 3.
(*b*) *Ad Philippens. IV. v.* 4.
(*c*) *Ibidem v.* 5.

Quid hinc ergo colligimus? numquam difcedendum effe ab hoc Sanctiffimo Chrifti Sepulcro; nec licere nobis, cùm Quadragefimales jam elapfi fint dies, Pafchali etiam hoc tempore inde recedere. Bono animo eftote filii; hoc namque idem Sepulcrum, ejufque jugis meditatio abundè gignet in nobis hos omnes, licèt inter fe diffidentes, affectus. Quàm meritò de hoc Ifaias prædixit: *Et erit Sepulcrum ejus gloriofum (a)!* Flet, ùt hoc mane audiviftis ad hoc Sepulcrum Maria Magdalena; & apud idem maximam recipit confolationem, vifo Domino. Illinc ergo lacrymæ, illinc itidem gaudia folidæque confolationes proveniunt; tales fiquidem fontes funt, cuncta Chrifti Domini myfteria, diverfas quidem aquas, fed omnes fuaviffimas, effundentes.

Hæc ipfa Sacrofancta Sodalitas Rofarii Beatifsimæ Virginis Dei Matris, quam octavo ab hinc die inftituimus, & hodie promovere conabimur, multis Indulgentiarum & gratiarum fpiritualium thefauris opulentiffima, quid, obfecro, eft, nifi Chriftiano homini maxima occafio & potiffimum auxilium, quo invitatur & juvatur ad facillimè ducendam vitam Chriftiano homine dignam, & ad meditanda Dei Filii, ejufque Beatiffimæ Matris Sacrofancta myfteria, indeque percipiendos omnes illos, quos jam memoravimus, pios cordis affectus? Hos producunt illa tam varia themata, quæ *gaudii*, *doloris*, & *gloriæ* nomina gerunt, ac proponuntur ad contemplandum. Horum facrofancta meditatio, erit lautiffimum convivium, quo animæ noftræ pafcentur, & replebuntur cibis opportunis, & omni tempori (*b*) accommodatis, five Adventus, five Quadragefimæ, five Pafchatis; five eliciendæ fint lacrymæ, five fpes erigenda, five dolor augendus, five timor incutiendus, five gaudium denique fit concitandum.

Statuat ergo hodie omnis Chrifti fectator, gaudium fuum effe non debere ficut gaudium hominis Ethnici, jumentorum infipientium more viventis, aut ficut gaudium eorum, qui Deum non agnofcentes, in edendo, & bibendo, aut ludendo lætitiam reponunt; fed fibi impofterum femper *in Domino effe gaudendum* cum Ecclefia Sancta Matre fua, in his Domini myfteriis feria meditatione excolendis: Statuat Spiritum fuum conformare fpiritui Ecclefiæ, cui femper Chriftus affiftit, cujus Sponfus eft Deus,

(*a*) *Ifaiæ XI. v.* 10. | (*b*) *Pfalm. CXLIV. v.* 15.

Deus, & Magifter Spiritus Sanctus, cui ideo non fatis eft, folemnitatem hanc Refurrectionis Dominicæ celebrare hodie tantùm, aut duabus his fequentibus feriis; fed per totos quadraginta fubfequentes dies, ufque ad Domini in Cœlos Afcenfum illam recolere profequitur. Neque verò hoc folo contenta, defignare etiam voluit, qualibet totius anni hebdomada, diem unum ad memoriam Chrifti refurgentis celebrandam, diem, inquam, Dominicum, in quem ex Ritu Sanctiffimorum Apoftolorum, (ùt ex prifcis veterum Patrum monumentis didicimus) antiquum diei Sabbati tranftulit cultum: Eo autem die, exulare juffit a Chriftianis apothecarum curas, mercimonia, lites, & negotia omnia fecularia, ut huic præfertim memoriæ renovandæ tantùm incumberent, Deoque foli inferviendo, ac animæ fuæ juvandæ vacarent. O quàm magnum eft igitur iftud myfterium, cujus ipfa Ecclefia, Schola veræ Sapientiæ, Doctore & Promotore ad id Dei Spiritu, jugem adeò in filiorum fuorum cordibus voluit recordationem vigere, tam multa adhibens media, totque dies per annum eidem excitandæ ac confervandæ defignans!

O Chriftiane, fi Deus Optimus Maximus diem hunc ftatuit, ut a mundanis negotiis ac feculi curis, aliàs etiam honeftis & licitis, fufcipiendis abftineas, tibique ipfi ac cœleftibus rebus attendas; putabis-ne, te muneri tuo fatisfeciffe, fi tantummodo manè Miffam audieris, ac totum poftea diem in tabernis & cauponis, in commeffationibus & ebrietatibus, ac ludis infumpferis: cùm hæc omnia fint adeo contraria fini, propter quem, ùt audifti, inftitutus eft Dominicus dies? Abfint hæc a te, obfecro; procul ifta ab hac Civitate; procul ab omnibus Chriftianis regionibus. Sit dies hic, ùt nomine Dominicus, fic etiam re ipfa Domini, & Animæ tuæ: Frequententur Ecclefiæ mane, & fero; audiantur Sacræ Conciones, & Divina officia; doceatur Chriftiana Doctrina, ac facris hifce occupationibus horæ impendantur: Hæc fit Chriftiani hominis recreatio & gaudium, ac exultatio. Juvabit hanc & augebit Sacra Rofarii Supplicatio, quam modò inchoabimus, & deinceps, prima quaque cujuslibet Menfis Dominica, adjuvante Domino agere profequemur.

Præterea verò mementote, dilectiffimi filii, facrarum exercitationum, quas vobis Dominus proponit fingulis fextis feriis

cujusvis hebdomadæ, quibus in hac Ecclesia mane & sero de Passione Sacratissima Domini nostri, bonorum omnium nostrorum unico fonte, & solâ felicitatis nostræ origine, sermones habentur (*a*): Piarum itidem Supplicationum, quæ iisdem diebus, vespere ad Ecclesiam hanc fiunt a Sodalibus Sanctissimæ Crucis (*b*): Mementote Ecclesiæ Sancti Sepulcri, in qua singulis hebdomadis, quarta scilicet & sexta feria tam sancta proponuntur animabus vestris adjumenta, dum adeo facilè & perspicuè de Dei Filii doloribus pro nobis toleratis, ac de aliis ad æternam vitam spectantibus, illic a piis religiosisque Sacerdotibus disseritur. Nolite negligere hæc media validissima, quibus animæ vestræ invenire possint Dominum Jesum Christum, eique summo bono, indissolubili quodam nexu conjungi; nam etiam duobus illis Discipulis euntibus in Emmaus, & de Christi Domini morte tractantibus, ùt nostis, associatus est Dominus Jesus (*c*).

Hæc omnia igitur simul nectamus, ac studeamus pro viribus proficere in vera spiritùs vita; ut sicut hodie Redemptor noster Jesus Christus resurgens a mortuis acquisivit nobis vitam & resurrectionem a peccati morte, sic èt nos voce & operibus testemur ac profiteamur, eamdem vitam vivere: quam hìc simul in Domino, & cum Domino viventes, tamdem etiam perpetuò in Domino simus, & cum eodem conjungamur in unitate perfecta, cui sit sempiterna laus, honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

HO-

(*a*) Joannes Baptista Possevinus in Vita Sancti Caroli Cap. IX. narrat, inter præclara pietatis Opera ab ipso primùm instituta ad amorem erga Christum patientem in Mediolanensi populo succendendum, id etiam fuisse statutum, ut singulis sextis Feriis in Templo Maximo Sermo de Passione Domini a sacro aliquo Oratore mane haberetur, vespere autem alter ex Canonicis idem argumentum pertractaret; sique is defuisset, consuevisse Sanctum Antistitem, e suggestu, ejusdem vices explere, ne salutari hoc pabulo Grex suus defraudaretur.

(*b*) Cùm Sanctus Carolus anno MDLXXVIII. Sodalitatem piorum hominum instituisset, qui ante Cruces in Compitis erectas quolibet vespere publicè orarent, iis etiam indixit, ut Supplicationem ad Templum Maximum sub extremam diei Veneris horam inirent, audituri ibidem Sermonem de Dominicæ Passionis Mysteriis. Perseverat adhuc præclara hæc consuetudo, plurimùmque prodest ad excitandam in Civibus erga crucifixum Dominum religionem; siquidem sub primas noctis tenebras erumpere conspiciuntur ex omnibus Urbis viis prælatæ Cruces cum accensis cereis, comitante virorum caterva, Psalmos & Hymnos canentium, donec simul omnes in Ecclesiam Majorem conveniant, & sacras ad Deum preces ante Sanctum Clavum effundant.

(*c*) *Lucæ XXIV. v. 13. & 14.*

HOMILIA CX.

HABITA IN BASILICA METROPOLITANA INTER MISSARUM SOLEMNIA

Feria II. post Pascha

ANNO MDLXXXIV. II. APRILIS.



LORIOSUS est triumphus, dilectissimi filii, quo hesterna die Salvator noster Dominus Jesus e Sepulcro surrexit; gloriosæ itidem dotes ac prærogativæ ejusdem Sanctissimi Corporis, in quo vitæ restitutus effulget: procul enim a doloribus, a spinis, a flagellis, a cruce, a morte, jam incipit Mundo nomen suum manifestare, paulo post etiam Cœlos ascensurus cum potestate magna, plenaque Judicis vivorum & mortuorum auctoritate. Sed eò sunt hæc omnia magis gloriosa, quò (licèt excellentissimæ Humanitati suæ, prout erat Divino Verbo unita, multò prius deberentur, etiam a primo ipso Conceptionis suæ in utero matris momento) eidem complacuit per Crucis ignominiam, & sepulturæ vilitatem, ea sibi quoque promereri. Congruum igitur est, ut Sancta Mater Ecclesia tamquam Christi Corpus, & Sponsa, nosque ejus membra de tanta Capitis nostri sublimitate, & exaltatione consolemur atque gloriemur. Numquid enim Sponsi, & viri honor ac dignitas in uxoris, & suæ dilectissimæ Sponsæ decus etiam non resultat? Si Caput nostrum ita extollitur & glorificatur, refluit hoc etiam in honorem & solatium maximum amantissimæ Sponsæ, & omnium nostrûm, qui viva illius existimus membra. Est ergo Christi triumphus, noster quoque triumphus: Aliqui tamen adhuc magis peculiares fructus ex illo proficiscuntur, qui præcipua quadam ratione sunt specialiter nostri, de quibus hodie singillatim agemus. Inter hos autem duobus potissimum Christus resurgens homines donavit; Resurrectione scilicet corporis, at-

que animæ. Ut autem ab hac postrema initium sumamus, non sine mysterio Christus Dominus noster in Sepulcro jacuit diem unum, & duas noctes: Dies namque ejus mortem designabat, quæ meridie clarissimo erat splendidior, utpote ab omni peccati labe sejuncta; duplex verò nox, mortem nostram spiritualem & corporalem præfiguravit: utrique autem Resurrectione sua triumphali, remedium attulit Dominus. Parum quidem esset nobis gaudendum, quòd resurrexerit Christus, si nos adhuc in morte permaneremus, si necdum a peccati interitu Animæ nostræ resurgerent: ideo hic totius est cardo negotii; hic noster potissimus fructus, hoc summopere interest. Meritò igitur de hoc nonnulla hodie proferemus, cras juvante Domino Deo, de corporum nostrorum universali Resurrectione verba facturi.

Aliqua heri attigimus, quæ ad præsens Institutum maximè facere videntur, nempe quòd summâ clementiâ Salvator noster conatus est hoc suæ Resurrectionis Mysterium hominibus commendare: hic idem fuit scopus totius fere Apostolicæ prædicationis. Petrus Apostolorum Princeps in ceterorum conventu de eligendo successore in locum Judæ, qui prævaricatus fuerat & proditor extiterat, agens, ejusdemque officia recensens dixit: *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a Baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem Resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis* (*a*). Hoc præcipuum erat, quia maximè conducebat ad confirmanda reliqua omnia Fidei mysteria, quæ nobis credenda proponuntur. Quàm inanis esset spes nostra, quàm difficile crederentur omnia Fidei dogmata, nisi manifestata esset Christi Domini gloria & magnitudo per sacratissimam ejus Resurrectionem (*b*)! Videre Christum illusum, consputum, mille injuriis affectum, comprehensum, ligatum, ad tribunalia pertractum, accusatum nec respondentem, interrogatum & tacentem, spinis coronatum, flagellis dirè contusum, inter latrones suspensum, *factum spectaculum* Deo, *Angelis, & hominibus* (*c*); ab hoc autem ipso expectare gloriam cœlestem, felicitatem perpetuam, vitam æternam; o quàm arduum Gentibus fuisset! Quis tam sublimia ab illo tradi posse credidisset; nempe a nudo, vestem immortalitatis; a moriente, vitam æternam; ab illuso consputo

(*a*) *Act. Apost. I. v.* 21. & 22.
(*b*) *I. ad Corinth. XV. v.* 14.
(*c*) *Ibidem IV. v.* 9.

ſputo & irriſo, verum honorem & gloriam; a pauperrimo, ſempiternas & immarceſcibiles divitias; ab infeliciſſimo coram oculis Mundi, ſolidam & ſine fine duraturam felicitatem nos eſſe recepturos? Hoc profectò viſum fuiſſet duriſſimum, ne dicam ridiculum & ſtultum, ùt eſt apud eos, qui Deum non noverunt. At, cùm Chriſtum reſurrexiſſe ſcimus & cogitamus, mirum eſt, quomodo paulatim in profundiſſimam cognitionem devenîmus, quòd ſub infirmitatibus illis lateat Omnipotentis Divinitas; mirum eſt, quomodo fortes efficimur in credendis omnibus quæ proponuntur, & quomodo confirmamur in ſperandis iis omnibus, quæ nobis promittuntur. Itaque quidquid conſequi poſſumus, ſi conſtantes in Fide permanſerimus, adjuvatur admirabiliter ab hoc dogmate Chriſti Reſurrectionis: Illud enim, inter ea quæ ad ſalutem noſtram ſpectant, præcipuum obtinet locum, cùm operum noſtrorum, & redemptionis humanæ ſit quodammodo complementum. Ideo meritò ſcribit Paulus: *Traditus eſt Chriſtus propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram* (a). Sed quomodo verum eſt hoc, o Domine? Nonne in morte tua, nobis omnia dona, omnes gratias, & gloriam comparaſti? Quomodo ergo Paulus verum dicit, quòd juſtificatio noſtra Reſurrectionis tuæ fructus extiterit? Annon hoc eſt, ſanguini tuo pretioſiſſimo, Paſſioni, & morti propemodum derogare? Sed non derogat Apoſtolus Magiſtro ſuo, dilectiſſimi. Meruit profectò nobis bona omnia, & vitam æternam moriens Dominus Jeſus, & quidem plenè meruit ac perfectè; ſed Reſurrectio ejuſdem, medium fuit ad ea omnia executioni mittenda; poſt Reſurrectionem enim deliberaverat nobis elargiri quæ in Paſſione promeruerat; ideo Apoſtolis ſuis dicebat: *Vado parare vobis locum* (b); & *ſi ego non abiero Paraclitus non veniet ad vos* (c), qui tamen erat nobis pretioſiſſima dona, atque gratiarum chariſmata allaturus. Quod ad meritum Redemptionis noſtræ ſpectat, operatus eſt eam in Paſione ſua Chriſtus, & ejus mors fuit efficiens cauſa noſtræ ſalutis; at illius Reſurrectio ſingulari quodam modo operatur Reſurrectionem noſtram ſpiritualem & juſtificationem, quæ tamen, uti a cauſa efficiente, ab illius Paſione proceſsit. Eſt nimirum Reſurrectio Chriſti cauſa exemplaris, dans formam & exemplum, ſecundùm quod

(a) *Ad Roman. IV. v. 25.*
(b) *Joann. XIV. v. 2.*
(c) *Ibidem XVI. v. 7.*

quod èt nos surgere debemus per gratiam a peccato ad vitam spiritûs: Sicut enim Christus a mortuis resurrexit gloriosus & immortalis; sic èt nos non solùm corpore in die Judicii, sed etiam nunc spiritu discimus, quomodo resurgere debeamus: Quod quidem totum, licèt, ùt diximus, efficienter in morte sua sit operatus, exemplariter tamen in Resurrectione sua tantummodo complevit. Quæ est ergo ista Resurrectio spiritualis? Quis hic tantus & tam ingens fructus, profluens a Christi Resurrectione? Hoc didicistis in Epistola Pauli ad Romanos, quam paulo ante in Missa Sanctisima legi audivistis: *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita èt nos in novitate vitæ ambulemus* (*a*). Hoc totum Sacræ Baptismi cæremoniæ demonstrant, & innuunt; in eo namque mergitur primò parvulus quodammodo in aqua, tum e sacro fonte levatur: His autem duobus Christus priùs mortuus & sepultus, deinde verò resurgens ostenditur. Sic etiam in eo Sacramento, moritur homo peccato, & per gratiam resurgit ad vitam; primum virtuti mortis Christi, secundum ejusdem Resurrectioni tribuitur.

Hinc ex his verbis tria sunt magni momenti animadvertenda: Primò ipsa Resurrectio; secundò novitas vitæ, in qua ambulare debemus; tertiò perseverantia. Quoad primum: Eras o Christiane per peccatum mortuus, anima enim peccans moritur (*b*): Peccato mortuus es in morte Christi; quid igitur reliquum est, nisi ut per gratiam resurgas, & novam vitam recipias? Hoc conferunt tibi Sacramenta Sanctissima; sicut enim Anima vivificat corpus, sic, & multò magis, animam vivificat gratia, quæ verè est animæ vita: Hoc autem quantum superexaltat Dei misericordiam, quantæ nobis consolationis est causa! Non ob ea, quæ hesterna die retulimus, gaudere debes Christiane & consolari; sed ob hoc, quòd jam verè vivas vitâ illâ nobilissimâ & perfectissima, quòdque cum Christo surrexeris. O si homines cogitarent, quid sit hoc modo surrexisse; quanta exultatione replerentur! Si quàm admirabile opus Dei fuerit, intelligerent, quanti illud facerent! non minoris enim fuit opus virtutis Christi a morte Resurrectio, quàm tuî o Christiane a peccato reditus ad gratiam: Proinde efflagitabat a Domino Paulus, ut haberent Ephesii *illuminatos oculos cordis*, quibus hoc

(*a*) *Ad Roman. VI. v. 4.*

(*b*) *Ezechiel. XVIII. v. 4. & 20.*

hoc perſpicerent, dicens: *Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus, ſecundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus* (*a*). Eſt-ne ergo hoc parvì faciendum? Reconciliatus eſt quis Deo, ſurrexit, peccata rejecit, revixit; & hæc negligere poterit, quæ non minorem virtutem ac potentiam demonſtrant, quàm ipſa tam admirabilis Chriſti Reſurrectio? Mecum ipſe animo revolvebam præcipuum illum Eccleſiæ noſtræ Ritum recogitans, quo non ſolùm per hanc Octavam ſingulis diebus poſt veſperas accedimus ad fontem Baptiſmatis, ſed integro etiam anno Reſponſoria recitantur ad Baptiſterium (*b*); idque totum fieri arbitratus ſum, non modò ad orandum pro Baptizatis, ut acquiſita in ipſis gratia conſervetur; ſed etiam, ut nos hac ratione Eccleſia excitaret ad conſiderationem immenſæ gratiæ acquiſitæ in hiſce Feſtis Paſchalibus: in Sacro enim Baptiſmatis fonte, admirandi effectus mortis & Reſurrectionis Chriſti ad vivum exprimuntur. Mihi hæc cogitanti occurrebat in mentem populus Iſraëliticus, cùm ſicco pede rubrum mare pertranſiret; Ægyptii verò eos inſequentes in mediis undis cum curribus & equitibus ſuis ſubmerſi fuerunt (*c*): Ille, inquam, populus a tanto periculo tam prodigiosè ereptus, cùm in litore poſtea conſidens videret totum mare cadaveribus redundans, tam multa corpora ſupernatantia ad oras deduci, quàm ex corde in hæc verba debuit erumpere! O quantum erga nos miſericors Deus fuit, quos perire ac mergi minimè eſt paſſus! Sicut etiam ſi quis per anguſtam aliquam arctamque viam noctu pertranſiens, cui ſubſit ingens vorago, manè verò videns, quantum periculum evaſerit, maximè lætatur, ſimulque cum gaudio horrorem concipit, perpendens, illac ſe pertranſiſſe, quin tamen ſit periclitatus: Ita cùm nos, ùt dixi, ad fontem Baptiſmalem accedimus, videbar mihi videre nos

(*a*) *Ad Epheſ. I. v. 18. & ſeqq.*

(*b*) Ambroſiana Eccleſia a remotiſſimis temporibus ritum hunc ſervavit, ut ſingulis per totum annum Feriis, præſertim Adventus & Quadrageſimæ; necnon in Solemnitatibus Domini, preces, quas nos *Reſponſoria* appellamus, ad Matutinas & Veſpertinas Horas in Baptiſterio canerentur. Id enim adnotatum frequenter legitur in *Cæremoniali Ambroſiano*, quod Beroldus conſcripſit ſub initium Seculi XII., atque editum fuit a Clariſſimo Muratorio Tom. IV. *Antiquitatum Italiæ Medii Ævi*. Obſolevit jamdiu conſuetudo adeundi Sacrum Baptiſmi Fontem; ſed memoratæ preces adhuc præſcriptæ in Divinis Officiis ſub eodem titulo *Reſponſor. in Baptiſterio*, a Clero univerſo ſimul cum aliis Antiphonis recitantur. Illud quidem inviolato more apud nos viget, ut in Hebdomadis Paſchæ & Pentecoſtes, in quorum Solemnitatum Vigiliis Archiepiſcopus Infantes baptizat, Metropolitani Myſtæ ad Sacrum Lavacrum accedant, ibique Reſponſoria, quæ innuimus, canant.

(*c*) *Exodi XV. v. 4. & 10.*

nos ad litus maris rubri cum populo Hebræo ſedentes; & dicere compellebar: O Domine benigniſſime, infinitæ miſericordiæ & clementiæ Deus, ego ex undis illis horribilibus peccati illæſus ad hunc portum pervèni? Annon cum tam multis qui in medio curſu perierunt, èt ego perire potuiſſem? Dein exclamare cogebar: *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti (a); Torrentem pertranſivit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet aquam intolerabilem (b).* Hoc ipſum in his Feſtis diebus conſiderare maximo erit nobis ſolatii argumento, dum quæ retro ſe ipſum ſunt quilibet aſpiciens, dicet: O bone Deus! quibus ego eram peccatorum funibus conſtrictus, in quam gravi periculo verſabar! Si mors me tunc rapuiſſet, deſcendiſſem protinus in tenebras exteriores. O infinitam Dei miſerationem, quæ me dignata eſt inde eripere, & ad hunc ſalutis portum perducere! *Miſericordias Domini in æternum cantabo (c): Benedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus (d).*

Secundum, quod ex verbis Pauli eliciebamus, erat, *ambulandum* nobis eſſe *in novitate vitæ.* Sua enim Reſurrectione præbuit Dominus noſter exemplar, & vim ambulandi in gratia, ad quam ſurreximus, *ut quomodo Chriſtus ſurrexit, ita èt nos in novitate vitæ ambulemus (e).* Hoc eſt, o Chriſtiane, cujus jam te oportet meminiſſe, in eoque jugi recordatione defigi; nimirum ut in te nova impoſterum ſint omnia, novæ cogitationes, nova deſideria, novi mores, nova converſatio, nova vita: hujus enim novitatis acquirendæ atque ſervandæ efficax nobis auxilium in Chriſti Domini Reſurrectione acquiſitum eſt, traditumque exemplar.

Hæc tamen omnia nihil proderunt, ſi nobis deſit conſtantia & perſeverantia in hac vitæ novitate, quam tertiò propoſuimus; cavendum enim nobis eſt, ne in priſtina peccata relabamur. *Hoc ſcientes*, (addit Apoſtolus, quaſi dicat; hoc ſemper cogitate, hoc ſcitote) *quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt a peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto (f): Scientes* (iterum addit, ut quàm ſit neceſſarium illud ſcire, hac geminata

(a) *Thren. III. v. 22.*
(b) *Pſalm. CXXIII. v. 5.*
(c) *Pſalm. LXXXVIII. v. 2.*
(d) *Pſalm. CII. v. 1.*
(e) *Ad Roman. VI. v. 4.*
(f) *Ibidem v. 6. & ſeqq.*

nata voce intelligamus) *quòd Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo* (*a*). *Mortuus est* enim *peccato*, ideſt ut peccatum deleret, mori voluit; hoc autem *semel* tantùm, ſicut ſemel reſurrexit, non ultra moriturus: *Quod autem vivit, vivit Deo*, ſcilicet in æternum vivet. *Ita & vos* (quomodo conformari debeamus morti Chriſti, & Reſurrectioni jam infert) *existimate vos mortuos quidem esse peccato*, hoc eſt tamquam ad peccatum numquam ſitis redituri, ſicut numquam ad mortem temporalem Chriſtus eſt rediturus; *viventes autem Deo* (*b*), ut numquam amplius per peccatum moriamini; ſed perſeveretis in novitate vitæ, quam inſtituiſtis. O Chriſtiane, cùm hæc ita ſe habeant, tu adeo facile in peccata recides? Irritos ergo facies omnes Chriſti labores atque cruciatus? Ludes tu, & deludes mortem ipſius & ſanguinem? Cùm hæc ille omnia peregerit, ut peccatum deſtrueret; tu peccatum in corpore tuo reviviſcere faciens, annon omnia Chriſti opera deſtrues, & ſuo fine privabis? Ille mortuus eſt & reſurrexit, ut non ultra moriatur; & tu eum in temetipſo iterum crucifiges? Quoties enim miſeri peccatis, toties rurſus Chriſtum jam immortalem & impaſſibilem (quantum in vobis eſt) teſtante Paulo, Cruci configitis (*c*). Chriſtus tibi, o homo, dona & gratias ac theſauros innumeros acquiſivit; ſi tu eorum jacturam ſponte facias, non illius, qui te adeo dilexit culpa eſt, ſed tua. O ingrate nimiùm tanto amori! O ſalutis tuæ acerrime inimice, qui tam facilè a ſpiritus reſurrectione decidis! Audi, quàm conſtans ſtaret Apoſtolus in novitate vitæ, ad quam reſurrexerat: *Quis ergo* (inquit) *nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius* (*d*)? *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*e*). Hoc idem dicat hodie quicumque per Chriſti Reſurrectionem revivere cœpit; & firmiſſimè ſtatuat, in poſterum millies potius mori, quàm acquiſitam gratiam rurſum peccando diſperdere.

(*a*) *Ad Roman. VI. v. 9. & seqq.*
(*b*) *Ibidem v.* 11.
(*c*) *Ad Hebr. VI. v. 6.*
(*d*) *Ad Roman. VIII. v.* 35.
(*e*) *Ibidem v.* 38. *&* 39.

SECUNDA PARS.

Sed ex quo tam magnum est Dei beneficium, surrexisse spiritu a peccatis, non erit mirum si quis ardentissimè cupiat indicia rescire, quibus nosse possit, utrum verè, necne, resurrexerit. De hoc quidem in hac vita, nulla certa haberi possunt testimonia; *nemo* enim *scit, utrum amore an odio dignus sit* (a); sed opus est, ut in continuo nos timore versemur: Possumus tamen signis quibusdam ac conjecturis, sanctà quadam fiducia, & Christiana reverentia, in hujus cognitionem devenire. Ea autem sunt multa, de quibus aliqua mox attingemus. Primum ergo signum vitæ spiritualis sunt opera vitæ; mortuus siquidem non spirat, non capit cibum, non nutritur, non movetur: sic etiam in animæ vita, ille revixisse credi potest, qui viventis opera exercet, sensuum exteriorum actiones, ad sensus interiores & spirituales comparando. Qui ergo diligens in posterum fuerit in audiendis concionibus, & piis colloquiis; qui frequens adibit Ecclesias, Oratoria, Templum Sancti Sepulcri, & hæc omnia audiet cum fructu (non enim satis est audire, nisi quæ aure audiuntur, opere impleantur); qui videbit, idest oculos habebit apertos in meditando mane cùm e lecto surgit, & sero antequam cubitum vadat, mysteria Sanctissimi Rosarii, Christi Domini Passionem, extremum judicium, mortem, infernum, cœlestem gloriam; qui non solùm hæc videbit, sed tanget etiam, profundiùs penetrando; qui gustabit de rebus, ad spiritum & Deum spectantibus; si nempe ille, cui conciones erant exosæ, cùm longiùs protraherentur, Divina officia admodum prolixa fastidium creabant, molestus erat ad Ecclesias accessus; modò mutatus hæc omnia (prius veluti insulsa atque amarissima) gustat & dulcissima sentit; videntur cuncta breviora, imo esurit, verbi Dei panem comedere; qui aliàs delectabatur librorum profanorum & obscœnorum lectione, nunc eos horret, & asceticos tantùm præ manibus retinet, verba otiosa & superflua refugit: Hic, hic sperare potest, se verè surrexisse, & verè jam vivere. Alia etiam sed eadem cum istis signa Paulus, ad Colossenses scribens, proponit: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super*

(a) *Ecclesiastes IX. v. 1.*

per terram (*a*). Ecce, hæc ſunt ſigna. Qui e converſo habet cor, ùt priùs, in ſuperbia pompis avaritia, in detractionibus odiis crapulis & voluptatibus, in ornatu corporis, cincinnis & comis contortis (quæ omnia terrena ſunt & carnalia); hic profectò ſenſum non habet hominis, qui verè ad novam reſurrexerit vitam: Qui in id non incumbit, ut *theſaurizet ſibi theſauros in Cœlo, ubi fures non effodiunt, nec furantur, neque ærugo, neque tinea demolitur* (*b*); cui ſpiritualia magis non ſapiunt, quàm terrena; hic non ſurrexit. Unuſquiſque igitur manum pectori apponat, & ſe ipſum ſcrutetur; & facillimè noſcet, an vivat, vel mortuus adhuc ſit; an reſurrexerit, vel adhuc fœtidum & inanime cadaver exiſtat.

Ipſa hæc tamen Chriſti Reſurrectio alia quoque ſigna docet, quibus unuſquiſque, an reſurrexerit cognoſcat. Chriſtus reſurrexit, ſed corpore *impaſſibili*, non amplius ſubdito flagellis, ſpinis, cruciatibus, doloribus, morti; *claro*, *agili*, atque *ſubtili*, quæ quatuor erunt corporum in cœleſti gloria nobiliſſimæ dotes. Hæ itidem, ſi in anima ſint, verè nos reſurrexiſſe poſſumus arbitrari. Erat quiſpiam adeo ad peccandum pronus & facilis, ut leviſſimis quibuſque de cauſis, etiam non graviter tentatus ſtatim in peccata rueret præceps. Jam factus eſt conſtans iu tentationibus & fortis; concuti quidem poteſt ventis & procellis, ſed immotus permanet; non prorumpit in odia & contumelias, non trahitur vindictæ cupiditate. Hic quodammodo *impaſſibilis* eſt; animâ, ùt Chriſtus corpore, ſurrexit: Profectò vera hæç impaſſibilitas, quamdiu vivimus, haberi non poteſt, ſed fortitudo quædam Chriſtiana atque conſtantia illi correſpondet.

Secundò erit in corporibus glorioſis *claritas*: *Fulgebunt*, inquit Dominus, *juſti ſicut Sol in Regno Patris mei* (*c*): Animæ claritas in ſocietate cum aliis conſiſtit; ſi nempe vultus etiam ipſe, modeſtia quadam & hilaritate ſpirituali, animæ inhærentem ſplendorem oſtendat. Eſt tertiò *agilitas*, cùm quis ferventior eſt redditus in operibus piis & ſanctis; majori corde, & caritatis calore ea ſuſcipit, ad quæ prius piger & tepidus, vix audebat reſpicere. Quartò demum *ſubtilitas* ſpiritualis, maximum eſt argumentum hujus, de qua loquimur, Reſurrectionis; cùm ſcilicet quis opera heroica, ardua, & difficilia in rebus ad Deum vel Proximum ſpectantibus lubens aggreditur. Sicut enim corpora glo-

(*a*) *Ad Coloſſ. III. v.* 1. & 2.
(*b*) *Matth. VI. v.* 20.
(*c*) *Ibidem XIII. v.* 43.

gloriosa, subtilitate sua, quocumque volunt, penetrant; ita homo non solùm præceptis observandis, se omni studio ac diligentia totum tradit, verùm etiam consiliis adimplendis: Aurum negligit & argentum, & quæcumque Mundus cæcus maximì æstimat, ipse nihilì facit; aperit manus, & eleemosynas liberalissimè profundit in pauperes; nec de iis solùm quæ sibi supersunt, sed etiam de iis, vitæ suæ aliàs necessariis, ea demit, quæ egenis propter Christum distribuat. Ecce ergo speculum ante vos positum mundissimum & nitidissimum, in quod unusquisque nostrûm quotidie possit oculos facilè conjicere, & an mortuus, vel vivus sit, cognoscere. Curet ergo quilibet, hæc signa in se ipso exprimere, & in posterum sibi aliisque testimonium præbere manifestissimum, quòd verè surrexerit.

Dixi verè, non fictè; quia *surrexit* etiam *Dominus verè, & apparuit Simoni* (*a*). De cetero, ne erret quispiam aut decipiatur; licèt enim Christus a mortuis surrexerit, licèt de morte & Diabolo triumphaverit, licèt inferis spolia detraxerit: nisi hæc omnia in se ipso adimpleverit, vana ei erunt profectò. In hac quidem die, quam fecit Dominus, exultandum nobis est ac lætandum; hæc utique dies est gaudii, & lætitiæ incredibilis; in hac, omnia personant Alleluja, jubilo, & exultatione: Sed nisi accomodare hæc sibi quisque contendat, fructu Dominicæ Resurrectionis prorsus carebit. Primò enim, quod ad resurrectionem corporum spectat, quæ est fructus Resurrectionis Christi, ejus nos participes non erimus; qui enim partem non habebit in prima Resurrectione, neque in secunda partem sortietur: Licèt enim resurrecturi sint pariter omnes & justi, & impii; illi tamen resurgent ad vitam, hi verò ad mortem perpetuam: unde èt de his meritò dicitur, quia *non resurgunt impii in judicio: neque peccatores in concilio justorum* (*b*). *Beatus* verè, *& sanctus* (exclamat Joannes Evangelista) *qui habet partem in Resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem* (*c*); *mors*, inquam, sempiterna, quæ nullum umquam terminum est habitura. O quàm magnum nobis stimulum injicere deberent illa Apostoli verba: *Quòd si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit èt mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis* (*d*), idest propter dignitatem, quam

(*a*) *Lucæ XXIV. v.* 34.
(*b*) *Psalm. I. v.* 5.
(*c*) *Apocalyps. XX. v. 6.*
(*d*) *Ad Roman. VIII. v.* 11.

quam corpora noſtra acquirunt, eò quòd fuerunt receptacula Spiritùs Sancti, cùm in ipſis habitaverint animæ, quæ Spiritùs Sancti Templa fuerunt: Propter hoc ergo tanta erit corporibus noſtris communicanda excellentia. O quantus honor, quanta eſt hæc dignitas! Agnoſce ergo homo hanc animæ tuæ prærogativam, hanc Sancti Spiritus gratiam & liberalitatem; & contende jam, ſi mortuus eras, èt tu reſurgere. Mihi crede, licèt hoc difficile eſſe dixerim, perſeverare tamen, cùm reſurrexeris, in vitæ novitate facilè admodum eſt. A te ſolùm exigitur, ut has Marias, de quibus in Evangelio audiſti, imiteris, earum ſcilicet diligentiam & ſolicitudinem, cùm ipſæ diluculo, ſummo mane, emptis aromatibus ad Sepulcrum properaverint, introſpexerint: Cetera enim, quæ difficilia erunt, etiam te difficultatem non advertente, Dominus tollet. Illæ eædem mulieres ſe quidquam facere poſſe diffidebant, ob lapidem prægrandem ſuperpoſitum; ideoque dicebant: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Accedentes autem *viderunt revolutum lapidem* (*a*): Sic èt tu, jam lapidem peccati graviſſimum a te vides revolutum; accede tantùm & propera, nec fatigeris; *ſpera in Domino*, quoniam *ipſe faciet* (*b*) tecum hanc quoque bonitatem, & ſatage, ut ſi reſurrexiſti, jam ultra morti te non ſubjicias. Quòd ſi ſpiritu non ſurrexiſti (puto autem, Dei munere, neminem hìc talem adeſſe) noli gaudere Frater propter Solemnitatem Paſchalem: Non tibi fuit Paſcha, non tibi Chriſtus reſurrexit. *Væ* (inquit ad hujuſmodi homines Propheta) *deſiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis? Dies Domini iſta, tenebræ, & non lux* (*c*). Non eſt ipſis vita, non gratia, non triumphus, non Paſcha, non dies gaudii & exultationis; ſed confuſionis potius, & punitionis augmentum, qui non profecerunt in meis hiſce myſteriis, dicit Dominus. Caveat ergo quiſque, ne de iſtorum ſit numero; ſed diligenter nos operam demus, ut perſeveremus ac proficiamus, & oremus pro illis, ut eorum Dominus oculos adaperiat & aures, ac duriſſima corda emolliat; ne ſaltem Octavus hujus ſolemnitatis Dies pertranſeat, quin èt ipſi reſipiſcant, & nobiſcum in hac vita gratiæ, in futura verò gloriæ ſempiternæ participes fiant. Amen.

HO-

(*a*) *Marci XVI. v.* 3. & 4.
(*b*) *Pſalm. XXXVI. v.* 5.
(*c*) *Amos V. v.* 18.

HOMILIA CXI.

HABITA IN TEMPLO MAXIMO MEDIOLANI

Feria III. post Pascha

ANNO MDLXXXIV. III. APRILIS.



On poteſt, dilectiſſimi filii, ignis in pectore latens contineri, quin foras reſplendeat, quin etiam concremet atque adurat. Manifeſtiſſimè apparet vis amoris, quo religioſæ Mulieres Chriſtum Dominum, Magiſtrum ſuum proſequebantur. Hinc Sancta Mater Eccleſia, hæc optimè agnoſcens adhuc perſeverat nobis ob oculos ponere in Hiſtoria Evangelica earum piam ſolicitudinem, qua currunt & redeunt ad ſanctiſſimum Salvatoris noſtri Sepulcrum; accedunt & recedunt, introſpiciunt, & tamdem ab eo vel ſe divellere neſciunt, vel longe & diu abeſſe non poſſunt. Imo, cùm perfidi adhuc cuſtodes audeant pretio vendere teſtimonium Reſurrectionis Filii Dei, & pecuniis corrupti ineluctabilem illam ac miram veritatem mendaciis involvere, & quantum in ipſis eſt, obſcurare; illæ tamen conſtantes & immobiles in dilectione ſua ac diligentia perſeverant. Sed quid faciet infinita Domini pietas? Num ſine præmio hæc relinquet? Minimè verò; ſed conſolatione eas, ac inenarrabili cordis replet exultatione: Viſibilem ſeſe eis exhibet, permittit ſe, & pedes ſuos ſacratiſſimos ab eis comprehendi: Salutat eas, dicens: *Avete;* ac ad Apoſtolos Apoſtolas mittit, ut indicet, ſe velle eas peculiari gaudio exhilarare (*a*).

Cur ergo èt nos ad Sepulcrum hoc non accurramus, ſperantes ab eodem benigniſſimo Domino, cujus non ſunt contractæ, aut coarctatæ miſericordiæ, nos etiam fore ſolatio replendos? Accedamus igitur, & intremus. Sed quid ibi inveniemus?

(*a*) *Matth. XXVIII. v. 9. & 10.*

mus? Vacuum eſt, nullum ibi ſignum corruptionis, quæ omnino ſociari non potuit cum ſacratiſſimo illo corpore, quod Verbo Æterno fuerat unitum. Verùm nec corpus ipſum hic adeſt, imo èt Angeli eum ſurrexiſſe nunciantes inquiunt: *Quid quæritis viventem cum mortuis* (*a*)? O mors ubi ſunt tua Inſignia & apparatus? Ubi inſtrumenta, ubi quæ inflixiſti, vulnera? ubi enſis, quo feriiſti? O fera peſſima & crudeliſſima! *o amaritudo amariſſima* (*b*)! o fœtor, & horror filiorum Adam! *Ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus* (*c*)? Quid feciſti? quem occidiſti? O infelix, invida, & iniqua mors: Injeciſti manus in quem nequibas; putaſti, poſſe te eum in tua retia pertrahere, qui ab imperio tuo fuit ſemper exemptus. Vidiſti in eo carnem & oſſa, ſed numquam videras peccatum & dolum; exiſtimaſti, te eam mordere poſſe, ſed ipſa te momordit; eſcam vidiſti & cibum, & apprehendiſti, ſed apprehenſa es ipſa a latente intus hamo. Voluiſti prædari quod tuum non erat; & illud ipſum, quod prædata fueras, & erat tuum, miserè amiſiſti. Ecce *multa corpora Sanctorum ſurrexerunt* cum Chriſto, & apparuerunt in Jeruſalem (*d*). Annon tibi per Oſeam Prophetam hic ipſe, quem occidiſti, prædixerat: *Ero mors tua, o mors, morſus tuus ero, Inferne* (*e*)? Scis, quid feceris? Profectò quod Jeremias dixit: *perdix fovit, quæ non peperit: fecit divitias, & non in judicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas* (*f*). Hoc in tuî hodie ruborem eſt adimpletum; tuis enim ipſa ſpoliis expoliata fuiſti; ſed èt *in noviſſimo inſipiens remanebis* (*g*), ac penitus deſtruêris. Licèt hodie non integrè, ac manifeſtè refulgeat inſignis ille triumphus, quem de te Dei Filius reportavit; licèt adhuc nemini parcas; licèt abſque ulla perſonarum acceptione in omnes Imperatores, Reges, & Principes deſævias; magno tamen cum diſcrimine hæc peragis. Nam ètſi nunc occîdas, & corpora tantummodo poſſideas, tamen hæc ipſa corpora a te auferentur, quæ ſervas in tumulis recondita: Reddes utique, reddes aliquando, quæ rapuiſti. *Veniet* Unigenitus Patris *cum poteſtate magna, & majeſtate* (*h*), & hæc omnia a te repetet: Licèt autem oſſa cinereſque diſperſeris, omnia tamen integerrimè eadem reſtituere cogêris. Hic unus fuit, dilectiſſimi, ex triumphis

(*a*) *Lucæ XXIV. v.* 5.
(*b*) *Iſaiæ XXXVIII. v.* 17.
(*c*) *I. ad Corinth. XV. v.* 55.
(*d*) *Matth. XXVII. v.* 52. & 53.
(*e*) *Oſee XIII. v.* 14.
(*f*) *Jerem. XVII. v.* 11.
(*g*) *Ibidem.*
(*h*) *Lucæ XXI. v.* 27.

phis nobilibus, quos Christus a mortuis resurgens, retulit; hic unus ex præcipuis fructibus, quos ex ipsius Resurrectione percepimus, mortis nempe destructio. De hac igitur nonnulla considerandą vobis hodie proponemus.

Admirabilis, & magnis referta mysteriis inter alias plures fuit illa Ezechielis visio, quam sic ipse describit: *Facta est super me manus Domini, & eduxit me in Spiritu Domini: & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus. Et circumduxit me per ea in gyro: Erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer. Et dixit ad me: Fili hominis, putas-ne vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus, tu nosti. Et dixit ad me: vaticinare de ossibus istis: & dices eis: Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis. Et dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem: & dabo vobis spiritum, & vivetis, & scietis, quia ego Dominus. Et prophetavi, sicut præceperat mihi: Factus est autem sonitus, prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam. Et vidi, & ecce super ea nervi, & carnes ascenderunt: & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant. Et dixit ad me: vaticinare ad spiritum: Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant. Et prophetavi, sicut præceperat mihi: & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde* (*a*). O sublimem Dei virtutem, atque potentiam! Quis umquam putasset, *ossa* illa *arida*, carnibus suis & cute operienda, ac pristino spiritu iterum fore vivificanda? Ad quid admirabile hoc opus dirigebat Spiritus Sanctus? Detinebatur Israëliticus populus captivus, ac in misera servitute angebatur: Decreverat illum Dominus consolari, ne fortè in desperationem ageretur, inde se numquam exolvendum; quamvis autem hoc illis videretur difficillimum, & humanas omnes vires exuperans, volebat tamen Deus, ut scirent sibi nihil esse difficile, omnia illi possibilia esse, qui supra naturam, & humanæ omnis intelligentiæ captum ossa illa tam multa, & adeo sicca ad vitam revocare potuerat. Verùm etiam oculos omnium nostrùm simul aperiebat ad considerandam animæ Resurrectionem (de qua heri ad vos verba fecimus), ut peculiari etiam ac insigniori quadam via detegeret veritatem dogmatis, quod

(*a*) *Ezechiel. XXXVII. v. 1. & seqq.*

quod omnes Ecclesiæ Sanctæ filii, sincera fide confitemur, de universali carnis Resurrectione. Et hic fuit itidem Salvatoris nostri scopus & finis, cùm per se, & per Servos suos, ad vitam mortuos admirabiliter reduxit, nempe ut hominum mentes disponeret ad capiendum Resurrectionis suæ Sacrosanctæ mysterium, & universalis omnium nostrûm, in virtutis suæ potentia faciendæ.

O excelsum mysterium, ad quod toties, & tam diversis clarissimis verbis nos voluit Dominus præparare! Hoc innuere volebat, cùm Judæis diceret: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit èt Filio habere vitam in semetipso. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*a*): Hoc, cùm Martham sic alloquebatur: *Ego sum resurrectio, & vita* (*b*), & paulo ante: *resurget frater tuus* (*c*). Hujus mysterii sublimitatem, magnificis illis verbis Paulus descripsit: *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti; & nos immutabimur* (*d*). Sed devorata fuerunt a piscibus & feris corpora, ossa combusta, quin èt validissimus ventus per totum terrarum Orbem cineres sparsit, o Apostole. Nihil hoc refert, quia *in ictu oculi* ignis reddet ossa, ventus cineres, feræ ac volucres restituent carnes; & *mortui resurgent*. Hujus universalis mortuorum omnium suscitationis causa efficiens fuit Christi Resurrectio (*e*), „ in quantum Humanitas Christi sanctissima, secundùm quam „ resurrexit, est quodammodo instrumentum Divinitatis ipsius, „ & operatur in virtute ejus. Et ideo sicut alia, quæ Christus in sua Humanitate fecit, vel passus est, ex virtute Divinitatis ejus sunt nobis salutaria; ita & Resurrectio Christi est „ causa efficiens nostræ resurrectionis virtute Divina. Quod „ enim [prosequitur (*f*)] in quolibet genere est primum, hoc „ est causa omnium, quæ sunt post: Primum autem in genere „ veræ resurrectionis fuit Resurrectio Christi, & hoc est, quod „ Apostolus dixit: *Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium:*

(*a*) *Joann. V. v. 26. & seqq.*
(*b*) *Ibidem XI. v. 25.*
(*c*) *Ibidem v. 23.*
(*d*) *I. ad Corinth. XV. v. 52.*
(*e*) S. Thomas 3. part. Summæ quæst. LVI. art. I. ad III.
(*f*) Ibidem in respons. ad art. I. de Resurrect. Christi.

„ *tium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio*
„ *mortuorum* (*a*).

Profectò requirebat exactissima Dei justitia, ut omnium hominum corpora aliquando resurgerent; ut caro, quæ cum anima fuerat operata, reciperet quoque ipsa condignam labori suo retributionem. Fuisti, o caro, socia in crapulis, luxuriis, ebrietatibus; eris etiam in igne Inferni ejusdem animæ socia: Fuisti in jejuniis, abstinentiis, vigiliis, atque orationibus; eris etiam cœlestis præmii cum Anima particeps.

Sed alia quoque de causa requirebat Divina Justitia, ut universalis hæc resurrectio tamdem fieret; tam multa enim in præsenti vita a Deo permitti animadvertimus, quæ facillimè potuissent parvulis & infirmis in fide scandalum parere, nisi aliquando horum causa iisdem innotuisset. Ille nec Deum timet, nec homines, pauperum sanguine pascitur, usuris enecat proximos; & tamen prospera omnia ei contingunt. Alter verò in timore & tremore saluti suæ incumbit, Dei præcepta studiosè servat, nemini est offendiculo; & tamen pauper jacet & mendicus, ac ab omnibus despicitur. Quæ ergo est ista Dei justitia? unde talis disparitas? Profectò si hæc tantùm vita spei nostræ terminus foret, omnium hominum infelicissimi essemus. Nec infirmos solùm, ùt diximus, hæc commovere potuissent, sed etiam justissimos viros visa sunt aliquando anxios reddidisse. Hoc est, de quo conquerebatur Habacuc: *Usquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, & non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & injustitiam contra me* (*b*)*? Quare respicis super iniqua agentes, & taces, devorante impio justiorem se* (*c*)*?* Jeremias verò ait: *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum: verumtamen justa loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt* (*d*)*?* David quoque super hoc magis mirari videbatur: *Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei*; quasi diceret: parum abfuit, quin deciderim à judicio, & cognitione justitiæ tuæ, & scandalum passus sim, *quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns* (*e*). Et post multa, inquit: *existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me. Donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum* (*f*). In fine

(*a*) *I. ad Corinth. XV. v.* 20. *&* 21.
(*b*) *Habacuc I. v.* 2. *&* 3.
(*c*) *Ibid. v.* 13.
(*d*) *Jerem. XII. v.* 1.
(*e*) *Psalm. LXXII. v.* 2. *&* 3.
(*f*) *Ibid. v.* 16. *&* 17.

fine ergo cognoſcetur hujus diſparitatis ratio. Inſpicite filii amborum *noviſſima*; impiorum ſcilicet, qui hic *ſuperexaltantur & elevantur ſicut cedri Libani* (*a*), & juſtorum, qui *ſeminant in lacrymis* (*b*) & afflictionibus: Et, tunc Deum juſtiſſimum eſſe comperietis. *Homo quidam erat dives*, ſcribit Lucas (*c*), *qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat: ſed èt canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.* Ecce vitæ diſparitatem: Sed intelligite noviſſima utriuſque: *Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem èt dives, & ſepultus eſt in Inferno. Elevans autem oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham a longè, & Lazarum in ſinu ejus: Et ipſe clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili: recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris* (*d*). In hoc quidem duorum dumtaxat exemplo agnoveramus, quàm juſtus ſit Dominus. Verùm requirebat hæc eadem Divina juſtitia, ampliſſimam & univerſalem fieri de ſe ipſa oſtenſionem in Mundi totius theatro, coram omnibus hominibus, & Angelis; illicque videri, quàm condigna & plena retributio a juſtiſſimo Domino tum in anima, tum etiam in corpore ſingulis redderetur; ideoque neceſſe erat, ut omnes reſurgerent.

Præterea hoc idem immenſa Dei bonitas poſtulabat; vult enim Deus eos, qui ipſum in tribulationibus, & Cruce ſequuti fuerunt, beatiſſimos efficere. Jam quidem eorum animas in Cœlo extantes reddidit felices, ſed non plenè; primam enim dumtaxat ſtolam adeptæ ſunt. Adhuc ſecunda deſideratur ab ipſis, quæ eſt corporis gloria. Neque enim Anima perfectionem ſuam integram habere poteſt abſque corpore, cui a Deo Creatore fuit arctiſſimo vinculo ſociata: decebat ideo, animas corporibus rurſum conjungi; & cùm nihil, quod violentum eſt, diuturnæ poſſit eſſe durationis, ſitque hujuſmodi ſeparatio violenta, & animæ contraria, ideo in perpetuum durare non poterat.

(*a*) *Pſalm. XXXVI. v.* 35.
(*b*) *Pſalm. CXXV. v.* 5.
(*c*) *Cap. XVI. v.* 19. *& ſeqq.*
(*d*) *Lucæ XVI. v.* 22. *& ſeqq.*

Sed quomodo fiet hæc universalis resurrectio; quomodo resurgemus? In eodem corpore, dilectissimi filii; alias enim, ubi esset Divina justitia, si in diversis corporibus renasceremur? *Oportet enim*, ait Apostolus, *corruptibile hoc* (*hoc* inquam, & non aliud) *induere incorruptionem*, *& mortale hoc induere immortalitatem* (*a*). Hæc mea membra, hoc caput, hi oculi, aures istæ, digiti, manus, pedes, vitæ redonata *induent incorruptionem;* justum est enim, ut membra, quæ servierunt animæ, præter universalem totius corporis gloriam, habeant ipsa quoque singularia sibi correspondentia præmia. Oculi, qui Christo compatientes lacrymas effuderunt; qui sua, & aliorum peccata deplorarunt, peculiare præmium consequentur: Aures, quæ detractionibus, obscœnitatibus, & verbis otiosis occlusæ, Divino tantùm eloquio apertæ fuerunt, sua retributione non carebunt. Sic èt manus, quæ liberalem in pauperes stipem erogaverunt; pedes, qui ad opera pia segnes non fuerunt; *os*, quod *laudem Domini annunciavit* (*b*); membra demum omnia peculiarem recipient splendorem, præter lucem qua corpora ùt Sol fulgebunt. Sicut e converso, o miser peccator, membra tua, quæ tibi instrumenta fuere ad scelera perpetranda, & ad lædendum Domini Dei Creatoris & Redemptoris tui honorem, præter inextinguibilem ignem Inferni, qui totum corpus comburet, etiam peculiaribus pœnis torquebuntur: Oculus, inquam, adulter, qui in Ecclesia quoque ausus est obscœnas cordis cogitationes enunciare, & turpes amores exercere; vultus variis coloribus depictus, facies illa tua, o mulier, quæ fuit rete Diaboli ad illaqueandas incautorum adolescentium animas; tuæ illæ manus, avare, tui illi *pedes*, iracunde, *veloces ad effundendum sanguinem* (*c*), propriis iisque gravissimis tormentis afficientur. Hoc tibi Dominus per Prophetam suum manifestissimè comminatus fuerat, infelicissime peccator, vanissima mulier: *Et erit pro suavi odore fætor*, *& pro zona funiculus*, *& pro crispanti crine calvitium*, *& pro fascia pectorali cilicium* (*d*).

Resurgemus ergo omnes non solùm cum hac, ut ita dicam, membrorum omnium identitate, sed etiam cum excellentiori eorumdem perfectione. Licèt enim hìc aliquis cæcus natus fuerit, aut parte aliqua corporis læsus, vel ex morbo, aut alia de causa fuerit membris privatus; in die novissimo tamen omnes

(*a*) *I. ad Corinth. XV. v.* 53.
(*b*) *Psalm. L. v.* 17.
(*c*) *Psalm. XIII. v.* 3.
(*d*) *Isaiæ III. v.* 24.

omnes boni malique perfectè cum omnibus suis membris resurgent: boni quidem, ut inde eis fiat felicitatis augmentum; improbi verò, ut iisdem pœnæ atque miseriæ augeatur calamitas. Quemadmodum igitur omnia a Deo initio creationis perfecta fuerunt, ita etiam futurum in resurrectione ambigere non valemus. Neque id de Martyribus solùm credendum est, de quibus Sanctus Augustinus ita testatur: Non erunt absque illis membris; non enim posset illa mutilatio non esse corporis vitium; alioquin qui capite truncati sunt, deberent sine capite resurgere. Verumtamen extabunt in eorumdem membrorum articulis gladii cicatrices, refulgentes super omne aurum, & lapidem pretiosum, veluti etiam cicatrices vulnerum, ac sacratissima Stigmata Christi Domini Salvatoris nostri. Quod de improbis quoque verissimè dicitur, quamvis illorum culpâ membra amputata fuerint, nam quò plura membra habebunt, tantò acerbiori dolorum cruciatu conficientur. Quare illa membrorum restitutio non in eorum felicitatem, sed calamitatem ac miseriam est redundatura, cùm merita non ipsis membris, sed personæ, cujus corpori conjuncta sunt, adscribantur: iis quidem, qui pœnitentiam egerint, ad præmium; illis verò, qui eamdem contempserint, ad supplicium restituentur.

Cùm in statu innocentiæ, ante Protoparentum peccatum, existeret homo, præter ceteras excellentias, hac etiam donatus erat, ut mori non posset; post peccatum verò illam amisit, morti obnoxius redditus. Hanc quoque jacturam reparabimus, cùm omnes in Resurrectione resurgemus; *induemus* enim *immortalitatem* (*a*), & amplius *mors* nobis *non dominabitur* (*b*). Hoc erit justis quidem maxima exultatio; securi enim erunt, quòd numquam peritura sit eorum felicitas: malis verò immensum supplicium, quòd se videbunt sine termino futuros esse miserrimos; unde etiam *quærent mortem, & non invenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis* (*c*).

Præter hæc tamen omnibus communia, habebunt peculiares quasdam dotes, & excellentias sola Sanctorum corpora, quas sacri potissimùm Theologi ad quatuor referunt. Prima erit *impassibilitas: Non esurient, neque sitient amplius* (*d*); non mortem formidabunt, neque ægritudines; non dolere poterunt, vel tristari. Secun-

(*a*) *I. ad Corinth. XV. v.* 54.
(*b*) *Ad Roman. VI. v.* 9.
(*c*) *Apocalyps. IX. v.* 6.
(*d*) *Ibidem VII. v.* 16.

Secunda erit *claritas*, quæ fulgor quidam erit, ex animarum gloria in corpora ipsa transfusus; hæc verò non par erit in singulis, sed pro gloriæ diversitate major, aut minor; *alia* enim est *claritas Solis*, *alia claritas Lunæ*, *alia claritas stellarum* (*a*): Sed juxta mensuram suam omnia erunt clara, & *fulgebunt justi*, *sicut Sol in Regno Dei* (*b*). O quàm gloriosum spectaculum erit, tot Soles videre, quot illic aderunt corpora Sanctorum! Tertia erit *agilitas*: Nunc caro *animam aggravat* (*c*), & deprimit, ac difficilem reddit ad ea peragenda, in quæ propendet: Tunc verò nil retardabit animam corporea moles, quæ agilis æquè reddetur, ac spiritus. Quarta demum erit *subtilitas*, cujus virtute corpus animæ imperio omnino subjicietur, eique deserviet, & ad nutum præsto erit. Quæ omnia præclarissimè Apostolus Paulus, in eo capite, quo de mortuorum Resurrectione prolixè & disertissimè egit, compendio perstrinxit, inquiens: *Seminatur in corruptione*, *surget in incorruptione*. *Seminatur in ignobilitate*, *surget in gloria*. *Seminatur in infirmitate*, *surget in virtute*. *Seminatur corpus animale*, *surget corpus spiritale* (*d*). O quàm insignis est hic Dominicæ Resurrectionis fructus, quàm eximium donum! Ideo cum omni gratiarum actione meritò hodie gaudentes dicamus: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum*, *qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, *secundùm operationem*, *qua etiam possit subjicere sibi omnia* (*e*).

SECUNDA PARS.

Sed videor mihi jam audire non quempiam solum, sed omnem carnem submurmurantem: Si Christus de morte triumphavit, si resurrexit, cur ergo jam mortui omnes non resurgunt? cur differtur hæc resurrectio, cur adhuc morimur. Sed o caro adhuc aliquantulum est tibi expectandum. Annon audisti, quid Sanctis etiam in Cœlo degentibus, ac pro te petentibus sit a Domino responsum? *Clamabant* illi: *usquequò Domine* (*Sanctus & verus*) *non judicas*, *& non vindicas sanguinem nostrum de iis*, *qui habitant in terra?* *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ*: *& dictum est illis*, *ut requiescerent adhuc tempus modicum*, *donec compleantur conservi eorum*,

(*a*) *I. ad Corinth. XV. v.* 41.
(*b*) *Matth. XIII. v.* 43.
(*c*) *Sapient. IX. v.* 15.
(*d*) *I. ad Corinth. XV. v.* 42. *& seqq.*
(*e*) *Ad Philipp. III. v.* 20. *&* 21.

rum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut ètilli (*a*). Oportet hìc, o caro, pati; jam ſeminare debes in lacrymis, in abſtinentia, in jejuniis, in maceratione. Hæc ſunt ſemina gloriæ, & reſurrectionis. Num in membris, plus eſſe vis, quàm in capite? Si caput noſtrum Chriſtus per ſpinas & flagella, ſanguinis effuſionem & mortem, pervènit ad Reſurrectionem & gloriam; cur èt tu per eamdem viam non vis incedere? Spectat Divina Sapientia in omnibus maximè ordinem: Venit Dei Filius totum hominem ſalvare, ſed animam primùm, tum corpus. Animabus jam debetur hoc tempus, non tibi; prima præcedere debet reſurrectio, ſi vis in ſecunda gloriæ partem habere. Propterea noli o corpus, noli præripere tempora; *potes* enim *impedire Animæ tuæ ſalutem, tuam ipſius operari non potes* (*b*). *Omnia tempus habent* (*c*); patere, ut nunc Anima pro ſe laboret; eique lubens auxilium præbe: quoniam *ſi compateris, èt conregnabis* (*d*). Quantum ejus lucro detraxeris, tantum adimis tibi; cùm particeps gloriæ eſſe non poſſis, donec ſuam in anima imaginem Dominus videat reformatam. Nobilem hoſpitem habes, o caro, nobilem valde; & tota ſalus tua ab ejuſdem pendet ſalute. Da honorem tanto hoſpiti. Tu quidem habitas in regione tua; Anima verò peregrina & exul apud te domicilium tenet. Quæſo te: Quis Ruſticus, nobili aliquo Viro hoſpitium apud illum quærente, non libenter in angulo domus ſuæ, aut ſub ſcalæ gradibus, vel in cinerum ſtrato accubaret, cedens, ùt æquum eſt, potiorem hoſpiti ſuo locum? Et tu ergo fac ſimiliter. Injurias, vel moleſtias tuas ne reputaveris, tantùm ut hoſpes tuus honorificè poſſit apud te demorari: Honor tibi eſt, ut pro eo interim te exhibeas inhonorum. Ne verò fortaſſe deſpicias, aut parvì pendas hoſpitem tuum, pro eo quòd peregrinus tibi videtur & advena: diligenter attende, quid illius tibi præſentia largiatur; ipſe enim eſt, qui tribuit oculis viſum, auditum auribus præſtat; ipſe, qui linguæ vocem, palato guſtum, motum membris omnibus ſubminiſtrat. Si quid vitæ, ſi quid ſenſus, ſi quid in te decoris eſt, ab hoc benefico hoſpite acceptum intellige. Denique receſſus ejuſdem probat, quid ejus præſentia conferret; protinus enim, animà diſcedente, lingua obmuteſcet, oculi caligabunt, obſurdeſcent aures, corpus omne rigebit, facies expalleſcet;

(*a*) *Apocalypſ. VI. v.* 10. & 11.
(*b*) S. Bernard. ſerm. VI. de Adv. Domini.
(*c*) *Eccleſiaſtes III. v.* 1.
(*d*) *Ad Rom. VIII. v.* 17., & *II. ad Timoth. II. v.* 12.

ſcet; brevì quoque totum cadaver deformatum ſimul ac putidum fiet, & decor omnis in ſaniem convertetur. Utquid ergo pro temporali qualibet delectatione, contriſtas & lædis hoſpitem iſtum, qua ne perfrui quidem poteras, niſi per ipſum?

Præterea, ſi tantum tibi confert exul, & inimicitiarum causâ *a facie Domini ejectus* (*a*) hic hoſpes, quantum tibi præſtabit reconciliatus? Noli o corpus, noli impedire hujuſmodi conciliationem, quoniam grandis tibi exinde gloria paratur. Patienter, imo èt libenter temetipſum expone ad omnia; nihil diſſimules, quod huic præſtantiſſimo dono prodeſſe poſſe videatur. Dic hoſpiti tuo, quia *recordabitur* Dominus *tui*, *& reſtituet te in gradum priſtinum; & tu memento mei* (*b*). Omnino enim memor erit tuî in bonum, ſi bene ſervieris illi; & cùm pervenerit ad Dominum ſuum, ſuggeret ei de te, & loquetur bonum pro bono hoſpite, dicens: Cùm in ultionem culpæ ſuæ exularet ſervus tuus, pauper quidam, apud quem hoſpitatus ſum, fecit mecum miſericordiam, & utinam retribuat pro me Dominus meus! Primò ſiquidem omnia ſua, dehinc etiam ſemetipſum expoſuit utilitati meæ, non parcens ſibi propter me, *in jejuniis multis*, *in laboribus* frequenter, *in vigiliis ſupra modum*, *in fame*, *& ſiti*, etiam *in frigore*, *& nuditate* (*c*). Quòd ſi, o Domine, voluiſti, ut meretrix illa Rahab, eò quòd nuncios tuos abſconderit, & per feneſtram demiſerit, in expugnatione Urbis Jericho, miſericordiam inveniret, & ſalva permaneret ipſa, & pater ejus, mater, ac fratres, ſorores, & omnis domus ejus (*d*); hæc caro non modò abſcondit me a perſequentibus me, ſed mecum illos oppugnavit, & mihi ad reportandam victoriam maximo fuit adjumento. Inveniat ergo èt ipſa apud te miſericordiam. Quid igitur? Profectò non mentitur Scriptura, quæ dicit: *Voluntatem timentium ſe faciet*, *& deprecationem eorum exaudiet* (*e*). O ſi fortè guſtare dulcedinem hanc, ſi fortè gloriam iſtam valeas æſtimare! mira enim dicturus ſum, ſed tamen vera, & omnino indubia fidelibus. Ipſe *Dominus Sabaoth* (*f*), *Dominus virtutum*, & *Rex gloriæ* (*g*); ipſe deſcendet ad *reformanda corpora noſtra*, & *configuranda corpori claritatis ſuæ* (*h*). Quanta erit illa gloria, quàm ineffabilis exultatio, cùm univerſorum Creator, qui pro animabus ad

(*a*) *Geneſ. IV. v.* 14.
(*b*) *Ibidem XL. v.* 13. *& ſeq.*
(*c*) *II. ad Corinth. XI. v.* 23. *&* 27.
(*d*) *Joſue II. v.* 6. *& ſeqq.*
(*e*) *Pſalm. CXLIV. v.* 19.
(*f*) *Jerem. XI. v.* 20., *& Jacob. V. v.* 4.
(*g*) *Pſalm. XXIII. v.* 10.
(*h*) *Ad Philippenſ. III. v.* 21.

ad justitiam revocandis humilis antea venerat, & occultus pro te gloriæ donanda, o misera caro, sublimis veniet & manifestus, non jam in infirmitate, sed in gloria & majestate sua? *Quis poterit cogitare diem adventus ejus* (*a*), quando descendet cum plenitudine luminis, præcurrentibus Angelis, & tubæ concentu excitantibus de pulvere corpus inops, ac *rapientibus* illud *obviam Christo in aëra* (*b*)? Quousque igitur caro infelix, insipiens, cæca, demens, & prorsus insana, caduca & fluxa quærit solatia, imo amaritudinem, si fortè contingat eam repelli, & indignam judicari hac gloria; magis autem nihilominus ineffabili in æternum excruciari pœna? Hæc sola spes firmissima, & expectatio certissima cum indeficienti fide Resurrectionis universalis, est, dilectissimi filii, eam animo foventibus maxima consolatio, & auxilium in omnibus laboribus & ærumnis; hæc sola consideratio omnia dulcorat, & lenit. Audite sapientissimum Job de hoc prudentissimè philosophantem, & antequam philosophari incipiat, attentionem captantem. *Quis mihi*, inquit, *tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro, stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice* (*c*)? Magnum profectò debet esse, quod vis dicere, o Job, quando non modò audiri desideras, sed etiam scribi, quod dicturus es, imo nec qualitercumque scribi, sed *stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte* marmori durissimo *insculpi*, ut numquam memorià hominum excidat. Jam ergo philosophare: *Scio enim, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo* (*d*). O verba verè literis aureis, cordibus nostris inscribenda! *Sedebat* Job, qui ditissimus & felicissimus (ut Mundi verbo loquamur) fuerat, *in sterquilinio*, filiis, bobus, ovibus, camelis, ac omni substantia sua, aliàs amplissima, repentè denudatus; *sed èt ulcere pessimo percussus, saniem testâ radens* (*e*). *Fratres ejus longe facti erant ab eo, & noti ejus, quasi alieni recesserant ab eo. Dereliquerant eum propinqui ejus: & qui noverant ipsum, obliti erant ipsius. Inquilini domus ejus, & ancillæ, sicut alienum habebant ipsum* (*f*), & ipsa *ejusdem uxor halitum ejus exhorrebat* (*g*). Et tamen in tot calami-

(*a*) *Malach. III. v. 2.*
(*b*) *I. ad Thessalon. IV. v. 16.*
(*c*) *Job XIX. v. 23. & seq.*
(*d*) *Ibid. v. 25. & seqq.*
(*e*) *Ibid. II. v. 7. & 8.*
(*f*) *Ibid. XIX. v. 13. & seqq.*
(*g*) *Ibid. v. 17.*

tatibus atque miseriis, hac una spe se ipsum erigebat & consolabatur. Verissima sunt hæc, dilectissimi filii, & ideo meritò Philosophus Christianus Job dicebat: *Scio*. Gregorius beatissimus, cùm adhuc S. R. E. Diaconus esset, a Pelagio Romano Pontifice ad Tiberium Constantinum Imperatorem Legatus (*a*) Constantinopolim missus (cum quo èt Constantius, postea Ecclesiæ hujus Episcopus (*b*) vir eruditissimus pariter, atque sanctissimus profectus est) inter cetera præclara quæ gessit, Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum, qui scripserat contra veram corporum resurrectionem, convicit, qui paulo post, cùm in morbum incidisset, instante morte, pellem manus suæ tenebat, multis præsentibus, dicens: *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus* (*c*). Hæc ipsa spes & fides, quàm dulcia nobis reddet omnia, quæ amarissima nunc videntur! Pauper sum; at cogitabo venturum tempus, cùm nempe ero dives in gloria. Momentanea sunt quæcumque hic desiderium creant; sed æterna erit illa felicitas. Opus est, restituam, quæ tutâ conscientiâ retinere non possum: Durum hoc sanè videtur: sed o quàm ingentia mihi, si hoc implevero, præmia manent in Cœlis! Ut hæc acquiram, exuam me bonis omnibus, toti Mundo valedicam, mortem etiam libentissimè oppetam: Aggrediar omnia perardua & difficillima, patiar quæcumque immiserit Dominus, piis omnibus operibus exercendis insiitam, hac spe dulcissima recreatus. Est hic jejunan-

(*a*) Missus fuerat a Pelagio II. Summo Pontifice Sanctus Gregorius Ecclesiæ Romanæ Diaconus ad Urbem Constantinopolis, ut ibidem Apocrysarii munere fungeretur anno DLXXXI., quemadmodum Pagius contendit contra Baronium, qui missionem hanc biennio differt. Egregiè provinciam suam implevit Gregorius, & Patriarcham regiæ illius Urbis Eutychium, de resurrectione malè sentientem, ad Catholici dogmatis professionem, combustis publicè illius Libris, revocavit anno DLXXXVI., ùt idem Baronius adnotavit.

(*b*) Constantius Mediolanensis Ecclesiæ Diaconus profectus Constantinopolim fuerat, ibidemque summam cum Sancto Gregorio amicitiæ necessitudinem contraxerat. Mortuo subinde Laurentio II. Mediolani Episcopo, delectus fuit successor ejusdem a Clero in hac Metropoli degente. Sed cùm non modica hujus pars Genuæ moraretur ob Laagobardorum irruptionem in hasce regiones, Sanctus Gregorius jam Pontifex Nuncios illuc misit, exploraturus, an eorum etiam adesset consensus; eoque obtento, Constantii electionem confirmavit anno DXCIII. Plenæ sunt laudibus celeberrimi hujus Antistitis Epistolæ Sancti Gregorii, quæ ad Clerum Mediolanensem, & Exarchum Italiæ scriptæ fuere, præsertim verò illa, quæ data est *ad Presbyteros, Diaconos, & Clerum Mediolanensem*, sub num. IV. Lib. XI. postremæ editionis Parisiensis, in qua mœrorem suum de obitu Constantii significans, hæc habet: „ Quemadmodum solicitus in Ecclesiasticæ regula disciplinæ, vel quàm fuerit vigilans in tuitione Civitatis vestræ, non habemus incognitum.

(*c*) Narrat hæc ipsemet S. Gregorius Lib. XIV. Moral., Cap. LVI. editionis proximè memoratæ, his verbis: „ Dum Eutychius adhuc „ viveret, & ego validissimis febribus ægrotarem, quicumque noti mei ad eum salutationis gratiâ pergebant, ùt eorum relatione „ cognovi, ante eorum oculos pellem manus „ suæ tenebat, dicens: *Confiteor, quia omnes* „ *in hac carne resurgemus*. Quod (sicut ipsi „ satebantur) omnino priùs negare consueverat.

nandum, sunt suscipiendæ peregrinationes, lacrymarum locus est, præsens vita; sed hi oculi, hi pedes, hoc guttur pro momentaneis his laboribus coagitatam & supereffluentem mercedem recipient.

Deo Omnipotenti igitur immortales referamus cum Apostolorum Principe gratias, dicentes: *Benedictus Deus, & Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in Cœlis* (*a*). Hæc sunt veræ lætitiæ argumenta, ad carnem & ad spiritum spectantia. Pro his verè & meritò dicere potest quilibet nostrûm cum Propheta: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum* (*b*). Aspiremus ad hanc beatam gloriam, filioli mei, & dicamus cum eodem: *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea* (*c*). Ad te, Domine, in his Festis Paschalibus corda elevavimus, terrenis omnibus vale diximus; *quæ sursum sunt quæramus* (*d*). Omnia innovationem illam beatam in fine seculorum complendam avidissimè expectant, & *ipsa creatura* tunc *liberabitur a servitute corruptionis*, unde & *ingemiscit*, & *parturit usque adhuc* (*e*); tunc enim se Cœli renovandos sperant, & terra ac elementa ipsa omnia purificanda. *Heu!* heu! Domine, *quia incolatus* hic *noster* nimiùm *prolongatus est* (*f*)! nimiùm differtur nobis gloria illa! Parce, obsecro, si admodum soliciti, hinc a te liberari efflagitamus; quamdiu enim hic sumus, in maximis semper versamur periculis, contra Majestatem tuam infinitam delinquendi, & gratiæ tuæ, ac postmodum gloriæ jacturam subeundi. Da igitur tu nobis, Domine Jesu, quamdiu nos hic peregrinari statueris; da, inquam, nobis, ut præsentium obliti, te solum, & *quæ superventura* speramus, *recordemur* (*g*), ut *in novitate vitæ*, ad quam, ùt spero, surreximus, *ambulare* non desinamus (*h*); ut tuæ conversationi ac vitæ, quamdiu hic vivimus, conformari studeamus; ut mereamur tamdem, quando dies ab æternitate tua præstitutus accesserit, *configurati corpori claritatis tuæ* (*i*) suscitari, & in cœlestibus illis sedibus laborum nostrorum amplissimos fructus percipere. Amen.

(*a*) *I. Petr. I. v.* 3. & 4.
(*b*) *Psalm. LXXXIII. v.* 3.
(*c*) *Psalm. LXII. v.* 2.
(*d*) *Ad Colofs. III. v.* 1.
(*e*) *Ad Roman. VIII. v.* 21. & 22.
(*f*) *Psalm. CXIX. v.* 5.
(*g*) *Ecclesiastici XLI. v.* 5.
(*h*) *Ad Roman. VI. v.* 4.
(*i*) *Ad Philippens. III. v.* 21.

HOMILIA CXII.

HABITA IN ECCLESIA PRIORATUS CAMPI-MORTUI DIŒCESIS MEDIOLANI (a)

Cùm Euchariſtiam miniſtraret Sereniſſimæ Dorotheæ Lotharingicæ Brunswicensi (b)

Feria VI. Dominicæ IV. poſt Paſcha

Anno mdlxxxiv. iv. Maji.



Bicumque fuerit corpus, illic congregabuntur èt Aquilæ (c). Dominus Jeſus, dilectiſſimi filii, cùm de futuro univerſali Judicio diſcipulis ſuis plura prædixiſſet, ab iiſdem interrogatus, ubinam iſthæc eſſent futura, ſic in parabolis reſpondit, prout moris ſui erat: *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur èt Aquilæ;* id nimirum indicans, quòd ſicuti Aquilæ perſpicaciſſimæ, & nobiliſſimæ volucres in remotiſſimas etiam regiones, ad corpora, quibus paſcuntur, devoranda advolant; ſic èt in extremo Judicii die, juſti unà cum Chriſto Domino, qui ipſis erit futurus in Cœna beata, perennis eſca, convenient, nullo umquam tempore ab ipſo divellendi. Verùm quod de beatis illis ſpiritibus veriſſimum eſſe perſpicimus, quis non animadvertit, quàm ſit itidem verum de iis, qui adhuc militantes, in carne tamen

---

(a) Campi-mortui Vicus, jacet in finibus Diœceſium Mediolanenſis, & Papienſis, ſub Plebe *Clarellæ*. Olim fuit Prioratus Clericorum Regularium, ùt docet Pennotus in Hiſtoria Tripartita Lib. III. Cap. XLII. Nunc Clericis Secularibus eſt commendatus jure patronatus Nobilis Familiæ de Mantegatiis Mediolani.

(b) Occaſio, ob quam Princeps hæc fœmina e Ticinenſi Urbe ad Campum-mortuum ſe contulerat, Sacram Synaxim receptura e manu Sancti Caroli Borromei, qui ibidem Epiſcopalis Viſitationis munus exercebat, ea fuit, quòd Chriſtierna mater ejuſdem, & Chriſtierni Regis Daniæ, atque Iſabellæ Auſtriacæ ſororis Caroli V. Imperatoris filia, vidua primùm Franciſci II. Sfortiæ Ducis Mediolani, dein Franciſci Lotharingiæ Ducis, valetudinis recuperandæ gratiâ Derthonæ moraretur, quam Urbem in Feudum acceperat a primo conjuge. Ad eam itaque inviſendam, inter ceteros Proceres, profectus eſt etiam Henricus II. Dux Branſwicenſis, Dorotheæ maritus; dum autem Ticini degeret (in qua etiam Civitate deceſſit e vita anno eodem mdlxxxiv.) Dorothea uxor ob ſummam erga Sanctum Carolum venerationem ad hanc Eccleſiam ſe tranſtulit.

(c) *Matth. XXIV. v. 28., & Lucæ XVII. v. 37.*

tamen ſpiritualem vitam degentes, & veluti Aquilæ in ſublime evolantes, ſe ſe e terra extollentes, atque in cœleſtibus tantummodo verſantes, ad corpus, ad eſcam, ad Chriſtum advolare ſemper contendunt; & ab ipſo, quatenus poſſunt, nulla umquam ratione disjunguntur?

Ecce quia verum hoc eſſe experientia ipſa hodie confirmat. Sereniſſima hæc Duciſſa, Summi Regum omnium Regis ancilla ſolertiſſima, quæ, licèt tam nobilem in terris partem ſuſtineat, mundana tamen cuncta negligens, circum cœleſtia tantùm, veluti nobiliſſima Aquila, circumvolat; longè hinc poſita, ſenſit Sacratiſſimi Corporis Domini Jeſu fragrantiam; ſenſit, quàm lauta hic celebrentur convivia, quàm pretioſis dapibus Animæ reficiantur, quàm magnis Indulgentiarum etiam theſauris, ad ea fidelium mentes alliciantur: Et protinus huc feſtinavit, quia, *ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur èt Aquilæ*. Felices Aquilas, felices hos Angelicos ſpiritus in carneis hiſce ergaſtulis detentos, quibus talis Domino eſca proponitur! Præfulget hæc Domina iis omnibus, quæ Mundus tantì æſtimat; nec ei Parentum ſplendor, nec Amicorum, aut Agnatorum copia, nec opes, nec vires deſunt; iis demum affluit, in quibus cæci mortales hallucinantes veram hominis felicitatem arbitrantur eſſe conſtitutam. Neque tamen ob hæc de ſe ſublimiùs ſentiens, aut in jactantiam elata, dedignatur hodie vilia hæc loca, aut cum paupere hoc populo Sacroſanctam Synaxim ſuſcipere; intra ſe neutiquam cogitans, quæ & quanta ipſa in Mundo ſit, ac quantum pauperculis hiſce huc convenientibus præſtet. Verè ſapiens, & ſecundùm Deum pariter nobilis Domina, quam non minus humilitas ac ſacroſancta religio illuſtrat, quàm opes: Et ſapiens profectò, quæ ſe iis præferre non novit, quos & natura pares, & Chriſti ſanguis, & eadem Mater Eccleſia, & idem propoſitum Regnum æquales conſtituit; quæ nec pauperum perſonarum exteriorem inopiam, nec humiles domos, aut ruri poſitam Eccleſiam conſideravit; ſed Dei tantùm obſequium, ac cultum & ſpiritualem animæ propoſitum theſaurum, cœleſtemque eſcam ſibi ob oculos poſuit, quia *ubi fuerit corpus, illic congregabuntur èt Aquilæ*.

Quòd ſi humilia tantùm ac abjecta hæc eſſent, num idcirco Dominæ iſtius potentiam atque ſplendorem dedecere quiſpiam putet, cùm èt in his potius Chriſtiana dignitas poſita ſit atque

atque nobilitas, si propter Deum ne proprii quidem habeatur ratio splendoris? Inclyta Augusta piissimi Theodosii Imperatoris conjux (*a*), quid non pro Christo amplectebatur. Quando illam umquam Imperii purpura, tam insignis dignitatis apex, tanta divitiarum copia a vilissimis quibusque operibus (si vile quidpiam dici meritò potest, quod Dei operamur intuitu) propter Deum perficiendis retardavit? Hæc pauperum infirmorum Xenodochia frequenter invisere, & propriis etiam manibus eis deservire, cibos parare, ollas abluere consueverat; & hujusmodi omnia, summa cum animi jucunditate exercebat. Sed quid mirum, si illa pauperibus infirmis ita famulabatur, in quibus Deo ipsi se se religioso mentis oculo deservire agnoscebat? *Quod enim uni*, (inquit ipse) *ex his fratribus meis minimis fecistis*, *mihi fecistis* (*b*); hocque uno maximè, se Cœli & terræ supremo Imperatori Christo similem esse gloriabatur, qui venerat èt ipse *ministrare*, *non ministrari* (*c*). Licèt ergo præsenti huic Dominæ caro & sanguis fortè dictaret, non decere ipsam ex superbissimis & florentissimis Civitatibus se se in hæc rura conferre, & cum paupere vilique plebe ad sacram Mensam accedere; attamen alterá ex parte Spiritus Domini, quo ipsam abundare, insignis ejus pietas & egregia docet Religio, ista suggerebat: Etiam hi Rustici sunt eodem, quo tu, Christi pretiosissimo sanguine regenerati; etiam hi, ejusdem sunt futuri cœlestis Regni participes; & *super istos signatum est lumen vultus Domini* (*d*), animasque gerunt, ad Dei similitudinem atque imaginem creatas. Clausit ipsa carni aures & sanguini, illiusque frivolas suggestiones rejecit, & Spiritum Sanctum audiens, illius acquievit sermonibus; & ubi erat corpus, illuc accessit hæc Aquila.

Sed esto etiam, quòd pro capiendo hoc cibo forent aliqua non adeò conspicua peragenda; profectò, quid in Dei honorem non est suscipiendum? quod dedecus nostrum, Divinæ gloriæ non

(*a*) Prima uxor Imperatoris Theodosii senioris fuit Placilla, fœmina religiosissima, de qua Theodoretus Lib. V. Cap. XVIII. describens ejusdem virtutes, hæc habet: „ Ad eos „ sublevandos, qui mutilata corpora, mem„ braque omnia labefactata haberent, nihil „ non diligentiæ, & curæ adhibuit, atque ad „ eam rem, non servorum, seu stipatorum „ operá usa est, sed illa ipsa hoc fungi minis„ terio, adire eorum hospitia, & singulis ne„ cessaria suppeditare voluit. Simili quoque „ ratione, Ecclesiarum hospitia visere, ægro„ tis in lecto decumbentibus curationem adhi„ bere, tractare ollas, jusculum gustare, pa„ tinam illis deserre, frangere panem, offas „ porrigere, eluere pocula, omnia denique „ alia munera obire, quæ servi & ancillæ exe„ qui solent „. In ejusdem obitu Orationem panegyricam habuit S. Gregorius Nyssenus.

(*b*) *Matth. XXV. v.* 40.

(*c*) *Ibidem XX. v.* 28.

(*d*) *Psalm. IV. v.* 7.

non eſt poſthabendum? In mentem nunc venit egregium illud Davidis factum, ad rem noſtram maximè accommodatum. Præcedebat ille Arcam fœderis, quæ in Civitatem ſuam inducebatur, cum gaudio & jubilo, ſubſiliens & ſaltans; cùmque *reverſus* eſſet *David, ut benediceret domui ſuæ: egreſſa Michol filia Saul in occurſum David ait*, ei illudens: *Quàm glorioſus fuit bodie Rex Iſraël diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur unus de ſcurris. Dixit* verò *David ad Michol:* Vivit Dominus, quia *ante Dominum, qui elegit me potius, quàm Patrem tuum: & quàm omnem domum ejus, & præcepit mihi, ut eſſem Dux ſuper Populum Domini in Iſraël, & ludam, & vilior fiam pluſquàm factus ſum: & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, glorioſior apparebo* (*a*). Si ergo Rex ille excelſus ac potens, coram Arca Domini hæc agere minimè erubeſcebat; coram vera hac Divinitatis Arca, coram Dei Filio, quid opus non eſſet aggredi, ut ei debitus honor impenderetur? Quos non meretur a nobis honores, quos cultus, quæ obſequia? Quando-nam umquam nos poſſumus tantum demittere, quantum par ſit Domino ac Regi Cœlorum? Verùm etiam innumeri proventus, quos ex hac ſanctiſſima Menſa Fideles ad eam accedentes recipiunt, vi maxima nos deberent impellere. Nulla profectò magnes ita ad ſe ferrum, ſicuti nos ad ſe Chriſtus bonitate ſuâ pertrahit. Ceteris tamen omnibus omiſſis, hoc unum plurimum valet, quia corpus eſt ac eſca, & nos Aquilæ; *ubi* verò *fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ*.

O ſuaviſſima & jucundiſſima eſca, quæ multò excellentiùs, quàm antiquum illud manna, omnes in te contines jucunditatis ſapores! Eſt eſca Chriſtus, dilectiſſimi, & animarum noſtrarum eſca. An fortè non ſe ſe ſatis demiſerat Divina ſublimitas, cùm noſtram dedignata non fuerat naturam aſſumere; tamdiu in tanta rerum omnium penuria, inter homines vivere, tam multa pati, tam acerbam denique ac vilem, inter infames latrones, Crucis mortem ſubire; quin etiam Deus ipſe, qui ſe naſcens in ſocium, moriens in pretium, in Cœlo Advocatum, in beatitudine præmium dederat, in cibum etiam & eſcam miſeris nobis vermiculis ſe ipſum relinquere non abhorreret? Eximium hoc eſt amoris indicium, quòd cùm omnia propter nos fecerit, cùm tantam corporibus noſtris ciborum copiam & varietatem pro-

(*a*) *II. Reg. VI. v.* 20. *& ſeqq.*

produxerit, animas etiam noſtras carne ſua & ſanguine voluerit enutrire. *Caro mea* (in hujus confirmationem, ipſemet inquit, ùt audiſtis, in hodierno Evangelio) *verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus* (*a*). *Verè*, ait, quia verè & re ipſa, in cibo hoc, Chriſti corpus, & in potu, ſanguis ejus ſubſiſtit. *Verè* itidem, quia verè & cibus eſt, & potus; quidquid enim corpori cibus præſtat & potus, hoc idem efficaciſſimè, & admiranda quadam ratione præſtat animabus Sacroſancta Synaxis. O felices homines, ſi cibum hunc ſæpe guſtarent! Quanta illius replerentur jucunditate, quam non niſi qui guſtant, valent percipere! *Guſtate*, inquit Propheta, *& videte* (*b*). Et quid, obſecro, ab hac nos menſa revocare poteſt? An, quòd cibi non adſit neceſſitas? Sed imo hæc maxima ſubeſt. An quòd, qui Dominus eſt convivii, non libenter nobis, & ex animo cibos exhibeat? Sed nil æquè deſiderat; ideo namque convivium in hoc Sanctiſſimo Sacramento inſtituit, ut *accedamus*, *comedamus*, *inebriemur* (*c*); ideo tam frequenter nos ad illud invitat.

Eſca eſt, filii, cibus eſt, panis eſt Angelorum, verus Animarum & ſolidus cibus. Verùm (proh dolor!) quàm multi lautiſſimas has epulas reſpuentes, ad inania potiùs, viliſſima ac falſa properant convivia, in quibus nihil eſt ſolidum, nihil, quod ſatiet, nihil, quod famem tollat, quod ſitim reſtinguat! Dimittunt hi, & *derelinquunt fontem aquæ vivæ, & fodiunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas* (*d*). Poſſunt hi frequenter cœleſti hoc potu inebriari, & malunt *aquas turbidas bibere in via Ægypti* (*e*). Quàm meritò de nobis, ſuaviſſimis illis vocibus conqueritur Dominus; quàm blandis nos verbis ad id invitat, ad quod ultro nobis fuerat feſtinanter properandum! *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum, & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra* (*f*). Si languetis, Animæ, & frigidæ eſtis, hic cibus vos immenſo inflammabit caritatis ardore; ſi infirmæ, & variis ægritudinibus oppreſſæ, hic vos ſanabit; ſi debiles & imbecilles, hic vires vobis maximas addet, & efficiet,

(*a*) *Joann. VI. v.* 56.
(*b*) *Pſalm. XXXIII. v.* 9.
(*c*) *Cant. Cantic. V. v.* 1.
(*d*) *Jerem. II. v.* 13.
(*e*) *Ibidem v.* 18.
(*f*) *Iſaiæ LV. v.* 1. *&* 2.

efficiet, ut *fortitudinem mutetis*, *assumatis pennas sicut Aquilæ*, *curratis*, *& non laboretis*, *ambuletis*, *& non deficiatis* (*a*).

Mementote, dilectissimi, quia viatores sumus, quia *non habemus hic manentem Civitatem*, *sed futuram inquirimus* (*b*); quia *peregrinamur semper a Domino* (*c*); quia *magnum Chaos firmatum est inter nos* (*d*), & cœlestem illam Patriam, ad quam aspiramus; quia longissima sunt nobis itinera conficienda. Et quomodo sperabimus fore ut felicem tam prolixæ & difficilis viæ exitum nos sortiamur, si cibos non sumpserimus? Quomodo, si *jejuni* permanserimus, non *deficiemus in via* (*e*)? Ecce hic panis est viatorum, hic viaticum decedentium; non incongruè etiam ob hoc sub panis specie repræsentatus, quia sicut panis, quotidianus est cibus, ita etiam Eucharistiâ quotidie refici deberemus. Non acquievit Angelus, quòd panem subcinericium Elias semel comederet; sed bis monuit, & moniti causam attulit, inquiens: *Surge*, *& comede; grandis enim tibi restat via* (*f*). Hoc idem dicit vobis hodie non Angelus, sed Angelorum Dominus per os meum: *surgite*, *comedite* non semel in anno, non bis, non decies, sed sæpissimè. Misereminі animarum vestrarum, nolite vobis nequam esse, & crudeles; aspicite, & considerate *grandem viam*, præruptos montes, difficillima itinera; & comedite panem hunc, vobis de Cœlo præstitum, ut *in fortitudine cibi* istius pervenire possitis *usque ad montem Dei Horeb* (*g*), usque ad videndum Deum, & ad beatifico illius aspectu perpetuò fruendum, ut elapso hujus miserrimæ ac fragilis vitæ curriculo, *ubicumque fuerit corpus*, *illic congregentur et Aquilæ*. Amen.



(*a*) *Isaiæ XL. v.* 31.
(*b*) *Ad Hebræos XIII. v.* 14.
(*c*) *II. ad Corinth. V. v.* 6.
(*d*) *Lucæ XVI. v.* 26.
(*e*) *Matth. XV. v.* 32., *& Lucæ VIII. v.* 3.
(*f*) *III. Regum XIX. v.* 5. *& seqq.*
(*g*) *Ibidem v.* 8.

HOMILIA CXIII.

HABITA IN BASILICA MAJORI MEDIOLANI

Dominica post Ascens. pridie Rogationes Ritu Ambrosiano

ANNO MDLXXXIV. XIII. MAJI.



I VIDERE possemus, dilectissimi filii, varios animi affectus a Sanctissimis Apostolis conceptos, quo die eorum Magister & Dominus, Dei Filius, Christus Jesus, ipsis spectantibus, supra Montem Oliveti constitutus, cùm paulatim in Cœlum ferri cœpisset, tamdem interposita nube, sublatus est ab oculis eorum (*a*); o quale spectaculum cerneremus! Illos exanimes, in eum adhuc, quem non videbant, oculos defixos tenentes, eosque, licèt interponeretur nubes, inde nullatenus divellere valentes, sed immobili vultu, ad Christum conversos, ipsis fortasse manibus etiam erectis, atque desideriis ardentissimis æthera scandentem comitantes intueremur. Hujus profecto Apostolorum statùs clarissimum perhibent testimonium illa ad eos ab Angelis verba prolata: *Viri Galilæi quid statis aspicientes in Cœlum* (*b*)? Hæc vis est, & opus dilectionis atque inflammati cordis, quod non modò manus & oculos, sed totum etiam corpus ipsum unà secum rapere potest. Sed cur nos Apostolorum Sanctissimorum progenies, Patrum nostrorum non inhæremus vestigiis? Cur, licèt ascenderit Christus in Cœlum, gloriosissimus tamen ille triumphus mentibus nostris perpetuò non remanet infixus? Sequamur, filii, caput nostrum Christum contemplatione, sequamur spe, sequamur affectu: nec in terra ulterius persistamus, propter Cœlum creati; sed quò caput præcessit, eò membra pervenire contendant. Numquid putamus, Christum Dominum a nobis jam corporis præsentiâ sublatum, nostri tamen hac de causa oblitum aliquando fuisse? Absit a nobis

(*a*) *Act. Apost. I. v. 9.* | (*b*) *Ibidem v. 11.*

nobis hoc credere; licèt enim Mater dilecti filii sui unigeniti, quem gestavit in utero, quem ex propriis formatum visceribus eduxit in lucem, obliviscatur; ipse tamen nostri nullatenus poterit oblivisci (*a*), quos tanto sanguine ex inferni faucibus eripuit, ac a sævissimi tyranni captivitate redemit. Sicut autem alia omnia ipsius mysteria ad salutem nostram ordinata fuerunt atque directa, sicut pro nobis est homo factus, pro nobis tot annos in terris versatus, propter nos homines & propter nostram salutem flagellis cæsus, spinis redimitus, Cruci confixus; ita etiam propter nos *ascendit super omnes Cælos* (*b*), & sedet ad dexteram Patris. Inde nos regit, protegit, ac pascit, nos conservat, tuetur, atque defendit. Sed inter alia multa, quæ illic triumphans ad utilitatem nostram perpetuam exercet, unum est in primis, cujus breviter considerandi nobis hodiernum sacrum Evangelium præbet argumentum: hinc etiam quid pro tanto munere nos eidem retribuere debeamus, breviter conspiciemus.

Salvator noster, quamdiu inter homines moram duxit, pluribus functus est officiis, ad nostrum proventum spectantibus; præsertim verò Sacerdotale munus implevit, cùm se ante omnia Sacerdotem exhibuit atque ostendit, toties pro nobis preces fundens ad Patrem, ac demum in Ara Crucis se ipsum offerens in sacrificium. Verùm hæc eadem exercenda reservavit ad dexteram Patris. Hìc quidem se in Cruce victimam obtulit: In Cœlo autem pro suo in nos amore plagas æterno Patri perpetuò exhibet. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in Cælo, & in terra* (*c*)? *Quis*, inquam, *magnus sicut ille* (*d*), qui per omnia Patri est æqualis, in cujus manu cuncta sunt posita, qui exaltatus est super omnes Angelorum Choros? Et tamen non dedignatur memorem se facere vilissimæ creaturæ suæ, & nos rebelles aspicere. Neque hoc solum; sed adeò est nostri solicitus, ut numquam desinat, se Deo pro nobis offerre, ac hominum & Dei esse mediatorem; ipse enim Pontifex est in æternum, *semper vivens ad interpellandum pro nobis* (*e*). O quantò præstantius est Christi Sacerdotium, Sacerdotio Levitici Ordinis! *Christus* namque *assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, neque per*

(*a*) *Isaiæ XLIX. v.* 15.
(*b*) *Ad Ephes. IV. v.* 10.
(*c*) *Psalm. CXII. v.* 5. & 6.
(*d*) *Psalm. LXXVI. v.* 14.
(*e*) *Ad Hebr. VII. v.* 25.

per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa (*a*), & *introivit* quidem, *ut appareat vultui Dei pro nobis* (*b*). O quomodo in Cœlo clamat pro nobis, quales dat voces, quàm efficaciter interpellat! O stigmata illa sacrosancta, oculis Patris semper obversantia! quanti apud illum sunt momenti ac pretii, ad dona animabus impetranda! Aliter profectò clamant, quàm sanguis Abel justi (*c*): Ille siquidem de terra clamabat vindictam, hæc verò de Cœlo infinitam clamant misericordiam. Aaronis Sacerdotis tantum potuit apud Deum pro populo deprecatio, ut *inter viventes, & mortuos* constitutus, desævientia Dei flagella retardaret (*d*). Moyses Dei famulus toties justissimam Domini iram in ingratos Hebræos concitatam emollire valuit ac sedare: Sed quantò magis & validiùs hæc quotidie perficit ille, qui Aarone, & Moyse in infinitum est Deo viventi gratior, atque acceptior? Ille, inquam, qui non servus, ùt illi, sed Filius est, & Filius adeò dilectus, ut de eo Patris sit vox audita: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite* (*e*). Nolebat in veteri lege Deus, Sacerdotes apparere in conspectu ejusdem vacuos (*f*). Non apparet profectò vacuus coram Deo Dominus Jesus; sed maxima semper exhibet munera, Deoque gratissima, sanguinem videlicet suum, & plagas, ac demum se ipsum. Consolamini ergo Christiani super hoc Dei nostri in Cœlis officio, quod pro nobis exercet perpetuò. Consolamini justi, quia hujus interpellatione innumeros Satanæ laqueos effugietis. Consolamini peccatores; *hæc* enim *scribo vobis, ut non peccetis. Sed si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi* (*g*). Væ nobis, dilectissimi, nisi talem habuissemus in Cœlis Patronum & Advocatum, qui nos, continua ope egentes, adjuvare numquam desisteret! Hoc perenne ipsius officium, hodie Sancta Ecclesia nobis ob oculos ponit, cùm in Sacrosancto Evangelio prolixam illam & pulcherrimam Christi Domini orationem recitat, in ultima cœna ante Passionem ad Patrem habitam. Profectò non ignoro, posse vestrûm quempiam fortè dicere: Ad quid, tempore hoc gaudii & exultationis, quo glo-

(*a*) *Ad Hebr. IX. v. 11. & 12.*
(*b*) *Ibidem v. 24.*
(*c*) *Genes. IV. v. 10.*
(*d*) *Numer. XVI. v. 46. & seqq.*
(*e*) *II. Petr. I. v. 17.*
(*f*) *Exodi XXIII. v. 15., & XXXIV. v. 20.*
(*g*) *I. Joann. II. v. 1. & 2.*

gloriosum Christi triumphum celebramus, oratio illa, mortis acerbissimæ præparatio proponitur? Non inconsultò, filii, non sine mysterio, Spiritus Sanctus, qui Ecclesiæ semper assistit, hoc instituit: nam ideo tunc oravit Christus pro suis, ideo paulo post in horto quoque prolixiùs & cum sanguinis effusione preces effudit, ideo demum in Cruce oravit, & quidem *cum clamore valido, & lacrymis* (a), ut per illa omnia, quid etiam post suum in Cœlos ascensum esset pro nobis facturus ostenderet. O infinita Dei bonitas, o inæstimabilis benignitas! Habemus Pontificem, qui *sedet ad dexteram Majestatis in excelsis* (b). *Sanctorum Minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo* (c). O benignissime, & nostrì amantissime Deus! quam inexplebilis est hæc tua erga nos dilectio! Annon satis superque fuit, te pro nobis carnem sumpsisse; tot annos in hac lacrymarum valle peregrinatum fuisse; tam multa passum, ac denique durissimam & turpissimam mortem pertulisse; ut etiam nunc in Cœlo triumphans, Sanctorum, & servorum tuorum fidelium appellari velis ab Apostolo tuo, & esse *Minister?* Quid umquam tanto amori condignum retribuere poterimus, filii? Consideremus hoc, obsecro, diligenter, ne nimiæ ingratitudinis arguamur.

Certè Advocatis omnibus seculi hujus, ab eorum clientulis amplissima munera & stipendia offeruntur, ut eorum patrocinium suscipiant, & causas tueantur. Quid verò nos largiemur cœlesti huic Advocato, qui *nostrorum bonorum non indiget* (d)? Certè nos ipsos; amorem in primis, & omnia sinceri cordis obsequia. Apostolus hac de re cùm verba illa protulisset: *Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui èt resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, statim subdit: *Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius* (e)? Hoc ergo præmium Christi patrocinium expostulat, ut ei semper adhæreamus, ab ipso numquam ullà de causa separemur, semper cum ipso simus, ipsum sequamur; ac præsertim orantem orantes imitemur. Ideo non sine mysterio, statim ac Christus ascendit in Cœlum, ante etiam Sacrosanctam Pentecostem, instituta est Ambrosiano more Oratio hæc triduana Litaniarum, ut quod ille pro nobis agit in Cœlo,

(a) *Ad Hebræos V. v. 7.*
(b) *Ibidem I. v. 3.*
(c) *Ibidem VIII. v. 2.*
(d) *Psalm. XV. v. 2.*
(e) *Ad Roman. VIII. v. 34. & 35.*

Cœlo, hoc in terris nos perficientes, ad ejus imitationem, digni reddamur & idonei, in quos Spiritus Sanctus cum suorum plenitudine donorum descendat; nam etiam Beatissimos Apostolos post dilectissimi Magistri in Cœlos ascensum *in oratione* jugiter, *& unanimiter perseverantes* (*a*), Spiritu Sancto repletos fuisse non ignoramus. Profectò sacri hujus Instituti Litaniarum & Rogationum, a Sanctissimo Mamerco (*b*) Viennensi Episcopo in Civitatem illam primò inducti, tum divina dispositione per universum Christianum terrarum Orbem diffusi, hæc fuit occasio. Maximas Vienna, Civitas in Galliis amplissima, a lupis, ferisque belluis patiebatur calamitates; discurrebant undique monstra, & non modò tenellos infantes deglutiebant, sed etiam fortioribus viris ingentem metum incutiebant. Domo vix egredi quisquam audebat; extra Civitatis verò mœnia ne pedem quidem efferre animus civibus erat. Permolesta erat eorum conditio, & periculi plena, nam & viæ intercludebantur, & nullus ad Civitatem illam accedere, aut inde egredi tutum existimabat. Tunc Episcopus ille sanctissimus nocte quadam Paschæ, suavissimis cum Deo suo fruens colloquiis, excitato in Regiis ædibus teterrimo incendio, cùm illud orationum sanctissimarum imbre restinxisset, tot Civitatis suæ, & ovium suarum condolens afflictionibus, eodem remedio luporum ac ferarum perniciem avertere curavit; quapropter triduanas preces & Litaniarum cantum per diversas Urbis Ecclesias adhiberi sancivit (*c*). Hæc Instituti memorati in populo Viennensi fuit occasio, cujus quidem non jam inducendi, sed frequentandi, ac maximo studio & animi propensione inter nos conservandi, si rem diligenter consideraverimus, validiorem profectò nobis stimulum inhærere comperiemus. O quàm majora pericula nos undequaque circumstant! quàm ferocioribus lupis, & feris undique obsidemur! Illi siquidem in cor-

(*a*) *Act. Apost. I. v.* 14.

(*b*) Mediolanensis Ecclesia Sanctum Lazarum, olim Episcopum suum, Triduanarum Rogationum Institutorem agnoscit, atque hanc laudem quotannis, in tertia ad Matutinas horas Lectione, a Clero eidem tribuendam proponit III. Idus Februarii, quo die Sancti Lazari apud nos solemnis memoria recolitur. Idem annotatum legimus in Tabula Archiepiscoporum Mediolanensium, Actis hujus nostræ Ecclesiæ inserta; eique calculum suum addidere peculiari paragrapho Sectatores Bollandi ad diem memoratum. Itaque multò ante Sanctum Mamercum Mediolani vigebat religiosum hoc Institutum. Sanctus Carolus Viennensis Antistitis exemplo usus est, cùm occasio præscribendarum Rogationum in Gallica ea Urbe plurimùm conferret ad reprehendenda Gregis sui vitia, moresque revocandos ad frugem meliorem: Ceterùm alio titulo indictæ fuerant in nostra hac Metropoli a Sancto Lazaro Triduanæ preces, quemadmodum *in Historia Typographica Mediolanensi*, ad annum MCCCCXCIV. abundè jam retuli.

(*c*) Narrantur hæc a Gregorio Turonensi in Historia Francorum, Lib. II. num. XXXIV.

corpora tantùm ſæviebant; hi verò animas deglutire conantur. Quot hæretici nunc Eccleſiam Dei perſequuntur? & quàm parùm a nobis diſtant! Vix iter diei conficere poſſumus, ac ſtatim in ſpeluncas incidimus rapacium luporum. Ideo intenſiſſimè, filii, pro nobis, & adversùm iſtiuſmodi monſtra atque portenta, orationi ſanctiſſimæ eſt inſiſtendum. Deliberavit Epiſcopus ille, occaſione incendii, ad Litaniarum preces confugere: & numquid non ardet hæc Civitas? O quales, & quàm diræ in ea excitatæ ſunt flammæ concupiſcentiæ, libidinis, avaritiæ! Quàm perniciosior ignis hic eſt, igne illo in regias ædes ſæviente! Hic ſiquidem excelſiora palatia, animas videlicet, quæ Dei ſunt templa, peſſimè abſumit; & idcirco adversùm hæc omnia amplectamur die craſtino ſanctiſſimum Inſtitutum, ad quod tot pericula, & tempus ipſum nos tam vehementer invitat (a).

Sumus enim jam in ea anni parte, in qua ſi umquam maximè, certè divinum eſt implorandum auxilium. Jam ſiquidem terræ fruges incipiunt in maximo eſſe diſcrimine; jam timentur fulgura & grandines; jam facile eſt, ut agricola pauper, qui toto anno laboravit, ac ſemina in terram projecit, fructum ſperans, & fructu fruſtretur & ſpe, ac in mendicitatem maximam adducatur. Quod verò de agricola dico, idem etiam contingere poteſt èt diviti, cujus ſunt prædia. Quàm multi ære alieno gravati ſolutionem in has fruges diſtulerunt, quas ſi Deus abſtulerit, diro fortè carcere mancipandi erunt, in eoque miſerrimè vitam claudent! Præterea præſens tempus alios ſecum ferre ſolet tumultus & perturbationes Urbium ac populorum; navalia quippe prælia inſtruuntur, ſæviſſima bella parantur, tyranni in finitimos agros, gentes in gentes, & Reges in Reges inſurgere conſuevere. Sed quid per hæc vagor extrinſeca? Jam in corporibus noſtris maximæ ſolent oriri ſeditiones & turbolentiæ, ſanguinis commotiones, febres, corporis ægritudines & mortes. Quàm igitur opportunè hoc tempore inſtituta eſt hujuſmodi ſaluber-

(a) Quanta ſolicitudine curaverit Sanctus Carolus, ut Triduanæ Rogationes, quæ non modice a primævo cultu deciderant, religiosè celebrarentur, teſtes ſunt Literæ Paſtorales, impreſſæ de hac re in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis. Mira narrat Gluſſianus in ejuſdem Vita Lib. II. Cap. XI., nempe Sanctum hunc Antiſtitem, tribus iis diebus ſolo pane & aqua fuiſſe contentum; interfuiſſe ſub mediam noctem Choro, ad perſolvendas cum Canonicis Matutinas horas, dein ſacris cineribus, ritu Ambroſiano, primo Litaniarum die populo diſtribuendis incubuiſſe; poſtremò Supplicationi, quæ uſque ad vigeſimam circiter horam diei protendebatur, comitem inſtitiſſe, atque in Eccleſia, quam Stationalem dicimus, inter Miſſarum Solemnia, ſingulis diebus e ſuggeſtu, de pœnitentia peroraſſe.

luberrima oratio, cùm omnia in periculo versentur, & cunctis hac oratione facilè possit a Domino remedium obtineri! Æquum esset certè, ut hæ publicæ preces, regula veluti quædam essent omnium totius anni actionum. Quamobrem vos enixè obsecro in Domino, filii, ut quanta potestis maxima cum religione, ad Litanias conveniatis, omnes sub vexillis vestræ Parœciæ: Scitis enim, quot ad hoc Indulgentias vobis Sanctissimus Christi Domini Vicarius Romanus Pontifex, qui nunc vivit, concesserit (*a*). Habet præterea plurimum virium & efficaciæ apud Deum, unanimis hæc totius populi simul convenientis oratio; si enim duobus aut tribus simul consentientibus, & a Deo quidquam petentibus, pollicitus est, qui quæ promittit semper exequitur, Dei Filius celerem impetrationem (*b*); quantò magis, non duorum aut trium, sed plurium hominum & Ecclesiastici cœtûs & viduarum, ac innocentum infantium clamores Deus exaudiet? Neque verò velim (in quo plerumque peccatur) in his Supplicationibus vos invicem perturbemini, dum quisque socium anteire contendit; hac siquidem confusione irritatur potius Dominus Deus, qui suis omnibus in rebus ordine plurimùm delectatur. Super omnia autem piè, & corde contrito confluere debetis, atque procedere; memores, quòd hæ Litaniæ media fuerunt, & instrumenta, per quæ plerumque Dominus maxima largitus est mortalibus beneficia, insignia edidit miracula; a gravissimis calamitatibus & malis populos exemit: Cùm sit (ut jam audivistis) gratissima Deo istiusmodi oratio, qua, per invocatum Sanctorum patrocinium, ipsius misericordiam veluti emendicantes, ipsos postulamus, ut pro nobis dignentur intercedere.

Ex toto igitur corde, filii, & *sublevatis*, ùt hodie Christus fecit, *in Cœlum oculis* (*c*) oremus; corporis etiam gestu & compositione pium animi nostri sensum & affectum exprimentes. Quid enim est aliud oratio, nisi mentis in Deum elevatio? Quò ergo animus dirigitur, sequantur èt oculi; ascendant èt ipsi spiritualiter in Cœlum; illic enim omnia bona sunt, & thesaurus noster Dominus Jesus. Inde dona omnia & gratiæ proficiscuntur; inde nobis omnia sunt speranda: Elevemus in Cœlum oculos, quia ibi Patria nostra est, quia peregrinantes illuc tendimus,

(*a*) Breves Literæ Gregorii P.P. XIII. Romà expeditæ die v. Aprilis An. MDLXXX. leguntur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, Part. VII.

(*b*) *Matth. XVIII. v. 19.*

(*c*) *Joann. XVII. v. 1.*

dimus, quia ad Cœlum creati ſumus; terra namque hæc animalibus ratione carentibus conſtituta eſt ſedes.

Elevatis etiam oculis in Cœlum orare debemus, ut ſciamus, quænam orantes a Deo petere debeamus, nempe cœleſtia & ſpiritualia; nam licèt temporalia quandoque petere non vetemur, ſunt tamen ſemper hæc ad illa dirigenda & ordinanda; aliàs petentibus nobis, & fruſtra clamantibus, diceretur: *neſcitis, quid petatis* (*a*).

Elevatis oculis in Cœlum oremus, ut dum oramus fiduciâ maximâ in Deum repleamur, ſcientes, quoniam *ipſi* maxima *cura eſt de nobis* (*b*), *qui nos prior dilexit* (*c*); & cum Propheta dicamus: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis. Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus Dominorum ſuorum. Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum* (*d*); a quo, ſicut ſervus a Domini ſui manu liberaliſſima mercedem, ita nos etiam a Deo gratias omnes & dona, ſpe repleti poſcimus, & expectamus.

Elevatis oculis in Cœlum oremus, conſiderantes: hi Cœli, Sol, Luna, hæc aſtra, omnia hæc elementa, creaturæ omnes propter nos factæ ſunt; & nos indigniſſimi, quoties iis omnibus abuſi ſumus, adversùs tam beneficum Creatorem! Heu! quia armabit has eaſdem omnes creaturas Deus ad vindictam tantæ noſtrùm ingratitudinis (*e*).

Elevatis etiam oculis in Cœlum oremus, & non elevatis. Elevatis quidem, ùt jam declaravimus; verùm demiſſis quoque, juſti illius *Publicani* exemplo, qui *nolebat nec oculos ad Cœlum levare* (*f*); illius itidem alterius verbis ad Deum cum lacrymis orantes, & dicentes: *Pater peccavimus in Cœlum, & coram te. Jam non ſumus digni vocari filii tui* (*g*). O quàm facilè hiſce lacrymis ac ſuſpiriis placabitur Deus! Feliciſſimi hi fletus, quæ non extinguent incendia, quas non abſtergent animarum ſordes? Quid his lacrymis Deo gratius, quid Angelis jucundius, quorum ſunt deliciæ? quid nobis utilius? His, mihi credite, pericula cuncta evitantur, mala omnia pelluntur, Dæmon ipſe in deſperationem quodammodo inducitur. Hoc igitur ſpiritu humilitatis, orante pro nobis & interpellante in Cœlis Domino Jeſu, oremus èt nos in terris, ut exaudiri mereamur, & cœleſti gratia repleti, ad æternam tamdem in Cœlo gloriam aſſumi. Amen.

(*a*) *Matth. XX. v.* 22.
(*b*) *I. Petri V. v.* 7.
(*c*) *I. Joann. IV. v.* 19.
(*d*) *Pſalm. CXXII. v.* 1. *& ſeq.*
(*e*) *Sapient. V. v.* 18.
(*f*) *Lucæ XVIII. v.* 13.
(*g*) *Ibidem XV. v.* 21.

HOMILIA CXIV.

HABITA IN BASILICA S. AMBROSII MEDIOLANI

Feria II. Dominicæ post Aſcenſionem

Primo die Rogationum Ritu Ambroſiano

ANNO MDLXXXIV. XIV. MAJI.



OQUAR *ad Dominum meum, cùm ſim pulvis, & cinis* (*a*). Hac nos veluti opportuniſſima, & optima præparatione dirigit hodie Sancta Mater Eccleſia ad has publicas Rogationes, ut ad rogandum communem Dominum quilibet noſtrûm accedens, dicat: Ego *pulvis, & cinis*, terra infructuoſa, arida, ſicca, homo de limo terræ formatus, qui, quamdiu vivo, pulveri ſimillimus ſum, quem in omnem partem quivis ventus facillimè agitat, & rapit; ego, qui a tot animi perturbationibus atque inordinatis motibus undequaque concutior, qui tot viciſſitudinum generibus & malis exponor, cujus breves anni multò velociùs, quàm ſagitta, pertranſeunt; qui denique citò morti ſum conceſſurus, & in cinerem convertendus, imo viliſſimorum vermium eſca futurus: *Ego*, inquam, *loquar ad Dominum meum*. Sed talis, tam vilis, & inops cùm ſim, quanam ratione loqui audeam cum tanto Domino, cum Deo ſummo, cum *Rege ſeculorum immortali, invisibili* (*b*), cum Cœli & terræ Domino, cum eo, cui Angelici omnes ſpiritus ſerviunt? Profectò, filii, ideo cum eo loqui debemus, quia tam miſeri ſumus, & ipſe tam potens; quin etiam id in primis ab ipſo petere orantes debemus, ut meminerit ipſe, quia *pulvis ſumus, & cinis*; ideoque fragilitati noſtræ & infirmitati compatiatur.

Verùm ut hoc cum fructu petamus, & petentes ab ipſo exaudiamur, recordari nos quoque opus eſt, & frequenter meminiſſe,

(*a*) Geneſ. XVIII. v. 27. | (*b*) I. ad Timoth. I. v. 17.

nisse, *quia pulvis sumus* & cinis, atque *in* cinerem & *pulverem revertemur* (*a*). Quod primum memoriale hodie summo mane dedit nobis Sancta Mater Ecclesia, ut eo veluti præparati, ad orandum Deum, & Sanctorum expostulanda suffragia confidentiùs accederemus; dicens hodie, quod universa Ecclesia initio Quadragesimalis jejunii omnibus dicere consuevit (*b*), cineres Fidelium capitibus imponendo: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem revertêris;* quod èt unusquisque nostrûm Ecclesiæ Ministro suggerenti, facere pollicitus est, respondens: *Memor ero.* O memoriale semper in oculis habendum, cujus summa necessitas nullis temporum, aut locorum, seu negotiorum circumscribitur terminis! Hoc est mente revolvendum, cùm lecto consurgimus, singulis horis diei, & cùm cubitum properamus; hoc in domibus nostris, in plateis, in Ecclesiis; hoc denique a nobis, sive excellens aliquid operemur, sive orationi insistamus, semper est memoriâ retinendum, quia pulvis sumus, & cinis, quia non modò quidquam boni agere non possumus, sed *ne cogitare quidem sumus sufficientes aliquid a nobis quasi ex nobis* (*c*), cùm simus sterilis & aridus cinis. Unde ergo tam superba in nobis elatio? *Quid superbis terra, & cinis* (*d*)? Num quòd dives sis, aut amicis abundes? Num quòd pulchra sis o mulier? Verè manifestum hoc est indicium, quia non meministi, quòd pulvis es, & cinis; si enim recordata fuisses, omnia hæc, saltem in universali totius Mundi incendio, esse in cinerem redigenda, nequaquam superbires.

Quin imo horum etiam memoria omnis, veluti in cinerem redacta peribit; cùm tamen illam tantî faciant homines, qui tam multa & plerumque difficillima peragunt, ut post eorum mortem, in posterorum animis ipsorum memoria perennet. Hinc tot magnifica eriguntur palatia, conseruntur horti, in superfluos sumptus profunduntur divitiæ, nempe ut insculpta sint hominum nomina in terris proprii juris: Et verè in terra scribunt ac pul-

(*a*) *Genes. III. v. 19.*

(*b*) Ritus aspergendi Clericorum & populi capita benedictis cineribus primo Rogationum die, in usu fuit apud quamplures Ecclesias ab antiquissimis usque temporibus: Edmundus namque Martene Lib. IV. Cap. XXVII. Volum. III. pervetustum Codicem Turonensis Ecclesiæ profert, ante annos DCCC. exaratum, Ordinem Romanum Wertinensis Monasterii, & Pontificale Salisburgense, in quibus præscripta legitur benedictio atque impositio cinerum, antequam Supplicatio Triduanarum Rogationum instituatur. Hoc idem, numquam intermissâ consuetudine, in hodiernum diem servavit Ecclesia Ambrosiana, cùm ceteræ Romani Ritûs Ecclesiæ, ineunte tantùm Quadragesimali jejunio, aspersionem cinerum capiti Christifidelium peragere consueverint.

(*c*) *II. ad Corinth. III. v. 5.*

(*d*) *Ecclesiastici X. v. 9.*

vere; nam ſicut qui in pulvere nomen digito exprimunt, inſufflante vento, pulvis in altum tollitur atque diſpergitur, & nominis inſcripti nullum remanet veſtigium; ſic & horum hominum Mundi *perit memoria cum ſonitu* (*a*). Quantò ſatius eſſet ac tutius curare, ut nomina noſtra in libro vitæ, qui penes Deum eſt, inſcriberentur, unde numquam poſſent deleri!

At dicis fortè: quî hoc faciam, cùm liber ille in Cœlis ſit, adeò a me diſtans; ego verò in profundiſſima hac lacrymarum exulem valle? Porro calamum in manu noſtra Dominus poſuit, ac brachiis noſtris eas vires attribuit, quibus nomina noſtra, ſive in libro vitæ, ſive mortis poſſimus exarare, prout arbitrii noſtri libertate, ſingulari Dei beneficio nobis conceſſa, ſive ad bonum utimur, ſive ad malum. Ecce igitur, quàm meritò hodie noſtrî amantiſſima Sancta Mater Eccleſia nobis ſuggerit, ut meminerimus, unde ſimus creati, nempe ex limo terræ; quid ſimus, nempe pulvis & cinis; in quid tamdem redituri ſimus, nempe in cinerem & pulverem, ut meritò hominem Propheta ille alloquens, ter exclamaverit: *Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini* (*b*); ideſt homo de terra, qui terra es, qui in terram reverteris. Hujus memoriæ defectus heu quot eſt cauſa malorum, & ſcelerum! Quot hinc oriuntur calamitates atque miſeriæ! Quot infelices animæ ſibi accumulant ſordes, eò quòd iſta non recogitent corde! Ideo amariſſimè Propheta deflebat: *Sordes ejus in pedibus ejus*, quia *non eſt recordata finis ſui* (*c*). Cum hac igitur recordatione oremus hoc triduo; hæc ob oculos ponentes, Sanctorum patrocinium imploremus, & Divino aſtemus conſpectui; quò enim demiſſiùs de nobis ſenſerimus, & ex corde locuti fuerimus, eò noſtrî magis miſerebitur Dominus. Quis enim pauperi miſereatur, qui paupertatem ſuam non commemoret, ſed ſe divitem prædicans, ac de ſe ſublimiter loquens ſtipem ſibi poſtulet erogari? Sed quæ nobis a Domino petenda ſint, qualiter item orandum, reliquum eſt, ut, juxta ea quæ die heſterna ſpopondimus, differere aggrediamur. Diximus Salvatoris noſtri orationem in Sancto Evangelio heri recitatam, nos opportunè admodum & appoſitè docuiſſe, quomodo orare debeamus. Quoniam autem Chriſti oratio tripartita eſt (nam primùm pro ſe orat, ſecundò pro Apoſtolis ſuis, tertiò pro credentibus omnibus,

(*a*) *Pſalm. IX. v. 7.*
(*b*) *Jerem. XXII. v. 29.*
(*c*) *Thren. I. v. 9.*

bus, qui venturi erant) ideo primum membrum breviſſimè conſideremus.

Ardet totus caritatis igne Dominus Jeſus, cùm morti appropinquat, cùm ad largiſſimè effundendum pro nobis pretioſiſſimum ſanguinem ſuum accedit. Quid ergo tunc orat? Orat his verbis: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Hæc eſt autem vita æterna: ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* (*a*). *Venit*, inquit, *hora* illa, quam ab æterno tu huic tam eximio in homines conferendo beneficio præſignaſti; hora illa a me tamdiu expetita, quam tot jam ab hinc annis perquiro. *Clarifica Filium tuum:* Clarificaverat eum Pater miraculis plurimis, voce præſertim de Cœlo delapſa: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite* (*b*); ſed clarificandus adhuc erat, in morte ſua videlicet, cùm creaturæ etiam mutæ ei gloriam eſſent redditturæ, cùm Sol obſcurandus, cùm petræ ſcindendæ, cùm monumenta aperienda, cùm denique alii pectus ſuum præ dolore forent percuſſuri, & reverſuri dicentes: *Verè Filius Dei erat iſte* (*c*). Erat etiam clarificandus glorioſa a mortuis Reſurrectione, & triumphali in Cœlos Aſcenſu, ac ad dexteram Patris ſeſſione, & demum nominis ſui atque Evangelii per totum terrarum Orbem promulgatione: Quæ omnia clarificationum genera, his verbis a Patre ſibi tribui poſtulat Dominus Jeſus.

Hujus verò rationem ſtatim addit, inquiens: *Ego te clarificavi ſuper terram: opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam: Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam Mundus eſſet apud te* (*d*). Quæ quidem verba maximis ſunt reſperſa inſtructionibus. Nam primùm quidem, quoniam prædicando, & alia quamplura peragendo Chriſtus Patrem clarificaverat, ideo ſe ab eodem poſtulat clarificari. Gratiſſimus enim eſt Deus, *diligentes ſe diligit* (*e*), & honorantes ſe honorat. O felices illos, qui vitam ſuam in prædicando, & Deum apud homines clarificando impendunt! Quantum ipſi honorem recipient! Certè tam magnum, ut admirans dixerit Propheta: *Nimis honorificati ſunt amici tui, Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum* (*f*). Ne-

(*a*) *Joann. XVII. v.* 1. *& ſeqq.*
(*b*) *II. Petri I. v.* 17.
(*c*) *Matth. XXVII. v.* 54.
(*d*) *Joann. XVII. v.*4. *&* 5.
(*e*) *Proverb. VIII. v.* 17.
(*f*) *Pſalm. CXXXVIII. v.* 17.

Neque verò de cœlesti honore dumtaxat eis in alia vita retribuendo id intelligi debet; siquidem in hac vita maximo honore decorantur. Quis enim umquam potentissimorum Regum, aut Imperatorum tantum in hoc Mundo cultum ac reverentiam percepit, quantam pauperculus Dei Servus Franciscus, Dominicus, aliique innumeri, quibus veluti splendidissimis sideribus Cœlum refulget? Ecce eorum sacra Lypsana, auro ac gemmis cooperta summâ cum veneratione coluntur; ante illa genuflectunt Summi Pontifices, Imperatores, Reges, ac potentissimi Principes; in eorum honorem amplissima ubique terrarum extructa sunt Templa, & quotannis eorum dies Festi ab omnibus Christifidelibus, maxima cum lætitia & exultatione recoluntur. Sic enim clarificat Deus non modò Filium suum, se clarificantem, sed quotquot etiam Servi, illius sequentes vestigia, Divino honori propagando operam navant.

Secundò verò summam Dei in hac retributione liberalitatem erga Christifideles in relatis verbis licet expendere, cùm ait: *Ego te clarificavi super terram: tu clarifica me apud temetipsum*. Nos honores terrenos, imperfectos & tenues ei tribuentes, immensos, cœlestes, infinitos recipimus. Et quænam est condigna proportio terræ ad Cœlum, hominis ad Deum, finiti ad infinitum?

Insuper edocemur, qualisnam sit honor, & gloria, & claritas a nobis desideranda; nempe non vilis ac mundana apud homines, sed æterna & cœlestis apud Deum; non ab hominibus laus est expetenda, sed vera apud Deum commendatio procuranda: Non magnifacere debemus, num ab hominibus cognoscamur, nec-ne; sed a Deo cognosci, & in vitæ libro describi. Hoc revera est maximè reputandum.

Ecce ergo, quænam pro se petit Dominus Jesus. Videamus igitur ét nos, quomodo orationes nostræ ipsius precibus sint conformandæ. Hoc itaque Rogationum Triduanarum, & Orationum omnium nostrarum esse debet initium: *Pater clarifica Filium tuum*. Hoc autem illud est, quod ipsemet Dei Filius in orationis exordio, nos a Patre petere docuit, inquiens: *Sanctificetur nomen tuum* (a); huc dirigenda sunt ferventiora omnia desideria. Verùm numquid sanctitati tuæ infinitæ, mi Deus, sanctitas ulla addi potest? Nulla profectò. Sed dum hoc oro, illud

(a) *Matth. VI. v. 9., & Lucæ XI. v. 2.*

lud peto, ut a me agnoſcaris, quantum in te ipſo ſis Sanctus; ut bonitas, ſanctitas, & ſapientia tua a me exaltetur ac magnificetur; ut in omnes terræ partes diffundatur, ut Fides tua ſacratiſſima ubique propagetur; complectantur eam omnes homines ubique degentes; nemo ſit qui te verum Deum non confiteatur, & credat; molliantur dura Ethnicorum pectora, tollantur ex eorum cordibus tenebræ; qui a Fide tua defecerunt, redeant ad gremium dilectiſſimæ Sponſæ tuæ Sanctæ Matris Eccleſiæ; pellatur eminus cæcitas omnis ac pertinacia, præſertim verò e locis, & regionibus nobis conterminis, quas ſæpe vobis, dilectiſſimi filii, commendare non deſino, quia magnam profectò diebus noſtris opportunitatem pretioſiſſimas illas animas lucrandi, oſtendit Dominus Deus (a). Verùm oremus quoque Dominum, ut obſcuri & tenebricoſi mores, cupiditates, luxuriæ, avaritiæ, palliati contractus, cambia, quæ vocant ſicca, & hujuſmodi innumera opera tenebrarum, quibus tam multa Animarum millia in Civitate hac incumbunt, prorſus aboleantur: Horum omnium mentes cœleſti lumine donentur, & clarificetur in ipſis Dei Filius. Dicat hodie quicumque ſic ſe noverit excæcatum: Heu miſerum, quid facio? Ut quid tam vili de cauſa æternis me cruciatibus obnoxium conſtituo? In faucibus Inferni jam jam deglutiendus exiſto; & pedem retrahere non contendo? Surgam e tenebris, & ſalutarem in me Dei claritatem recipiam.

Sed huic Dei clarificationi quantùm obſtat tenebroſa Divinarum rerum ignoratio! De iis loquor, qui ad Chriſtianos homines ſpectantia nec ſciunt, nec ſcire curant, aut volunt, imo plerumque ea diſcere, vel docere erubeſcunt. Proh dolor! Per hujuſmodi homines nomine Chriſtiano indigniſſimos *nomen Dei blaſ-*

(a) Functus fuerat Sanctus Carolus munere Viſitatoris Apoſtolici in *Meſolcina* Valle anno MDLXXXIII., ſummiſque vigiliis ac laboribus id tamdem effecerat, ut repurgata ab erroribus maleficiiſque regio illa, quæ olim vitiorum omnium labe inficiebatur, Chriſtianæ Religionis & pietatis fructus uberes germinaret. Fama ſanctiſſimæ ejuſdem Vitæ ſupergreſſa fuerat Rhetiæ montes, & Vallem Rheni Hæreſis contagio ubique laborantem pervaſerat. Quamobrem primores Viri Nuncios ad Sanctum Antiſtitem noſtrum ſecretò miſere, enixè rogantes, ut illuc ſe conferret; ſpondentes, ſe non modò eumdem avidè excepturos, ſed etiam facultatem omnem præbituros, ut Miſſæ Sacrificium liberè celebraret, atque concionaretur, animo ejuſdem mandatis obtemperandi prorſus parato. Cùm tamen Sanctus Carolus aliò tunc temporis vocaretur, ſpem dedit ſui ad illos acceſſûs, opportuniore exhibita occaſione. Sed graves Diœceſis propriæ curæ, & inexpectatus ejuſdem obitus, vota omnium intercepere. Refert iſta Gluſſianus in Vita Sancti Caroli Lib. VII. Cap. IV. Quantùm autem ejuſdem cordi infixa foret ſolicitudo revocandi ab Hæreſi gentes illas, docet præſens Sermo, in quo ſponſiones ab iis receptas innuens, populum ſuum, ad effundendas pro ipſarum ſalute ferventes ad Deum preces hiſce diebus invitat.

blasphematur (*a*): Vident Hæretici eos, qui se Catholicos esse gloriantur, blasphemos, incontinentes, luxui deditos, illicito fœnore Proximum enecantes, lucri cupidos, minimam pecuniæ summam Divino honori, & propriæ saluti præferentes; & de Fide Christiana obloquuntur, a perversis Christifidelium moribus perperam de Religione Sanctissima judicantes. Hoc ergo omnes enixè petamus cum Christo, ut cum clarificatione & gloria *sanctificetur* Dei *nomen* in conversatione nostra, vita, & moribus, juxta quod ipsemet Dominus faciendum præcepit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est* (*b*): ut ii simus, quos fore Isaias prædixit: *Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos*, & dicent, *quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus* (*c*). Aliàs conquereretur de nobis Deus, sicut olim de populo suo dicens: *Et ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum, cùm diceretur de eis: Populus Domini iste est, & de terra ejus egressi sunt* (*d*).

Eja igitur, dilectissimi filii; adsumus hìc in Templo Sancto Dei; asservantur hìc Sanctorum Patronorum, & Patrum nostrorum Ambrosii, Protasii, & Gervasii corpora: maxima profectò spei & confidentiæ causa hæc esse nobis debet, tales habentibus Patres, & defensores. Vereor tamen, ne nobis eorum vitam & mores non imitantibus, sed opem tantùm petentibus respondeant illi, quod olim Beatus Dominicus (*e*) Ordinis sui alumnis quibusdam, licentiosè viventibus: *Neque ego Pater, neque vos filii:* Vereor, inquam, ne, cùm ad judicandum Dominus venerit, talem nos ab iis, in quibus nunc maximè confidimus, repulsam patiamur. Studeamus ergo tantum a nobis periculum avertere, & tam noxium pudorem effugere; eorum mores imitemur, quorum volumus nobis preces prodesse; ut ita iisdem humillimè necessitates nostras exponendo, & supplices preces porrigendo, digni efficiamur, quos ipsi pro summa in nos caritate, nunc & in æternum protegant atque custodiant. Amen.

HO-

(*a*) *Isaiæ LII. v.* 5.
(*b*) *Matth. V. v.* 16.
(*c*) *Isaiæ LXI. v.* 9.
(*d*) *Ezech. XXXVI. v.* 20.
(*e*) Ferdinandus de Castillo in Historia Ordinis Prædicatorum Parte II. Libr. II. Cap. LXVI. describens nonnulla cœlestia signa, quæ ad promovendam reformationem, a Fr. Raymundo de Capua institutam plurimùm contulere, narrat, dum Bononiæ quidam Rithmus ante tumulum Sancti Dominici, referens sponsionem perpetui patrocinii, a Sancto Patriarcha Alumnis suis factam de more caneretur, auditam fuisse vocem ex ipso tumulo prodeuntem in hæc verba: *Neque ego Pater, neque vos filii;* eâque absterritos Cœnobitas illos strictioris disciplinæ regulis prompto ac lubenti animo se subdidisse. Seraphinus Razzius in Vita Sancti Dominiei, annum, quo id contigit, indicat, nempe MCCCCXXVII.

HOMILIA CXV.

HABITA IN BASILICA APOSTOLORUM (*a*)

Feria III. Dominicæ post Ascensionem

Secundo Rogationum die Ritu Ambrosiano

ANNO MDLXXXIV. XV. MAJI.



UID non sperabimus, dilectissimi filii, accurrentes, & ad tam divitem ac liberalem Dominum confugientes? Audistis proximè, quia *venit Dominus Jesus secus mare Galilææ, & ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, claudos, cæcos, debiles, & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos* (*b*). Verùm præter multa, quæ habere vim possunt ad augendam in nobis vivam hanc spem, & ad stimulos nobis addendos, ut oremus, & in oratione perseveremus; quis non excitetur atque accendatur, recolens quod paulo ante in Ecclesia Sanctæ Agathæ (*c*), de Chananæa muliere recitari audivit, quæ responsum a Domino non accipiens, & ab eo tamquam canis rejecta; adhuc tamen perseverans, meruit ab ipso laudari, dicente: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis* (*d*)? Quàm nobilem & sanctam Deo infert violentiam constans oratio, quæ ejusdem munera & gratias nostræ voluntatis arbitrio relinquit! Quamobrem etiam nobis sum-

(*a*) *Basilica* ista a Sancto Ambrosio excitata, nomen *Apostolorum* acceperat, ob illatas in eamdem illorum Reliquias, quas Sanctus Simplicianus Romà secum detulerat. Postmodum, cùm idem Sanctus Ambrosius divino afflatus lumine Corpora Sanctorum Martyrum Nazarii & Celsi reperisset, unoque ex illis (nempe Sancti Nazarii) solemni translatione Ecclesiam Apostolorum donasset, Sancti Nazarii titulum assumpsit. Utroque tamen nomine tum Sanctorum Apostolorum, tum Sancti Nazarii etiam in præsentia appellatur.

(*b*) *Matth. XV. v.* 29. & 30.

(*c*) Sanctæ Agathæ Ecclesia, quæ membrum est memoratæ superiùs Basilicæ Apostolorum, prope illam jacet; & in eadem etiam, secundo Rogationum die, in regressu a Sancti Calimerii Basilica Statio habebatur. Cùm tamen anno MDCXLII., teste Petro Paulo Bosca, *in Martyrologio Mediolanensis Ecclesiæ*, ad diem XI. Februarii, iter brevius & pauciorum Ecclesiarum Stationes præscriptæ fuissent, omissa est etiam illa, quæ ab antiquis temporibus in Ecclesia Sanctæ Agathæ peragebatur.

(*d*) *Matth. XV. v.* 28.

summopere de divina liberalitate confidendum est, si nos quoque hoc triduo in oratione perstabimus. Quòd si unius Chananææ mulieris sancta importunitas Dominum movit, quomodo non vincetur ille idem (qui vinci hoc pacto maximè cupit) a tam multis animarum millibus, quæ in spiritu Dei & Sanctæ Matris Ecclesiæ convenientes, ex antiquo & laudabili instituto unanimiter orant?

Habent hujusmodi publicæ orationes nescio quid peculiaris roboris, & plurimùm potest hæc ipsa collectio multorum, eumdem spiritum spirantium, & eodem cordis affectu Domini misericordiam implorantium. Invitabat idcirco olim Propheta ad hujusmodi conventus populum, & ejus quoque verbis hodie Sancta Mater Ecclesia filios suos invitat: *Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, & sugentes ubera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum, & altare plorabunt Sacerdotes, Ministri Domini, & dicent: parce, Domine, parce populo tuo* (a). Ad quid enim *sugentes* etiam *ubera* infantes, necdum doli capaces aut culpæ, & proinde nec etiam pœnæ aut flagelli, ad propitiandum Dominum invitabantur, nisi ut innocentum aspectu Deus commotus, sontibus etiam & reis propter ipsos parceret, ne communis illos cum istis pœna torqueret? Annon meministis, quanti faceret paucos aliquot Justos Dominus, cùm Sodomam & finitimas Civitates ascendente de terra favilla esset deleturus? *Numquid perdes*, inquit Abraham, *justum cum impio? Si fuerint quinquaginta justi in Civitate, peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo? Absit a te, ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum: qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc. Dixitque Dominus ad eum: Si invenero Sodomis quinquaginta justos in medio Civitatis, dimittam omni loco propter eos. Respondensque Abraham, ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis. Quid si minus quinquaginta justis, quinque fuerint? delebis, propter quadraginta quinque universam Urbem? Et ait: Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque. Rursumque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta. Ne quæso, inquit, indigneris Domine, si loquar: Quid si ibi inventi fuerint triginta? Respondit: Non faciam, si invenero ibi*

(a) *Joël. II. v. 15. & seqq.*

ibi triginta. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum: Quid si ibi inventi fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter viginti. Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: Quid si inventi fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem (*a*). Si ergo tam parvus justorum numerus tam frequenti populo veniam poterat impetrare, & a tam multis divinæ ultionis flagella avertere; quàm multum dilectissimi sperandum est atque confidendum, nos Dei misericordiam in hac publica oratione consecuturos, in qua tot Innocentum, Religiosorum, ac Deum timentium preces & lacrymæ vocibus nostris miscentur? Si jumentorum pœnitentia Ninivitis infructuosa non fuit, quantò minus igitur nobis erit, Deo gratissimarum animarum oratio? Cùm Jonæ prædicatio de futura Ninive subversione post quadraginta dies, ad Regem Civitatis pervenisset: *Surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamavit, & dixit in Ninive, ex ore Regis, & Principum ejus dicens: Homines & jumenta, & boves & pecora non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine* (*b*). Licèt enim jumenta illa nihil haberent partis in Ninivitarum sceleribus, neque habitura essent in pœna; quia tamen in favorem hominum creata illa fuerant, meritò, ubi de hominis perditione timebatur, èt ipsa dolebant, pœnitentiæ subjiciebantur, & magnæ civium contritionis publicum testimonium proferebant. Quanta laude apud Dominum patres illi sunt digni, qui teneros filios suos ad Rogationes adducunt, & petentibus filiolis quidnam sibi velint hæ preces, eos instruunt; Ritum nempe hunc in Ecclesia Dei esse antiquissimum (*c*); hoc orationis modo,

(*a*) *Genes. XVIII. v. 23. & seqq.*

(*b*) *Jonæ III. v. 6. & seqq.*

(*c*) A primævis usque nascentis Ecclesiæ temporibus Sacrarum Supplicationum ad loca Martyrum usum invaluisse, testatum abundè faciunt Tertullianus, Gregorius Thaumaturgus, Basilius, ac Hieronymus, relati a Baronio in *Martyrologio Romano*, ad diem xxv. Aprilis: Quilibet autem Episcopus in sua Urbe ac Diœcesi easdem indicebat, prout ingruentium calamitatum necessitas postulabat. Nec semel tantùm per annum, sed sæpius institutas olim fuisse publicas Litanias discimus ex Sancto Gregorio Magno, qui *quater in anno* Litanias solemnes celebrari consuevisse a Ravennatibus Episcopis scribit Epistola LXI. Lib. VI. Hinc Eminentissimus Cozza, & Ludovicus Thomassinus in eruditis Operibus suis *de Ecclesiastico Jejunio* apertè docent, Sanctum Mamercum minimè fuisse primum Rogationum Institutorem; sed eas, quæ antea vigebant, strictiori lege renovasse, ac tribus ante Ascensionem Domini diebus peragendas fixisse. Idem dicendum est de Sancto Lazaro, qui in hac Metropoli Rogationes post Ascensionem celebrandas induxit, alia de causa permotus, ab ea Sancti Mamerci, ob metum nempe Barbarorum, irruptionem in Italiam minitantium. Quamobrem in precibus, quæ recitantur eo Triduo, frequens memoria fit custodiæ mœnium & Portarum Urbis, pro qua circumeuntes Clerus & Populus muros Civitatis, Dei & Sanctorum patrocinium implorant.

modo, iratum ob culpas Deum facillimè miseris hominibus reddi propitium, & divinæ misericordiæ fontes aperiri! Superest igitur, ut hodie videamus, quid sit orandum, & Christi Domini verbis preces nostras jungere prosequentes, de secunda ejus orationis parte pro Apostolis facta agamus; quæ quidem tractatio opportunè admodum in Ecclesia hac sacrosanctis Apostolis dicata fiet.

Orat Dominus Jesus, & præcipuè pro dilectissimis Apostolis suis, ipsismet spectantibus & audientibus, ut eos suo discessu afflictos consoletur: Licèt enim ipse sit, qui gratias eis, & omnibus dividit, utì homo tamen pro eis orat ad Patrem. Et primò declarat pro quibus oret, quod valdè ad rem nostram facit; possumus enim nos, si velimus, sacrosancto Apostolorum numero includi, si eos imitati fuerimus. Mundum igitur in primis excludit, dicens: *Non pro Mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi* (*a*). O magnum verbum, & validissimum, ut a nobis eliciatur firmissima deliberatio, Mundum prorsus abdicandi, atque ita orationis Christi fructum capiamus, & preces nostræ precibus illius conjunctæ efficaciores reddantur! *Non pro Mundo* igitur, *rogo*, inquit Christus; non quidem de Mundi machina loquens, cujus ipse extitit fabricator, qua ratione, *cuncta quæ fecit* ipse, *sunt valde bona* (*b*), sed de mundanis & voluptuosis hominibus, qui cor suum, & cogitationes omnes, ac spem in Mundo collocaverunt, eumque sequuntur; pro quibus, quamdiu tales sunt, ipse non orat. Quanta est, dilectissimi filii, inter Mundum & Christum Dominum inimicitia! *Venit ipse omnes homines salvos facere* (*c*), se ipsum tam liberaliter ob hoc impendere & superimpendere, ac pretiosissimum sanguinem suum effundere; attamen ab orationibus suis Mundum explodit. Non habet, fratres, cum Christo partem Mundus quoad efficaciam, nec in ejus precibus atque Passione; habet quidem secundùm sufficientiam, sola enim guttula sanguinis ejus sufficiebat ad mille Mundos redimendos, sed quoad efficaciam, impeditur hic ejus effectus a Mundi amatoribus, qui suà culpà se se removent a tanti fructus communione: *Non vult mortem impii* Christus Dominus, filii, *sed tantùm, ut convertatur impius a via sua, & vivat* (*d*). Vult salutem tuam, o peccator, si velis èt tu: Peris igitur & dam-

(*a*) *Joann. XVII. v.* 9.
(*b*) *Genes. I. v.* 31.
(*c*) *I. ad Timoth. I. v.* 15.
(*d*) *Ezechiel. XXXIII. v.* 11.

damnaris? culpâ tuâ hoc fit; *perditio* enim *tua ex te: in ipso verò tantummodo auxilium tuum* (*a*): *Filioli mei* (inquit Joannes) *hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi* (*b*). Excluduntur ergo solùm qui excludi volunt a Christo, nam ipse pro omnibus orat & patitur. Sed qui Mundum Deo præponunt, qui pompis & luxui, qui voluptatibus & libidini Deum postponunt, qui vias Dei negligentes ambulant post vias Mundi & peccati, hi digni non sunt, pro quibus a Domino oretur.

Deliberemus ergo tamdem nosse, quid sit Mundus. Audite cœlestem illum Philosophum, quid sit, docentem: *Filioli: nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo sunt. Quoniam omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ* (*c*). *Quicumque voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituitur* (*d*). Perpendamus igitur omnia, & videamus quis cuique locus tribuendus sit, quid in primis quærendum, & quid accessoriè.

Itaque orat Christus pro Apostolis; hujus verò orationis rationes aliquas & causas adducit, ex quibus facilè nosse possimus, quid agendum nobis sit, ut eorum numero adscribamur. Prima est, quia *manifestavi* (inquit) *nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi* (*e*). Qui ergo nomen Dei sibi manifestari permittit, qui frequens est ad sacrosanctas Ecclesias, ad Scholas Doctrinæ Christianæ libenter accedit, verbum Dei esurit, quibus omnibus *manifestatur* Dei *nomen*, hic in primis orationum Christi fit particeps. Secunda ratio est, quia *tui sunt, & mihi eos dedisti* (*f*). O Reverendi Sacerdotes, ad nos hoc præcipuè spectat: Docent hæc verba zelum animarum, quas nobis tradidit regendas Dominus Deus, quibus, præter cetera, orationes debemus, ut orantes dicamus: Tuæ sunt, o Domine, animæ istæ; eas tu fidei meæ commisisti; pro iis oro, quia tu, ut hoc faciam, præcepisti, & exemplo tuo comprobasti: Audit, fratres, hujusmodi orationes libentissimè Dominus. Tertia ratio est gravissima, quia (subdit Christus) *sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi,* abs

(*a*) *Osee XIII. v. 9.*
(*b*) *I. Joann. II. v. 1. & 2.*
(*c*) *Ibidem v. 15. & 16.*
(*d*) *Jacob. IV. v. 4.*
(*e*) *Joann. XVII. v. 6.*
(*f*) *Ibidem.*

abs te sunt: & isti acceperunt, & cognoverunt verè, quia a te exivi, & crediderunt, quia tu me misisti (*a*). Quàm magna dispositio ad participanda Christi merita, est divinæ obedire voluntati, Deum loquentem in Sacerdotibus & Prælatis audire! Quanto affectu & hilari corde orat Prælatus pro hujusmodi fidelibus, quos monitis suis videt obsequentes, & verbum ejus audientes, prout verè est verbum Dei!

Orat etiam Salvator pro Apostolis suis, quia ab eis erat corpore paulo post recessurus; & quoniam maxima pugna adversùs eos a Mundo instruebatur, & Mundus eos erat odio prosecuturus, addit etiam hanc rationem, quòd *Mundus eos odio habuit, quia non sunt de Mundo* (*b*). Consolamini pauperes, in ærumnis constituti, & qui, veluti patentes scopuli continuis Mundi fluctibus, atque agitationi estis expositi, quia quos Mundus odit, in protectionem recipit Deus, & dicere potestis: *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me* (*c*); quo quidem nos protegente, quid nobis poterit umquam deesse?

Duo pro Apostolis a cœlesti Patre Christus Dominus petit: primum, *ut servet eos a malo* (*d*); alterum verò, ut *sanctificet eos in veritate* (*e*). Primum & pessimum malorum omnium est peccatum; dein tentationes, peccati pericula, ac Mundi tribulatio atque persecutiones, a quibus bifariam Deus liberat suos; vel eos non permittendo tentari & affligi, vel vires præbendo, ut strenuè obsistant. Cùm verò nos petimus a Domino, ut mala evitemus, ab iis etiam eximi postulamus, quæ Mundus corruptus bona esse existimat, sunt tamen abutentibus mala; cujusmodi sunt divitiæ, ac mundana prosperitas. Postremò autem Patrem rogat, ut *sanctificet* Apostolos *in veritate*, Spiritus Sancti dona iisdem largiendo.

Eja igitur, filii, preces nostras Christi jungentes orationibus, ad Deum conversi, supplices pro Civitatis hujusce incolis in primis, ita precemur. Pater sancte *serva* omnes hos filios tuos *a malo*, a peccato in primis, ut millies potiùs mori parati sint, quàm in te umquam delinquere. Libera eos a peccati periculis, a tentationibus; da eis vires, quibus eas possint repellere. Averte ab iisdem pestem, famem, bella, & cetera omnia ærum-

(*a*) *Joann. XVII. v. 6. & seqq.*
(*b*) *Ibidem v.* 14.
(*c*) *Psalm. XXVI. v.* 10.
(*d*) *Joann. XVII. v.* 15.
(*e*) *Ibidem v.* 17.

ærumnarum genera, modò tamen id in gloriam nominis tui cedat, & eorum expediat saluti. *Sanctifica eos in veritate*, ut vigeat in ipsis *caritas* sincera, *non ficta* (*a*); ut semper, & ubique sancti esse contendant, semotâ omni carnis prudentiâ, quam operibus suis inserere caveant, ne de iis sint, de quibus Propheta conqueritur, quòd vinum suum aquâ misceant (*b*). Cogitent semper, præcipuum hoc illis esse debere negotium, ut animæ saluti prospiciant, reliqua verò huic contraria penitus aversentur. Hæc omnia non de nostris confisi meritis petimus, sed in virtute Sacrificii illius sanctissimi, quod Unigenitus Filius tuus pro nobis de se ipso tibi obtulit in Cruce. *Respice in faciem ejus* (*c*), Pater æterne, & hasce animas sanguine illo pretiosissimo conspersas, tua dignas redde propitiatione. Amen.



HO-

(*a*) *II. ad Corinth. VI. v. 6.*
(*b*) *Isaiæ I. v. 22.*
(*c*) *Psalm. LXXXIII. v. 10.*

HOMILIA CXVI.

IN SOLEMNITATE

PENTECOSTES

Habita inter Missarum Solemnia in Templo Metropolitano Mediolani

Anno MDLXXXIV. XX. Maji.



Ancta & saluberrima expectatio, dilectissimi filii, Sacrosancti Cœtus Apostolici, quam post Christi Salvatoris nostri in Cœlos ascensum per decem dies sustinuit in unanimi oratione, & piis lacrymis perseverans (*a*), quas Sancta Mater Ecclesia, hebdomada hac præterita, triduanis juxta Ritum nostrum Rogationibus nobis ob oculos posuit; sic enim decebat, ut *Filii Sponsi* (quemadmodum eosdem Apostolos benignissimus Dominus excusans dixerat) *quamdiu cum ipsis erat Sponsus*, hilares viverent & læti, nullum in se ipsis tristitiæ sive dolori locum præbentes (*b*), cùm satis post ejusdem abscessum futuri essent mœsti ac dolentes: Tam sancta, inquam, expectatio, tam ardentes lacrymæ, tam inflammata desideria quònam pervenient, quem finem sortientur, quem fructum consequentur? Ecce hodie amplissimum fructum, nobilissimum finem, maximum donum: Ipso Spiritu Sancto, tertiâ in Divinis Personâ, Deo ipso, cum tanta donorum, gratiarum, atque charismatum plenitudine donantur. O felix & beata expectatio, tantis hodie cumulata divitiis, tam admirando cœlestis ignis imbre hodie fœcundata! Hæc scopus fuit, & consummatio, atque perfectio omnium Christi Domini Salvatoris nostri operum; huc omnia illius Sacrosancta spectarunt mysteria; hoc semper ob oculos habuit propositum, Dei Filius de purissimo Mariæ Virginis sanguine

(*a*) *Act. Apost. I. v.* 14.

(*b*) *Matth. IX. v.* 15.

ſanguine carnem humanam aſſumens, naſcens, vivens, & peregrinans inter nos homines, prædicans, miracula edens, tam multa patiens, Crucem conſcendens, acerbiſſimam perferens mortem; de morte triumphans, a mortuis reſurgens, propria in Cœlum virtute conſcendens. Ecce horum omnium terminus, ecce ſigillum, Spiritus Sancti donatio ad renovandum Orbem terrarum, ad Sacratiſſimos Apoſtolos tam incomprehenſibilibus locupletandos theſauris, atque ad Sacroſanctam Eccleſiam in illis tam abundè ditandam. Maximus eſt profectò hic Divini in homines amoris exceſſus; cui quàm congruè, obſecro, hodie nos addidimus religioſam Supplicationem (in honorem Sacratiſſimi Corporis Chriſti ſingulis tertiis cujuſvis Menſis Dominicis diebus ex inſtitutione noſtra celebrandam) cùm Deo ſic diſponente, in hodiernam inciderit Solemnitatem! Qua enim in re infinitum ſuum erga nos amorem magis oſtendit Omnipotens Deus, quàm nobis viliſſimis & indigniſſimis creaturis, Unigenitum Filium ſuum donando? *Sic enim Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret* (*a*), *cum quo* etiam *omnia nobis donavit* (*b*). Ecce hoc eſt Filii ſui corpus, quod inexplicabili caritate, liberalitate, atque potentia, licèt in Cœlis ad Patris dexteram ſedeat, in terris tamen in ſacris Altaribus reſidet; nec mortuum, ſed vivum, & animæ beatiſſimæ conjunctum, Deus ſimul & homo. Verùm hodie quoque dilectionem ſuam Deus maximè patefecit, ipſummet ſuum Amorem, Sacroſanctum nempe Spiritum, qui reciprocus eſt Patris & Filii amor, nobis impertiendo. O duo præſtantiſſima dona! o duo cariſſima pignora, Filius, inquam, Altiſſimi, & Patris Filiique Amor! Verè *meliora ſunt*, Rex immortalis Cœli & terræ, *ubera tuo vino* (*c*). Quæ autem ubera, niſi duo hæc? *Filius tuus, in quo tibi bene complacuiſti* (*d*), & Spiritus Sanctus, a te & ab illo æquè procedens? Hæc duo ubera in pectore tuo, ea ſunt, quibus filios tuos homines paſcis, nutris, & foves; neque iſte amori tuo limes erit, cùm te ipſum etiam eis, in æterna felicitate in præmium ſis largiturus. Innumera hìc eſſent, dilectiſſimi filii, conſideranda. Sed hodierni doni & beneficii præſtantia jure exigit, ut, ceteris omnibus prætermiſſis, de illius amplitudine ac majeſtate, nonnulla proferamus; unde fructus, ipſi Sancto Spiritui gratiſſimos colligamus.

 Si ad

(*a*) *Joann. III. v. 16.*
(*b*) *Ad Roman. VIII. v. 32.*
(*c*) *Cant. Cantic. I. v. 1.*
(*d*) *Matth. XVII. v. 5.*

Si ad vestes Sacerdotum in veteri Testamento, & ad vasa usui Templi necessaria construenda (quæ tamen omnia umbræ tantùm & figura eorum habebantur, quæ in novo Testamento erant subsecutura) tam sedulam adhibuit Dominus solicitudinem, ut illorum fabros & artifices præcipuo quodam spiritu priùs repleri opus esse putaverit, sicut in Exodo legitur; ubi de vestibus Aaron Sacerdotalibus, primò sic Moysi Dominus præcepit: *Loquêris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi* (*a*): Tum verò de ceterorum ad Templi usum pertinentium, alibi refertur: *Fecit ergo Beseleel & Ooliab, & omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam, & intellectum, ut scirent fabrè operari, quæ in usus Sanctuarii necessaria sunt, & quæ præcepit Dominus* (*b*): Qua solicitudine ac cura putabimus nos, hunc eumdem Dominum Deum nostrum, illos præparasse ac disposuisse, quo spiritu præmunivisse & replevisse operarios illos, quibus uti designabat ad spirituale Sacrosanctæ Ecclesiæ ædificium erigendum? Hæc fuit præparatio, hæc dispositio, hic *prudentiæ spiritus*, hodierna videlicet Spiritus Sancti in Apostolos missio. Erant hi prælecti ac designati ad tantum & tam insigne ministerium, futuri artifices operis adeò excelsi, imo quoque post Christum non modò Operarii & Artifices, sed fundamenta etiam ipsius Ecclesiæ: *superædificati* enim sumus *super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu* (*c*). O quantâ *prudentiâ*, quàm sublimi *sapientiâ*, quantoque *intellectu*, fuerunt ad hujus fabricæ incrementum Divino Spiritu operante repleti, cui tam erat cordi hæc sancta structura, ut ipsemet *Christus lapis* ejus *angularis* esse voluerit, ac eam omnem suo pretiosissimo sanguine instituere, promovere, atque perficere! Quàm igitur copiosè dona omnia in illos defluxere! Ideo etiam non quavis ratione, sed maxima cum majestate, descendit supra Apostolos Spiritus Sanctus. Daturus olim Legem servo suo Moysi Dominus, admirabili potentia atque splendore ad eam tradendam accessit; sic enim in sacris literis istud exprimitur: *Jamque advenerat tertius dies, & manè inclaruerat: & ecce ceperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perstrepebat* (*d*). Quid mirum igitur, si legem hodie amoris daturus Deus, imo amore

(*a*) *Exodi XXVIII. v.* 3.
(*b*) *Ibidem XXXVI. v.* 1.
(*c*) *Ad Ephes. II. v.* 20.
(*d*) *Exodi XIX. v.* 16.

amore ipſo ſuo repleturus Apoſtolos, tanta cum majeſtate opus peregit, ut a S. Luca dicatur: *Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco: Et factus eſt repentè de Cœlo ſonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum (a)?* Æquus profectò erat iſte apparatus, ut majeſtas tanti doni, ac donantis ipſius amplitudo & natura dignoſceretur.

Meritò cum venti vehementis impetu mittitur Spiritus Patris, ut viſibili hac venti ſignificatione, quanta ſit Spiritus Paracliti, animam aliquam intrantis, vis oſtendatur, & quàm mirabiliter in ea operetur. Hic, inquam, Spiritus eſt, de quo ipſe Filius aliàs dixerat: *Spiritus ubi vult ſpirat: & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quò vadat (b).* Intravit ſic hodie Apoſtolorum corda viſibili modo: quotidie autem Fidelium animas in ejus occurſum congruè ſe diſponentes, inviſibili ingreditur quidem ratione; ſed admiranda ejus opera ita perſpicuè conſpiciuntur, ut quicumque ea vident, dicere cogantur: *Hæc mutatio dexteræ excelſi (c);* cùm eum, qui priùs totus erat Mundo Mundique pompis deditus, carnis illecebris & luxui mancipatus, mille demum peccatorum cœno conſperſus, contritum ſtatim, ac corde compunctum intuemur, novos ſermones, nova verba, novos mores inſtituentem, nova ſtudia, novum converſationis genus exercentem. O qualis eſt iſta mutatio, o quàm *vehemens* hic *ſpiritus!*

Hic ipſemet Spiritus, qui Scripturæ ſacræ libros omnes dictavit, pulchrè in primis & appoſitè, quanta ſit vis ipſius in animas, & quos in illis fructus eliciat, in Eliæ Prophetæ Domini fuga atque triſtitia, nobis ob oculos poſuit. *Miſerat Jezabel Nuncium ad Eliam dicens: Hæc mihi faciant Dii, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam, ſicut animam unius ex illis,* videlicet quos ipſe occiderat. *Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit quòcumque eum ferebat voluntas: venitque in Berſabee Juda, & dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſertum viam unius diei. Cùmque veniſſet, & ſederet ſubter unam juniperum, petivit animæ ſuæ, ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum, quàm Patres mei. Projecitque ſe, & obdormivit in umbra juniperi: & ecce*

(a) *Act. Apoſt. II. v. 1. & ſeqq.*
(b) *Joann. III. v. 8.*
(c) *Pſalm. LXXVI. v. 11.*

Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rursum obdormivit. Reversusque est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via. Qui cùm surrexisset, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. Cùmque venisset illuc, mansit in spelunca: & ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hìc agis Elia? At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël: Altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio: derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam. Et ait ei: Egredere, & sta in Monte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis (hìc attendite filii) *& fortis, subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio: non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis* (a). Hac eadem ratione Spiritus Sanctus in animas Fidelium ingreditur, prout apparuit Eliæ Dominus Deus; nam primò ad animam ait: *Quid hìc agis* in hoc cœno, in his sordibus, in hac peccati fœditate? *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas* (b)! Annon cogitas, te brevì per mortem a corpore divellendam; daturam te gravissimas pœnas; reddituram te coram severissimo Judice rationem districtissimam? Quid tibi, quæ spiritus es, cum carne? cur illicitis voluptatibus te totam immergis? Tum *ventus* hic *grandis & fortis* divinæ inspirationis, *subvertit montes, & conterit petras:* Quæ priùs in animæ illius oculis erant magna atque sublimia, nunc vilissima & infirma ostendit; quæ priùs dulcia videbantur & sapiebant, nunc amarissima redduntur & horribilia. Hoc autem accidit, cùm peccator adinstar Filii illius prodigi (c) revertitur in semetipsum, & fixa mentis cogitatione contemplatur, quàm vana, fragilis, & perniciosa fuerit spes sua & cupiditas; quàm noxiæ carnis voluptates, avaritia, pompa, fuci, corporis ornatus. Mutantur tunc ejus oculi, & dicere incipit: O me infelicissimum, si in ea iniquitatis via, in qua hactenus resedi, mors telum suum contra me armasset! Nisi me divina bonitas ad pœnitentiam expectasset, vocasset & revocasset tam multis, & tam mirabilibus modis; nonne æternis ignibus Inferni esca

(a) *III. Regum XIX. v. 2. & seqq.*
(b) *Jerem. II. v. 36.*
(c) *Lucæ XV. v. 13. & seqq.*

eſca fuiſſem! Hanc commotionem ſubinde ſequitur *ignis*, ſanctà ſcilicet quædam impatientia & cordis anxietas, atque ardentiſſimum deſiderium e peccati ſtatu exiliendi; graviſſimas delictorum ſarcinas excutiendi, ſacrum Pœnitentiæ Tribunal adeundi, Deoque ad iracundiam provocato pro commiſſis culpis ſatisfaciendi. Quieſcere nequit diurno tempore, aut nocte ſomnum capere, donec a ſe maledictam peccati febrim videat expulſam; atque ita totus igne hoc vehementiſſimo inardens, ad Sacerdotis pedes provolvitur, aperit conſcientiam, omnia prodit peccata, ad Euchariſticam Menſam accedit: Et ecce ſtatim *aura* illa *tenuis* atque dulciſſima Spiritus Sancti intrat animam, recreat, conſolatur, atque refrigerat.

Hoc idem in vobis ipſis, o Sanctiſſimi Apoſtoli, hodie impletum agnoſcite. Vidit Dominus quid ageretis, dum orationi inſiſtebatis; factus eſt *ventus grandis, & fortis*, dum *factus eſt repentè de Cœlo ſonus, tamquam advenientis ſpiritus vehementis:* Apparuit etiam *ignis* in linguis, ſed non fuit in vento, neque in commotione Spiritus Sanctus. Non in linguis illis igneis, quamvis ipſæ ad ſignificandum Spiritum Paraclitum eſſent a Domino creatæ; neque enim erant ipſæ ſpiritus, cùm eaſdem non aſſumpſiſſet, ſicuti humanam naturam, Unigenitus Dei Filius homo factus. Sed ecce, quia ipſe Spiritus Dei in vobis eſt *tenuis* illa & dulciſſima *aura*, quæ tanto vos gaudio replevit atque firmavit, ut meritò dicatur, quia *ſedit ſupra ſingulos veſtrûm*. Et profectò *ſedit*, permanſurus peculiari modo vobiſcum, ac etiam cum Eccleſia Sancta Dei in æternum: Vobiſcum quidem; ex illo enim die, divinæ gratiæ numquam jacturam feciſtis, nec per lethale peccatum ab ea decidiſtis: cum Eccleſia verò ſacroſancta, cui *ad conſummationem uſque ſeculi* (*a*) ſemper aſſiſtet, juxta Sponſi ſui dilectiſſimi promiſſum. Ecce, filii, quàm fidelis & verax in ſponſionibus ſuis fuerit Dominus Jeſus, qui dixerat: *Non relinquam vos orphanos* (*b*); *ſed mittam vobis ſpiritum Patris* (*c*); qui toties affirmaverat, expedire, ut ipſe ad Patrem aſcenderet; alioquin Spiritus Sanctus ad nos non acceſſiſſet (*d*). Quis ergo diffidat? Quis non firmiſſimè ſperet, ſe ea omnia conſecuturum, quæ idemmet Dei Filius promiſit? Non ideò quia a nobis longè receſſerit, non quia ad dexteram ſedeat Patris, & nos miſeri in hoc Mundo

(*a*) *Matth. XXVIII. v.* 20.
(*b*) *Joann. XIV. v.* 18.
(*c*) *Ibidem XVI. v.* 7.
(*d*) *Ibidem.*

Mundo certemus, oblitus eſt noſtri, aut eorum, quæ nobis pollicitus fuit, poterit umquam obliviſci. Utinam nos repagula minimè opponeremus, quominus ipſe ea nobis præſtaret, quæ & ſe præſtiturum ſpopondit, & præſtare corde ſincero deſiderat!

O ſuaviſſima aura, o ardentiſſime ignis! Quàm non incongruè, nec ſine maximo myſterio, filii, in linguis igneis hodie Spiritus Domini replevit Apoſtolos! Siquidem iſte ignis præcipuos ejuſdem denotabat effectus. Sicut enim ignis inter cetera elementa maximam purgandi vim habet; ita quæ intraverit corda Spiritus Domini, ab omni protinus emundat ac purgat ſorde peccati. Activus eſt maximè inter omnia ignis: Verùm quid vividiùs operatur in anima, quàm hic Domini Spiritus? Quid non illico in ſe transformat, quid non abſorbet atque conſumit? Semper ſurſum ignis tendit, nec umquam quieſcit, donec ad ſupremam ſphæram perveniat; ſic qui Spiritu Domini repleti ſunt, in carne extra carnem vivunt; in Mundo extra Mundum; nihil de terra ſapiunt, aut cogitant, ſed cogitatio eorum omnis, & *converſatio* ſemper *in Cœlis eſt* (*a*). Verùm hæc ſicco pede pertranſimus; non enim uno, aut multis poſſunt explicari ſermonibus; de iis autem per totam præſentem hebdomadam, ſingulis diebus, in Eccleſiis, in quibus ſacroſanctum miniſtrabimus Chriſma, Deo juvante, differemus (*b*).

Venit præterea Spiritus Sanctus in linguis: Et meritò in linguis;

(*a*) *Ad Philippenſ. III. v.* 20.

(*b*) Duos ex hiſce Sermonibus ab ore Sancti Caroli concionántis exceptos in ſuis archetypis tabulis deſcripſit Poſſevinus. Primus habitus fuit ferià III. in Eccleſia Sancti Laurentii, ubi Chriſmatis Sacramentum adminiſtravit: Argumentum autem ſumpſit Sanctus Paſtor ab illis verbis Job: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, oſtenditque, Chriſtifideles contra validiſſimos hoſtes, Mundum, Dæmonem, & carnem armari, ac pugnare viriliter debere, cùm vim omnem ac fortitudinem ſtrenuè tentationibus obſiſtendi, in Confirmatione recipiant; ſubdens, quàm injurioſum eſſet, poſt admiſſum in corde Spiritum Sanctum, illum contriſtare, iterum peccando cedendoque, ignavi militis in modum, hoſtibus ſuis. In altero, quem pronunciavit feria ſequenti in Eccleſia Collegiata Sancti Nazarii, exordium cœpit a præparatione animæ ad recipiendum Spiritum Sanctum juxta verba illa Divini Redemptoris: *Vado parare vobis locum*, quibus docemur, nobis injunctum eſſe, præparare viam donis ſuis, præſertim cùm per Spiritum Sanctum quiſque in ſe colligat quæcumque poſſunt deſiderari. Afflictus optat conſolationes: *Ecce alium Paracletum dabit vobis;* alter conſilium in arduis vellet: *Ecce hic docet omnem veritatem;* alius fortitudinem in tentationibus: Ecce præcipuus hic eſt Chriſmatis fructus. Denique omnia eſt Spiritus Sanctus. Magno propterea deſiderio accedendum eſſe ad id Sacramentum, Populos monuit. Quid autem agendum foret poſt ſacrum receptum Chriſma, docuit exemplo Apoſtolorum, qui *forma facti ſunt Gregis in Domino;* iis enim indixit Divinus Præceptor: *Accipietis Spiritum Sanctum, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem* &c.; hæc verò non tam Sacerdotibus, ſed omnibus etiam Fidelibus dicta eſſe, cenſeri poteſt: Neque enim traditus eſt Spiritus Sanctus illis, ut ſint otioſi, ut Mundo ſerviant, ut ſceleribus inquinentur, ſed tantus theſaurus, tamque excellens donum datum eſt, ut luceant bonis operibus coram hominibus, & æternæ vitæ fructus edant; ita namque teſtes erunt Chriſto in Jeruſalem, hoc eſt in Eccleſiis, in Compitis, atque ubique locorum.

guis; ad hoc enim præcipuè eo ſpiritu inſtruebantur & præparabantur Apoſtoli, nempe ad linguæ exercitationem, ad Evangelium in populos prædicatione promulgandum. Olim priſcis iis hominibus nimis altum ſapientibus, ac Deo quodammodo per ſuperbiam bellum indicentibus, & Civitatem ac Turrim ædificare conantibus, cujus cacumen Cœlum pertingeret, intolerabilem illorum audaciam Dominus Deus linguarum diviſione ac confuſione ſubvertit (*a*). Verùm hodie novam parans Dominus extruere Eccleſiæ Sanctæ, quæ verè Civitas eſt Dei, & Turris Davidica, fabricam; ecce quia in unitate linguarum congregat hominum multitudinem, dum loquentibus Apoſtolis, omnes diverſarum Regionum homines, & præter cetera linguis ac ſermone inter ſe maximè diſſiti, eos audiunt & intelligunt propriis linguis loquentes (*b*): Cùm tamen Apoſtoli Galilæi eſſent, nec illarum Regionum idiomata ſtudio aliquo adhibito didiciſſent. Sed Spiritus Domini hæc admiranda in eorum linguis, quæ *calami* ſunt *ſcribæ velociter ſcribentis* (*c*), eſt operatus.

O mira Chriſti ſapientia, quàm *fortiter* atque *ſuaviter omnia diſpoſuit* (*d*), & ordinavit! Graſſabatur tunc in Orbe terrarum præſertim linguæ peccatum, vigebant tunc blaſphemiæ, convicia, detractiones, mendacia, fraudes, ac doli; & qua corporis parte debuerant in primis homines Deo ſemper benedicere, ipſumque laudare, in eumdem præcipuè delinquebant. Emendatione igitur, ac valida curatione cùm egerent hominum linguæ; ecce quia maximo cum myſterio, in linguis igneis accedit Spiritus Sanctus. Porro quis etiam cum lacrymis non intelligat, quantùm hac tempeſtate, ob eamdem cauſam (& utinam aliæ multæ non ſuppeterent!) opus ſit, ut hic idem Spiritus Domini in nos illabatur?

Sed animadvertite, quia *domum replevit*, *ubi erant* Apoſtoli *ſedentes*, & in domum unam intravit. Neque enim reperire eſt Spiritum Sanctum extra Apoſtolicam domum; extra Sacroſanctam Romanam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, in qua, quia nati ſumus & vivimus, ingentes Deo gratias pro tanto referre beneficio numquam deſinamus, & ut eam ceteri, qui foris ſunt, ingrediantur, indeſinenter oremus.

Secun-

(*a*) *Geneſ. XI. v.* 3. *& ſeqq.*
(*b*) *Act. Apoſt. II. v. 6. & ſeqq.*
(*c*) *Pſalm. XLIV. v.* 2.
(*d*) *Sapient. VIII. v.* 1.

SECUNDA PARS.

[Non sine maxima causa, dilectissimi in Domino filii, in Ecclesia hac Metropolitana Oblationibus hodie præbetur initium (*a*): Hodie qui Spiritu Sancto repleti fuerint, de propriis substantiis, universorum Domino partem unà cum se, ipsis offerre inchoabunt. Antiqua enim hæc consuetudo, & laudabile est in hac Ecclesia Institutum, & mysticè admodum introductum; dies enim hodiernus erat solemnis (*b*) antiquo Populo in veteri testamento, dies, inquam, Pentecostes, hoc est quinquagesimus a liberatione Israëlitici Populi ex Ægypto. Hoc etiàm die a Domino data fuit Lex populo. Quòd si Populus ille diem hunc tam solemniter recolebat, multò certè majori de causa eum celebrat Christianorum Ecclesia; nam plenius ipsa a Domino beneficium recepit, quàm Synagoga; cùm illa tunc legem scriptam in tabulis lapideis, sed imperfectam, quæ tantùm quid agendum, quidque esset vitandum, ostendebat, quin ullas ad hoc vires adderet, perceperit; nos verò legem *non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus scriptam* (*c*) a Domino acceperimus, quæ etiam multò perfectiùs, ad quid faciendum teneamur, quidque agere prohibeamur, declarat, viresque maximas confert. Accepimus, inquam, hoc die (quia cùm acceperint Patres nostri Apostoli, non sibi ipsis solis, sed èt nobis acceperunt) Spiritum Sanctum, lumine suo corda nostra illustrantem, & robur simul præbentem ad ea omnia opere complenda. Ne verò Populus ille coram Domino reputaretur ingratus, in memoriam beneficiorum, & præsertim quod in terram Promissionis fuisset introductus, primitias frugum terræ, & fructuum omnium Deo per manum Sacerdotis offerebat, eidem dicens: *Profiteor hodie coram Domi-*

(*a*) Instituta fuit Oblatio ista a Joanne Galeatio Vicecomite, I. Mediolani Duce, ac conditore Templi Maximi hujus Metropolis, ut eleemosynis, ex qualibet Urbis regione collectis, immane illud ædificium perficeretur; proinde Incolæ cujuslibet Portæ seu Regionis, designato ipsis tempore, ad Ecclesiam Majorem accedunt illas oblaturi. Sed cùm decurrentibus annis in profanum spectaculum abiisset hòc Christianæ pietatis opus, Sanctus Carolus in Synodo II. Diœcesana, decreto XXI. statuit, „ ut quæ eleemosyna ab unaquaque Urbis Regione, in singulas Portas distributa, Fabricæ nomine ipsi Templo contribui solet, ea „ non pomeridiano tempore, non sub vesperum, sed mane, omni animi religione, „ & mente supplici fiat „: pluraque alia præscripsit, quæ hominum mentibus non rerum humanarum voluptatem, sed divinarum cultum injicerent.

(*b*) Ritus & Cæremonias, quibus in veteri Testamento celebrabatur a Judæis dies Pentecostes, sicuti etiam eas quas adhibent Hebræi nostræ ætatis ob receptam a Deo Legem in Monte Sinai post quinquaginta dies ab exitu de Ægypto, ex variis Scriptoribus collegit Augustinus Calmet, easque refert *in suo Biblico Dictionario*, sub verbo *Pentecostes*.

(*c*) *II. ad Corinth. III. v. 3.*

Domino Deo tuo, quòd ingressus sum in terram, pro qua juravit Patribus nostris, ut daret eam nobis (*a*). Quàm igitur ex corde, ne vinci patiamur a grato Judæorum animo, debebit hodie Mediolanensis Populus de substantiis suis aliquid Domino Deo per manum Sacerdotis tamquam vectigal tribuere!

Sed quid tribuemus Deo, qui *bonorum nostrorum non eget* (*b*)? Conferet hoc certè, quidquid offeretis, ad perficiendum & exornandum sacrosanctum hoc Templum, in quo ille colitur: Erit saltem indicium grati obsequii, animique ad ejus cultum propensi; aspicit namque Dominus ad munera quidem Abelis, sed ad ipsum Abel prius respexit (*c*), hoc est ea, quæ cultui suo promovendo offeruntur, non tam in se ipsis æstimat, quàm in offerentium corde & affectu. O si videre liceret, quàm pia dilectione majores nostri Templum hoc inchoaverint, quo spiritus ardore eorum plurimi substantias omnes suas, & opes huic augustissimæ Sacræ Ædi offerrent, quàmque hilares huc accurrerent, & vilissima quæque officia, propriæ nobilitatis obliti, præstarent, calcem & lapides propriis humeris gestantes, ac fabris ministrantes (*d*); qui fieri posset, ut non difflueremus in lacrymas, animadvertentes, quantum in nobis refriguerit caritas? Oremus ergo Spiritum Dei fortem, qui illos ita inflammaverat, ut nos quoque incendat, & languorem omnem ac frigiditatem a nobis expellat, efficiatque, ut in exterioribus nostris operibus ceteri quoque hominum videant, quòd ipse in nobis resideat.]

Postquam Spiritus Sanctus Apostolos Domini hodierno die se ipso donavit, quales, obsecro, in illis Mundus omnis vidit & admiratus est felicissimos fructus; qualem fortitudinem; qualia indicia ac manifestissima recepti Spiritus Sancti testimonia! Unum Petrum intueamur: Negaverat ille paulo antea Dominum suum, nec una tantùm, sed terna vice; non simpliciter, sed cum juramento & anathemate; nec impulsus aut gravi metu agitatus, sed ad vilissimæ mulierculæ vocem. Hodie recepto Spi-

(*a*) *Deuter. XXVI. v.* 3.
(*b*) *Psalm. XV. v.* 2.
(*c*) *Genes. IV. v.* 4.
(*d*) In Archivo XII. quos vocant *Provisionum* extat documentum, anno MCCCLXXXVII. scriptum, ad conservandam memoriam summæ alacritatis Civium Mediolanensium, qua jaciendis Templi Maximi fundamentis, auctore tam pii & excelsi operis Joanne Galeatio Vicomite Mediolani Domino, ac postmodum Duce I., opem præstitere. Narratur enim ibidem pag. X., nobiles Fœminas ornamenta omnia sui muliebris Mundi, torques, inaures, & annulos aureos liberali manu obtulisse; quinimo Principem ipsum cum Aulicis suis, Matronis, Equitibus, atque Artificibus, nullâ sexus aut ætatis habitâ ratione, incubuisse ad effodiendam terram, &, quidquid ad instruendam Cœmentariis materiam excelsæ illius molis opus erat, propriis humeris asportandum.

ritu Sancto non amplius Petrus est homo ille perjurus, timidus, imbecillis, sed *mutavit fortitudinem* (*a*), factus est intrepidus; liberè & publicè quem negaverat confitetur; non modò mulieris verba non extimescit, sed etiam Principum præcepta ac comminationes irridet, apertissimè enuncians, quia *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus* (*b*). O felices animas illas, quas intrat Spiritus Sanctus, quæ Sanctissima Sacramenta frequentare instituunt! Qualis in illis cernitur morum diversitas, quanta tranquillitas, unanimitas, atque concordia, quanta pax & æmulatio in sanctis operibus, quale gaudium! Non potuere Apostoli tantam Sanctissimi Spiritûs redundantiam intra se continere; sed statim eam in ceteros effundere, prædicatione & verbo coacti sunt; neque enim tantus ignis in hominum cordibus latère poterat, quin se se exereret. Ubi, obsecro, filii, præter cetera (multa enim horæ tarditas me jubet præterire) animadvertite, quàm diversimode a vario hominum genere ille in Apostolos Spiritus Sancti illapsus, & caritatis flamma acciperetur: Aliqui enim, audientes eos *loquentes magnalia Dei*, & *in linguis*, quas didicerant, *stupebant admirantes* quidnam hoc esset (*c*). Alii verò nequam homines & obstinati, hinc potius ipsi Spiritui detrahendi occasionem sumebant, & Apostolos *musto plenos* ac ebrios vocabant (*d*). O infelicissimæ creaturæ! Utinam tales homines nostra hac misera tempestate non reperirentur! Utinam similes multos etiam nunc Dæmon non haberet, qui mulierem aliquam videntes priscis pompis & vanitatibus ex corde valedicentem, peccatorem aliquem verè contritum ac compunctum animadvertentes; eos statim hypocritas aut simulatores appellare non dubitant, cùm potiùs divinæ dexteræ virtutem admirari debuissent, & ipsi quoque, hoc veluti stimulo, ad eos imitandum impelli!

Sed non sic illi, qui Petri prædicatione commoti, atque *compuncti corde* dixerunt: *Quid* ergo *faciemus* (*e*)? Utinam tales hodie, loquente ipsomet Domino per indignissimum os meum, sint multi, qui verè statuant religiosa animi submissione, & cordis ore, Domino dicere: *Quid* ergo *faciemus?* qui tantam Dei liberalitatem ac benignitatem in Filio suo pro nobis tradito, ac sanctissimo demum misso Spiritu, animo revolventes, idem repetant:

(*a*) *Isaiæ XL. v.* 31.
(*b*) *Act. Apost. V. v.* 29.
(*c*) *Ibidem II. v.* 7.
(*d*) *Ibidem v.* 13.
(*e*) *Ibidem v.* 37.

petant: *Quid ergo faciemus?* quid condignum retribuemus? Audite quid ſitis facturi. Hodie renovavit Spiritus Sanctus Orbem terrarum (*a*): Renovamini èt vos, purificamini, abluimini, ſicut tria illa hominum millia ad Petri vocem ſalutari ſunt Baptiſmatis Sacramento regenerata (*b*). Baptizamini èt vos Baptiſmo Pœnitentiæ. Admiramini in illis immenſam vim Spiritus Domini, quam pulchrè in Sacris Literis adumbratam animadvertimus, cùm Moyſi Dominus dixit, quòd poſt tranſitum ipſius, ejus eſſet poſteriora viſurus (*c*). Ecce hæc tria millia hominum, quos hodie Petrus ad Fidem convertit, Chriſti Domini noſtri poſteriora fuerunt. Permanſerat in terris tot annos Dei Filius, prædicaverat, tot miracula ediderat; & tamen tam pauci ex Judæis in ipſum credidere. Receſſit ab hominum oculis idem Dei Filius; & videte, quot millia hominum unico Sermone commota Evangelio ſe ſubdiderunt.

Eja igitur, animæ benedictæ, ſpiritu colite hoc ſanctiſſimi Spiritus Feſtum. Quo autem ſpiritu? hoc videlicet: eum rogantes, ut auferat ab oculis veſtris ignorantiæ tenebras, & quando non eſt dedignatus carnem noſtram inhabitare (facti enim ſumus templa, & tabernacula Spiritus Sancti), det nobis etiam ſanctiſſimam ipſius agnoſcere voluntatem, ut videamus, quid nos facere oporteat, ne tantæ ſimus caritatis immemores. Amen.



(*a*) *Pſalm. CIII. v.* 30.
(*b*) *Act. Apoſt. II. v.* 41.
(*c*) *Exodi XXXIII. v.* 22. & 23.

HOMILIA CXVII.

IN SOLEMNITATE

PENTECOSTES

Habita in Basilica Metropolitana a prandio

ANNO MDCXXXIV. XX. MAJI.



ATER mi, Pater mi, currus Israël, & Auriga ejus (*a*). Verba sunt hæc, dilectissimi filii, affectu pietatis plenissima, in quæ magnus ille servus Dei Eliseus prorupit, cùm videret in altum elevari inclytum Prophetam Eliam, seque adeo expetita & cara ejusdem societate ac præsentia privari: *Pater mi, Pater mi, currus Israël, & Auriga ejus*, qui populum Israëliticum & portare solebas, & ducere atque dirigere: Heu, quò te ascendentem animadverto! & cùm te sequi non possim, a tuis colloquiis suavissimis, jucundissimaque vivendi ratione separari compellor. Crediderim ego, eodem pariter animi sensu, verba hæc prolata fuisse ab universo illo sacrosancto Apostolico Cœtu, quo die dulcissimum Magistrum suum, Patrem, & Dominum, in Cœlum virtute propria conscendentem conspiciebant, mœrentes ac lacrymantes, suspiriis & ejulatibus vocem abrumpentes: *Pater noster, Pater noster, currus Israël, & Auriga ejus:* O Pater, Deus, Magister, o Medice, Doctor, Præceptor, o Via, Veritas, Vita, quò relictis nobis, proficisceris? Verùm jam toties piis hisce Discipulorum suorum querelis satisfecerat, atque responderat Dominus Jesus benignissimis iis verbis: *Non relinquam vos orphanos* (*b*). *Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos* (*c*). *Vado parare vobis locum* (*d*). *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum* (*e*): Licèt a vobis recedam, mittam tamen ad vos auxilia

(*a*) *IV. Regum II. v.* 12.
(*b*) *Joann. XIV. v.* 18.
(*c*) *Ibid. XVI. v.* 7.
(*d*) *Ibid. XIV. v.* 2.
(*e*) *Ibid. XX. v.* 17.

xilia validiſſima, Ducem optimum atque fortiſſimum. Sed quænam ſunt iſthæc auxilia, quis eſt iſte Dux? Ecce hodie mittitur a Patre ſimul & Filio Magiſter, Pater, Currus, Auriga, Protector, Advocatus, Defenſor, omnia denique; Spiritus Sanctus, Sacroſanctis Apoſtolis, & Matri noſtræ cariſſimæ Eccleſiæ Sanctæ dono datus, tantâ cum divitiarum & munerum ſpiritualium copiâ. Æquum igitur eſt, ut etiam hodie tam effuſam hanc Dei in nos liberalitatem conſiderare pergamus, & ab hoc feliciſſimo Apoſtolorum eventu diſcamus, quantæ ſint iſtæ divitiæ, & quibuſnam modis Sanctiſſimus Spiritus Patris & Filii, Deus æternus & immenſus, tertia in Divinis Perſona, bonorum omnium & donorum Auctor, ſe ſe communicare conſueverit, ut inde noſcamus, qua ratione èt nos ejuſdem participes fieri valeamus.

Maximè angebatur animo Eliſeus, & cruciabatur in dilectiſſimi Magiſtri ſui Eliæ diſceſſu, quem ſemper lubens audiverat, & a quo numquam receſſerat, tamdiu eumdem ſequens, quamdiu licuerat. Quàm verò ei in omnibus adhærere optaret, ab ipſoque numquam divelli, audite Scripturam Sacram dicentem: *Factum eſt autem, cùm levare vellet Dominus Eliam per turbinem in Cœlum, ibant Elias, & Eliſeus de Galgalis. Dixitque Elias ad Eliſeum: Sede hîc, quia Dominus miſit me uſque in Bethel. Cui ait Eliſeus: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cùmque deſcendiſſent Bethel, egreſſi ſunt filii Prophetarum, qui erant in Bethel ad Eliſeum, & dixerunt ei: Numquid noſti, quia hodie Dominus tollet Dominum tuum a te? Qui reſpondit: Et ego novi: ſilete. Dixit autem Elias ad Eliſeum: Sede hîc, quia Dominus miſit me in Jericho. Et ille ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cùmque veniſſent Jericho, acceſſerunt filii Prophetarum, qui erant in Jericho, ad Eliſeum, & dixerunt ei: Numquid noſti, quia Dominus hodie tollet Dominum tuum a te? Et ait: Et ego novi: ſilete. Dixit autem ei Elias: Sede hîc, quia Dominus miſit me uſque ad Jordanem. Qui ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambò pariter, & quinquaginta viri de filiis Prophetarum ſecuti ſunt eos, qui & ſteterunt e contra longè: illi autem ambo ſtabant ſuper Jordanem. Tulitque Elias pallium ſuum, & involvit illud, & percuſſit aquas, quæ diviſæ ſunt in utramque partem, & tranſierunt ambo per ſiccum. Cùmque tranſiſſent, Elias dixit ad Eliſeum: Poſtula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar à te. Dixitque Eliſeus: Obſecro, ut fiat in me duplex ſpiri-*

spiritus tuus (*a*). Quid petebat hic, dilectissimi filii, Eliseus, *duplicem spiritum* postulans? Certè, si literæ corticem spectemus, petebat spiritum Prophetiæ, & spiritum miraculorum, quo utroque pollere viderat Magistrum suum Eliam. Præstitit èt ipse utroque eo spiritu; nam & Propheta fuit insignis, & maxima ac stupenda patravit miracula, mortuos etiam in vitam revocando. Aliter tamen ejus petitio potest intelligi; solebant namque tunc temporis filii primogeniti in divisione paternæ hæreditatis, partes duas sortiri, ac duobus aliis filiis æquiparari (*b*): Cùm multos ergo discipulos, ac veluti filios haberet Elias, postulabat Eliseus, se tamquam primogenitum haberi, duas sibi portiones assignari, non terrenæ alicujus hæreditatis, sed maximi illius spiritus, quo plenus erat Elias. Respondit ergo Elias Eliseo: *Rem difficilem postulasti: attamen si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit. Cùmque pergerent, & incedentes sermocinarentur: ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque: & ascendit Elias per turbinem in Cœlum. Eliseus autem videbat*, & ut videre se testificaretur quem gressibus corporis comitari non poterat, clamoribus & piis vocibus associabatur, atque *clamabat: Pater mi, Pater mi: currus Israël, & auriga ejus. Et non vidit eum amplius* (*c*); factusque est Eliseus voti compos, ac quod postulaverat, obtinuit: *Apprehenditque vestimenta sua, & scidit illa in duas partes. Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reversusque stetit super ripam Jordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt divisæ: & dixit: Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussitque aquas, & divisæ sunt huc, atque illuc, & transiit Eliseus* (*d*): *Et requievit spiritus Eliæ super Eliseum* (*e*). Hæc omnia, dilectissimi, præsens nostris oculis exhibent, & ad vivum depingunt hodiernum mysterium. Eliseus enim dolentes de Christi recessu Apostolos, Elias ipsum Christum Dominum, spiritus verò duplex Spiritum Sanctum designat. O qualis est Spiritus hic! Verè duplex, quia ditissimus, ac omnibus affluens gratiis & donis. Felicissimi Apostoli, numquam in posterum futuri pauperes, quia duplicem hunc spiritum verè sortiti sunt! Duplicem quidem, nempe spiritum miraculorum, & spiritum doctrinæ ac prophetiæ; duplicem etiam, quoad primitias ac prælaturam super

(*a*) *IV. Regum II. v.* 1. *& seqq.*
(*b*) *Deuteron. XXI. v.* 17.
(*c*) *IV. Regum II. v.* 10. *& seqq.*
(*d*) *Ibidem v.* 12. *& seqq.*
(*e*) *Ibidem v.* 15.

per ceteros, quibus umquam hic Spiritus fuerit datus, nam excellentiùs ceteris atque copiosiùs eo repleti fuerunt, & veluti primogeniti reliquis omnibus Christifidelibus in tam insignis hæreditatis distributione prælati. Duplicem, quia pro se Spiritum hunc receperunt, & pro universo etiam Mundo, cujus erant futuri Rectores; ad propriam, & aliorum procurandam salutem. Duplicem Spiritum, nam & illuminati fuerunt intellectu, & corde purgati, radicati in Fide, caritate inflammati. Duplicem Spiritum, quo & operum fulserunt pariter, & verborum atque doctrinæ splendore. Duplicem Spiritum, nam caritate repleti fuerunt & in Deum, & in proximos. Duplicem Spiritum, nam tantam sortiti sunt virtutis & efficaciæ abundantiam, ac plenitudinem in operandis signis, & confirmanda miraculis prædicatione sua, ut visus fuerit hac ratione eorum spiritus, duplex Spiritus Christi; licèt enim absque mensura istiusmodi Spiritu repletus fuerit Dei Filius, sibi tamen complacuit, ut Apostoli sui, & alii etiam credentes, miracula plurima facerent, quæ ipse numquam ediderat: Quando enim umquam Christi umbram, sudaria, aut alia exteriora legimus, admiranda gentibus beneficia contulisse, quemadmodum de Petro (*a*), aliisque narratur? Spiritum denique duplicem acceperunt; nam multò plures ipsi verbis suis & sermonibus ad veram Fidem adduxerunt, quàm ipse Dei Filius, *verba vitæ æternæ habens* (*b*), quamdiu inter homines fuerat; sicuti de matutina trium millium hominum conversione (*c*) ad Petri prædicantis vocem audistis. In hoc autem vos errare minimè velim, aut opinari, discipulos ac servos plura potuisse, quàm Magistrum ac Dominum; firmissimum enim in Fide est, quidquid hi omnes umquam peregerunt, non in propria, sed in Christi virtute illos fuisse operatos.

O admirabiles Spiritus hujus divitias! O ineffabilem thesaurum! Quid mirum, si Sacræ Scripturæ, etiam tempore, quo hic Spiritus promittebatur, & etiam antequam tribueretur, usæ sint verbis, figuris, ac typis exprimentibus, & significantibus admirabilem hanc abundantiam? Videte, quid ipsemet Dei Filius de hoc dixerit: *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*d*). Hoc significabant amœnissima flumina, de Paradiso terrestri egredientia,

(*a*) *Act. Apost. V. v.* 15.
(*b*) *Joann. VI. v.* 69.
(*c*) *Act. Apost. II. v.* 41.
(*d*) *Joann. VII. v.* 38. & 39.

tia, & universam terram irrigantia (*a*). Hoc denotabat fluvius ille pulcherrimus *de sede Agni procedens*, in cujus utraque ripa arbores erant, singulis mensibus fructus suos proferentes (*b*). Hic, inquam, Spiritus, a Patre Filioque procedens, fluvius est, *cujus impetus* irrigat, *lætificat*, atque fœcundat utramque *Civitatem Dei* (*c*), nempe hanc, in qua militamus, & illam, in qua cum Christo regnant beati: In hac ripa fructus continuos proferens gratiæ, nobis viatoribus necessarios, & in Patria, veluti alterâ ripâ, suavissimos gloriæ atque æternæ felicitatis, sincerissimæ pacis, firmissimi gaudii, quod numquam erit eis auferendum aut imminuendum; fructus inquam, quales nunc in Cœlo degustant Sanctissimi Apostoli, & electi omnes, qui etiam in via eosdem cùm producerentur prægustarunt. Porro ipsi nobis testificantur, hæc omnia veritati prorsus congruere, hosque fructus huic Sanctissimo Spiritui acceptos referunt, fatentes, quia *sicut audierunt, sic quoque viderunt* (*d*). Hac etiam de causa Prophetæ, dictante Deo, de hoc Spiritu ejusque missione prædicentes, hoc verbo utuntur utplurimum: *Effundam Spiritum meum* (*e*); *effundam aquam mundam* (*f*); effusionis cujusdam, ac admirandæ & largissimæ veluti prodigalitatis nomine hodiernum exprimentes mysterium. Sic Joël, cujus dicto usus est Apostolorum Princeps Petrus, inquit: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem* (*g*). Videbatur enim prius quodammodo coarctari manus Domini; populum enim quemdam sibi peculiarem elegerat, cui secreta sua communicabat, cui voluntatem suam aperiebat, quem præcipuis cumulabat muneribus; sed nunc *effudit Spiritum suum super omnem carnem*. Nulla Regio, nulla Natio, nullus Populus ab hoc Spiritu, ab his donis, ab his excluditur muneribus. Sed quid plura? *Spiritus Domini* (canit Sancta Mater Ecclesia) *replevit Orbem terrarum*. Omnes complectitur, ei locum dare volentes, nullum sibi occurrentem refugit, omnibus eum optantibns se se communicat. O amplissima promissio *effundendi Spiritum super omnem carnem!* Audi peccator, qui *caro* es, qui caro hactenus extitisti; adhuc tempus est, si velis, ut implearis Spiritu Sancto; nam *super omnem carnem effunditur*. O caro, & quî poteris jam

(*a*) *Genes. II. v.* 10. *& seqq.*
(*b*) *Apocalyps. XXII. v.* 1. *& seq.*
(*c*) *Psalm. XLV. v.* 5.
(*d*) *Psalm. XLVII. v. 9.*
(*e*) *Isaiæ XLIV. v.* 3., *& Joël. II. v.*28.
(*f*) *Ezechiel. XXXVI. v.* 25.
(*g*) *Joël. II. v.* 28.

jam amplius esse caro? Quomodo caro esse non desines, & spiritus fies? Quomodo naturam tuam Spiritus non convertet in suam? Est Spiritus multò te fortior, & vehementior; ideoque in igneis etiam linguis apparet; ignis enim omnia, etiam ipsam aquam in se valet convertere. Eris-ne adhuc caro, peccator miserrime; adhuc totus carni immergêris; nihil nisi carneum senties, aut cogitabis! Cave, cave, quia caro hæc præcipuum est obstaculum, & impedimentum Spiritus Sancti; nil enim *Spiritui* magis *adversatur*, quàm *caro*, *quæ concupiscit* semper *adversùs Spiritum*, *& Spiritus adversùs carnem* (*a*). Quid in omne genus humanum, olim Deum irritavit, nisi caro hæc? *Non permanebit*, inquit Dominus, *Spiritus meus in homine in æternum*, *quia caro est* (*b*). Præterea, quia *omnis caro corruperat viam suam* (*c*), & carnem omnes homines sequebantur, universali diluvio delendam etiam omnem carnem, tunc statuit Dominus. Agnosce o caro, quia opus est, ut aliquo igne consumaris, quamvis te fortè Spiritus terreat, in ignis hodie figura apparens: Aut enim, ubi caro esse perseveraveris, Inferni ignis te devorabit, prout quinque illas carnales civitates, ignis de Cœlo cadens exarsit (*d*); aut, si in Spiritum fueris conversa, cœlesti ac Divino isto igne purgaberis, & in nobiliorem ac multò perfectiorem naturam transformaberis.

Fugite filii, carnem hanc, & omnes ipsius leges ac illecebras; *prudentia enim carnis mors est* (*e*), & inter ceteras optimas præparationes ad recipiendum Spiritum Sanctum hæc una inter præcipuas numeratur, carni suæ frænum injicere, eam cohibere, ejusque affectus ac sensus deprimere. Adversatur quidem huic Divino Spiritui etiam Mundus, dicente Dei Filio: *Ego rogabo Patrem*, *& alium Paraclitum dabit vobis*, *ut maneat vobiscum in æternum*, *Spiritum veritatis*, *quem Mundus non potest accipere*, *quia non videt eum*, *nec scit eum* (*f*). Sed quid mirum, si Spiritum Sanctum semper odit Mundus, nam èt ipsum Dei Filium, a quo missus est Spiritus, advenientem *in propria* non cognovit, neque *recepit* (*g*), imo ad mortem usque est persecutus?

Verè nunc, o Deus æterne, necessarius est Spiritus tuus ad pellendum foras, & ejiciendum spiritum Mundi. Quis enim

(*a*) *Ad Galat. V. v.* 17.
(*b*) *Genes. VI. v.* 3.
(*c*) *Ibid. v.* 12.
(*d*) *Ibid. XIX. v.* 24. *&* 25.
(*e*) *Ad Roman. VIII. v.* 6.
(*f*) *Joann. XIV. v.* 16. *&* 17.
(*g*) *Ibid. I. v.* 11.

non videt, quàm magnam hominum partem ſpiritus hic maledictus invaſerit? Quàm multa ejus apertiſſima ſigna, & teſtimonia ubique conſpiciuntur! Quid enim ſibi volunt vanæ pompæ, & fucati colores in mulieribus; tot odia, vindictæ, detractiones & murmurationes; tot illiciti contractus, extorſiones, & pauperum oppreſſiones; tot in iis etiam, qui Spiritum Sanctum alioquin non oderunt, imo eo repleri maximè cupiunt, tot, inquam, mundani reſpectus! dum abſcedit ille a Sacramentis frequenter ſuſcipiendis, a viſitandis Eccleſiis, a docenda Chriſtiana Doctrina, a piis operibus, ne digito oſtendatur ab aliis; quid ſocii ejus dicturi ſint, cogitans magis, quàm quid Deo placeat, ſive diſpliceat. Heu! quia omnia hæc dilucidè manifeſtant, abundare ubique ſpiritum Mundi; non adeſſe in nobis Spiritum Sanctum. *Factus eſt* hodie *repente de Cœlo ſonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis* (*a*): Tu autem, homo, totus vis a terra, a carne, a mundo pendere? Eligis potiùs, futiles Mundi nugas & voculas audire, quàm magnum hunc ſonitum ac ſtrepitum, cum quo deſcendit Spiritus Domini? Maxima profectò Spiritui Sancto infertur injuria. Te ergo, Domine Jeſu Chriſte, qui ad hoc in Cœlos aſcendiſti, ut Spiritum Paraclitum Apoſtolis mitteres; te, inquam, ſupplices nos etiam rogamus: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ* (*b*). Miſiſti tu quidem tunc illum, qui primo ſuo adventu, eo ipſo die, quo ſuper Apoſtolos ſedit, tam multos ex omnibus Regnis & Provinciis homines *creavit, & renovavit:* Audierunt enim Sanctos Apoſtolos tuos *Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenen, & advenæ Romani. Judæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes* (*c*): Has omnes, inquam, Provincias per Apoſtolos Sanctos Spiritus tuus *renovavit*, imo *creavit*. Annon enim novæ creaturæ ſunt factæ, cùm a ſtatuarum, lapidum, aſtrorum, atque idolorum cultu, ad veri Dei agnitionem atque obſequium ſunt translatæ? Annon creaturæ novæ ſunt factæ, quando, infidelitate relicta, Chriſtum Dei Filium, ore & corde confeſſæ ſunt? Certè ſi creationis terminus *a quo* eſt nihil, & *ad quem* eſt Creatura, ideoque maximum opus, & Dei ſolius eſt creare, quod eſt ex nihilo

(*a*) *Act. Apoſt. II. v. 2.*
(*b*) *Pſalm. CIII. v. 30.*
(*c*) *Act. Apoſt. II. v. 9. & ſeqq.*

nihilo aliquid facere; hæc nobilissima, & maxima fuit creatio; magis enim distabat a justitia & Fide ac vera Religione, Idololatria infidelitas atque peccatum, quàm nihil a creatura. Sed (proh dolor!) o Domine Jesu, ubi jam sunt creaturæ illæ tuæ? ubi Spiritus Sancti primitiæ? ubi qui primùm Apostolos audierunt, iisque fidem præstitere? ubi nationes demum illæ, quas jam memoravimus? Heu! ne vestigium quidem ullum, aut memoria tot donorum, tam miræ creationis ac renovationis in ipsis agnoscitur. Perierunt creaturæ tuæ, extinctæ sunt, invasit eas perpetuus hostis tuus Diabolus: *Venerunt gentes in hæreditatem tuam* (*a*). Dominantur eis Turcæ, nominis tui inimici acerrimi; nec Christi, Evangelii, aut Spiritus Sancti, nec Crucis, aut Sacramentorum ullus jam viget apud ipsos usus, sive cognitio. Nos pauci residui sumus; sed heu! Inter nos etiam jam audistis, quantam sibi partem Caro & Mundus vindicaverint. Numquid hoc honoris est tui, ut nusquam sis notus, nusquam receptus, nusquam dominetur & vigeat Spiritus tuus? *Emitte*, emitte, obsecro, *Spiritum tuum*, ut denuò *creentur*, qui jam non sunt, quia tui esse desierunt; & *renovemur* omnes, qui jam obsolevimus, atque rejecto vetustatis errore, *veterem hominem exuentes*, *novum induamus* (*b*), ac nova in te creatura efficiamur.

SECUNDA PARS.

[Die crastino, a prandio ad Xenodochium Sancti Gregorii extra Portam Orientalem, more solito, solemniter procedemus (*c*). Locus ille est, in quem, pestis tempore, infecti conveniunt & degunt, donec convalescant; illic plurima eorum corpora, qui ferali morbo absumpti fuere, jacent sepulta. Hoc unum vos obsecro, eò ne accedatis, desiderio allecti, ut videamini,

(*a*) *Psalm. LXXVIII. v. 1.*
(*b*) *Ad Colosf. III. v. 9. & 10.*
(*c*) Admirandam eam solicitudinem, quam paterna Sancti Caroli caritas erga Cives Mediolanenses peste laborantes adhibuit, etiam erga defunctos exercuit: Siquidem Supplicationem annuam instituit, statim ae redditus fuit huic Metropoli salubrior aër, qua Clerus uterque Feria II. post Pentecostem procedit ad Sacram Ædem Sancto Gregorio dicatam in meditullio vastæ areæ, protensæ in magnifico regioque ædificio, quod nos *Lazzaretum* appellamus, ut ibidem, atque in proximo Cœmeterio, pro ereptis peste Civibus illic sepultis, religiosas ad Deum preces effundat. Legitur in Actis Mediolanensis Ecclesiæ Parte IV. Pastoralis Epistola Sancti nostri Antistitis, data die XXVI. Maji MDLXXXIII., in qua Populum hortatur, ut effusam pecuniarum stipem largiatur, ad Sacellum perficiendum, murumque condendum, quo ipse Cœmeterium memoratum sepire meditabatur, ne animalium incursu, aut immunditie aliqua locus ille deturparetur.

mini, aut alios aſpiciatis; ſed ſolo Spiritu Dei repleti, ut Deum audiatis, ibidem multa vos, ſi attenderitis, docentem. Sicut enim Prophetam olim miſit *ad domum figuli* (*a*), hoc eſt artificis, terrea vaſa confingentis; ita vos ibi manifeſtè erudiet, quia de terra eſtis, in terram reverſuri. Videbitis, quis ſit humanæ ſuperbiæ finis; reminiſcemini, quibus flagellis quandoque effrænes & pertinaces filios punire conſueverit, ac vos aliquando puniverit Dominus. Si Spiritum Sanctum hodie cum Apoſtolis receperitis, non dubito, quin maximos ſitis ex ſola etiam loci illius inſpectione fructus percepturi.]

Adeò liberalis eſt, dilectiſſimi, Deus in diſtribuendo Spiritu Sancto, tamque paratus ex parte ſuî ad eo vos donandos, imo etiam ad eumdem effundendum ſuper omnes homines, ut ardeat deſiderio eum nobis impartiendi; quamobrem multis nos & ſuis, & Prophetarum, atque ſervorum ſuorum vocibus ad poſtulandum hoc donum invitat, cupiens nos replere, ſicuti *replevit* hodie *totam domum* (*b*). Sumus èt nos (ſingulari Dei beneficio) in domo hac, nempe Sanctæ Matris Eccleſiæ, filii. Quis ergo non quærat, ac ſtudeat repleri hodie Spiritu hoc duplici? Spiritu, inquam, qui juſtificat atque ſanctificat, & inſuper juſtitiæ ac ſanctitatis præbet incrementa. Videamus ergo breviter, & perpendamus, quibus modis ac mediis communicetur hic Spiritus. Porro variæ ipſius manifeſtationes & apparitiones, quæ in ſacris Literis continentur, hoc docent: Docuit primum medium Elias, qui cùm Spiritum ſuum petenti Eliſeo reſpondiſſet: *Rem difficilem poſtulaſti* (*c*) [magna enim res, inæſtimabilis theſaurus eſt Spiritus Dei, Deus ipſe infinitus & incomprehenſibilis] tum ſubjecit: *Si videris me, quando tollar a te, erit tibi, quod petiſti: ſi autem non videris, non erit* (*d*). Sic èt de Apoſtolis dicitur, quòd *videntibus illis elevatus eſt* Dominus Jeſus in Cœlum (*e*). Oculos igitur in Chriſtum conjectos ſemper retinere, ab eo numquam animum divertere, ſacroſancta ejuſdem myſteria continuò meditari, primus eſt modus recipiendi gratiam Spiritus Sancti, & divinum hunc ignem in nobis accendendi. In Chriſti Domini Paſſionis ac mortis pia conſideratione defigi, oh quàm efficax eſt medium, ut divinum hunc Hoſpitem corde excipiamus! *In meditatione mea* (inquit Propheta) *exardeſcet ignis* (*f*). Inexcuſabiles

(*a*) *Jerem. XVIII. v.* 2.
(*b*) *Act. Apoſt. II. v.* 2.
(*c*) *IV. Regum II. v.* 10.
(*d*) *Ibidem.*
(*e*) *Act. Apoſt. I. v.* 9.
(*f*) *Pſalm. XXXVIII. v.* 4.

ſabiles profectò eritis, filii, ſi in vos non illabatur Spiritus Sanctus; quot enim media & adjumenta ad hoc vobis ſunt a Domino præſtita? Quid exercitatio illa continua in Eccleſia Sancti Sepulcri, ubi per hebdomadam bis de Chriſti Domini myſteriis diſſeritur? Quid tot Oratoria, quid tot conciones, quæ feriis ſextis, præſertim manè & ſerò, de Paſſione Domini fiunt? quid, inquam, hæc omnia docent, niſi Chriſtum videre, ac proinde Spiritum Sanctum promereri? Levate, filii, in altum oculos veſtros; intuemini ſacratiſſimum illum Clavum, qui beatiſſimos Salvatoris noſtri pedes, aut manus confixit; in illum oculos conjicite, & licèt ſaxis ac lapidibus duriores ſitis, ſperate tamen, quia ſi ferrum illud corda veſtra percuſſerit, excutiet mox cœleſtem hunc ignem Spiritus Sancti. Ecce ergo, quàm facilis eſt primus modus.

Recolamus alias hujus Sancti Spiritus manifeſtationes. Bis ſuper Dominum Jeſum apparuit; in Baptiſmo ſemel, & aliàs in Transfiguratione: In Baptiſmo, cùm Dei Filius ſuo contactu aquas ſanctificavit, quæ poſtmodum Sacri Fontis uſibus inſervirent, Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie apparuit (*a*), docens tunc Baptiſmi effectus, ac inter alios, quòd in Baptiſmo Spiritum Sanctum conſequeremur. Hoc idem expreſſit Dominus noſter, in Apoſtolos *inſufflans*, eiſque impertiens poteſtatem, animas ligandi atque ſolvendi, peccata remittendi ac retinendi, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum* (*b*); nempe quia in Pœnitentia, in Baptiſmo, in Sacramentis omnibus confertur Spiritus Sanctus, & inter cetera in Confirmatione, quam ſingulis per hanc hebdomadam diebus, in diverſis Eccleſiis miniſtrabimus: per hanc enim pro cujuslibet captu in animas deſcendit idem Spiritus Sanctus, quo hodie tam excellenter repleti ſunt Apoſtoli; & juxta menſuram ſuam homines ita præmuniuntur ad gratiam receptam conſervandam, ſicut Apoſtoli hodie in eadem confirmati fuere: Quamvis hi, ùt diximus, excellentius donum receperint, cùm ampliùs lethali peccato infici non potuerint, eò quòd novo quodam ac mirabiliori modo Spiritus Sanctus ſe in eoſdem effuderit. Felices & benedictæ animæ illæ, quæ non tam ore quàm operibus docent, quàm firmiter profiteantur, per Sacramenta Sanctiſſima Spiritum Sanctum in nos deſcendere; cùm neque propter apothecas, aut reliqua Mundi invitamenta vel dicteria a frequenti Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuſceptione deſiſtant! Mani-

(*a*) *Matth. III. v. 16.* | (*b*) *Joann. XX. v. 22.*

Manifeſtavit ſe iterum Spiritus Sanctus ſuper Dominum Jeſum in Transfiguratione ſub ſpecie *nubis lucidæ*, cum voce illa cœlitus miſſa: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite* (*a*); qua voce Filium ſuum Deus magiſtrum noſtrum, ac a nobis audiendum eſſe declaravit; Spiritus enim Sanctus prædicatione in primis Evangelii, ac verbi ipſius Dei communicatur, *nube* inquam hac *lucida* ſacræ doctrinæ. Sic èt Petro prædicante deſcendit quandoque ſuper audientes Spiritus Sanctus (*b*); eàdem quoque de cauſa apparuit hodie in linguis igneis. O quàm miſeri & deplorandi ſunt ii, qui ob negligentiam audiendi divini Verbi, participatione Spiritus Sancti, ac tot tantique momenti fructibus ſe ipſos privant! qui ſi diebus Feſtis ad ſacras conciones invitentur, excuſationem in promptu habent, quòd defatigati ſunt & laſſi, per totam hebdomadam laborantes; ideoque iis diebus eſſe ſibi quieſcendum, otiandum, & voluptatibus diffluendum. O infelices! Inſtituti ſunt dies Feſti, ut inebrientur homines & impleantur Spiritu Dei; & vos negligitis tam potens & efficax medium? Imo prætextus & cauſas quæritis, quibus verbum Dei refugiatis; nec ad illud acceditis, niſi aut Concionatoris facundia & ornatu, aut ejus doctrina & eloquentia alliciamini? Magna profectò culpa hæc eſt; imo evidens ſignum, quòd qui ita agunt, non Deum aut Dei verbum, ſed hominem aut dicendi ornatum & aurium oblectamentum tantummodo perquirunt. Hujuſmodi homines Dei verbum in muſicam convertunt, nec aliter eo delectantur, quàm canentium vocibus; de quibus meritò apud Ezechielem conqueritur Dominus: *Et tu fili hominis: filii populi tui, qui loquuntur de te juxta muros, & in oſtiis domorum, & dicunt unus ad alterum, vir ad proximum ſuum loquentes: Venite, & audiamus quis ſit ſermo egrediens a Domino. Et veniunt ad te, quaſi ſi ingrediatur Populus, & ſedent coram te populus meus: & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris ſui vertunt illos, & avaritiam ſuam ſequitur cor eorum* (*c*). Hoc enim proprium illorum eſt, ut aure tenus delibuta Concionatorum verba excipiant: quæ verò prædicant, numquam exequantur. Quin potiùs, dilectiſſimi filii, Dei verbum, a quocumque (legitimo tamen) ejus miniſtro vobis annunciatum, propter ſe ipſum tantùm attendite. Audite illud, ùt verè eſt, tamquam Dei verbum, licèt ſit alterius ore prolatum, ut deſcendat ſuper vos Spiritus Sanctus.

Aliud

(*a*) *Matth. XVII. v. 5.* | (*b*) *Act. Apoſt. IV. v. 8. & 31.* | (*c*) *Ezech. XXXIII. v. 30. & 31.*

Aliud medium recipiendi hunc Spiritum Domini, eſt eumdem petere: *Omnis enim, qui petit, accipit* (*a*). O quàm facile eſt igitur, tot theſauris ditari, quando eos in manu noſtra Dominus poſuit! Et quis hoc audeat negare, cùm idem ipſe Dei Filius, a quo Spiritus iſte procedit, & qui eum hodie in Apoſtolos miſit, hoc largiſſimè promiſerit: imo etiam hominum exemplo quaſi ratiocinans demonſtraverit, inquiens: *Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter de Cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe* (*b*)? O dilectiſſimi, nimis vult Deus, nimis ardenter deſiderat, ſua in nos dona profundere; eſt enim ſummè bonus, adeoque ad ſe ipſum communicandum ſummopere pronus. Bone Deus, quàm ſuavibus ac dulcibus nos verbis obſecras, rogas, invitas, ut ad Spiritum tuum accipiendum diſponamur! Tam magnæ ſunt iſtæ divitiæ, tam inæſtimabiles theſauri, ut noſtrum eſſet eos emendicare; & tu nos rogas, & invitas? quaſi non de noſtro, ſed de tuo (qui nullius eges) commodo ageretur aut emolumento. Quid, inquam, filii, tantæ bonitati reddemus? Heu, *quia pauperes facti ſumus nimis* (*c*)! nihil habemus condignum. Offeramus ei nos ſaltem faciles & paratos divinæ ejus obſequi voluntati, & quidquid ipſe præcipit, adimplere. Dicamus ſaltem ex corde cum Turbis hodie audientibus Petrum: *Quid faciemus* (*d*)? cum Paulo: *Domine, quid me vis facere* (*e*)? Scitis, quid vult Deus, filii? Adnotate diligenter, & cordibus veſtris inſculpite. Audite ipſummet; doceat ipſe quid velit. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terras*; hic omnium operum & myſteriorum fuit finis & ſcopus; aperui hodie Cœlos, & plui igneas linguas, replevi Apoſtolos meos, *replevi totam domum* (*f*), *replevi orbem terrarum* (*g*). *Et quid volo, niſi ut* ignis hic *accendatur* (*h*)? niſi ut omnia pervadat, omnia comburat, omnia in ſe convertat atque transformet? Accende tu benigniſſime Jeſu in cordibus noſtris ignem hunc ſanctiſſimum, & cetera omnia adjicientur; ſic enim omnis Mundi & carnis amor exſiccabitur atque tolletur; in te toti rapiemur; fiet caro noſtra ſpiritus, & nos toti in te immutabimur. *Ure igne Sancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine, ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus, qui cum Patre in unitate ejuſdem Sancti Spiritus vivis, & regnas in ſecula ſeculorum* (*i*). *Amen*.

HO-

(*a*) *Lucæ XI. v.* 10.
(*b*) *Ibidem v.* 13.
(*c*) *Pſal. LXXVIII. v.* 8.
(*d*) *Act. Apoſt. II. v.* 37.
(*e*) *Ibidem IX. v.* 6.
(*f*) *Ibidem II. v.* 2.
(*g*) *Sapient. I. v.* 7.
(*h*) *Lucæ XII. v.* 49.
(*i*) Hac oratione utitur Eccleſia Romana in Collectione diverſarum precum, quæ adjuncta eſt Officio parvo Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

HOMILIA CXVIII.

IN EVANGELIUM MARCI
CAP. XVI.

Habita in Templo Maximo Mediolani
Dominica I. post Pentecostem

Anno mdlxxxiv. xxvii. Maji.



Ot sacrosancta Christi Domini Salvatoris nostri mysteria, unà cum beata Matre nostra Catholica Ecclesia celebravimus, dilectissimi filii, ipsius Incarnationem, Nativitatem, Circumcisionem, labores, prædicationes, Passionem, mortem, a mortuis Resurrectionem, in Cœlos Ascensionem, ac demum ipsorum omnium veluti sigillum, Spiritus Sancti in beatos Fidelium primogenitos, Pastores & Patres missionem; ut meritò possit nobis Dominus Deus, quod olim populo suo, improperare & dicere: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei* (*a*)*?* Hac autem tot donorum memoriâ in nobis permanente, quanam ratione fieri poterit, ut aliqui adhuc reperiantur ingrati, & pro iisdem nihilo minus, quàm montes durissimi aut prærupti scopuli in mediis fluctibus constituti, commoveantur? Quomodo, inquam, possibile quispiam esse affirmet, ut tot validissimis mediis, acutissimis stimulis, ac manifestissimis dilectionis indiciis ullus adeo pervicax sit, qui se excitari ac flecti non sinat; qui ineffabili misericordia ac divinis muneribus abutatur; qui ex tanta segete fructus nullos percipiat? Et tamen (proh dolor!) utinam hujusmodi plurimos Mundus adhuc non numeraret! Hac prorsus de causa, licèt liberalissimus ille Paterfamilias lautissimum prandium parasset, vitulos saginatos mactasset, tauros occidisset, altilia & omnium generum epulas disposuis-

(*a*) *Isaiæ V. v. 4.*

posuisset, omnes ad cibum abunde capiendum invitasset; multi tamen rudes & inurbani homines, tanta liberalitate minimè digni, illius benignitate & humanitate neglecta, ad amplissimum convivium recusarunt accedere (a). Quod si infirmorum adhuc Discipulorum, & in Fide aliquantisper hæsitantium incredulitatem hodie increpat Dei Filius: heu, quantò magis nos, qui in Fide jam sumus confirmati, qui ea quæ credimus, tot rationibus vidimus comprobata, si Fidem operibus non ostenderimus, increpatione digni reputabimur! Audiamus ergo, filii, hodiernam objurgationem, ne, cùm eam audire nil proderit, cogamur audire: & ex hac fructus conemur, quales suggesserit Dominus, elicere.

Congruè admodum & apposité Sancta Ecclesia Ritu nostro hodie proponit Evangelium, quod paulo ante legi audivistis ex Marco, ubi narratur, quòd Dominus *exprobravit* Discipulis suis *duritiem cordis, & incredulitatem: quia his qui viderant eum resurrexisse* a mortuis, *noluerant credere* (b); tum illos mittens ad prædicandum, instruxit pariter, quidnam deberent populos docere, promisitque, eorum prædicationem maximis & evidentissimis signis fore confirmandam (c). Postquam enim Dominus Jesus tam mirabilia peregisset, nil reliquum erat, nisi ut ea in nostrum proventum converterentur. Id autem prædicationis Apostolicæ ministerio fieri debebat, quod illis hodie injungitur, traditis etiam opportunis ad munus suum rite perficiendum præceptis. Licèt verò antequam in Cœlos ascenderet, ista Discipulis suis locutus esset Dominus Jesus; quia tamen omnis horum executio in tempus illud fuit dilata, quo jam fuerant Spiritu Sancto repleti; ideo post sacrosanctam Pentecostes solemnitatem, hæc statim adjiciuntur.

Alia de causa hoc Evangelium hodie proponitur: Ea autem hæc est. Venit Spiritus Sanctus Consolator, a Domino Salvatore nostro toties promissus: Vox ista Consolatoris adeo hominibus grata est, ut, cùm eam audiunt, omnes exultent. Verùm, hoc-ne est solum ipsius Sanctissimi Spiritus officium? Non certè: sed alia supersunt innumera. Est quidem Consolator, & admirabilis, ob hoc etiam missus in Mundum; sed simul est Objurgator. Quòd autem utrumque ei competat, ex Domini voce perci-

(a) *Matth. XXII. v. 4. & seqq.*
(b) *Marc. XVI. v. 14.*
(c) *Ibidem v. 15. & seqq.*

percipitur; de eodem siquidem Spiritu promisit in hæc verba: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis* (*a*): ecce quia Consolator est; (Paraclitus enim Consolatorem significat) & rursum: *Cùm venerit ille, arguet Mundum de peccato, & de justitia, & de judicio* (*b*). Functus est ergo, & continuò fungitur hoc arguendi officio Spiritus Sanctus per Ministros suos; præsertim verò per Sanctos Apostolos. Consolatur bonos, vocibus suis obedientes, & de ipsius gratia fructus emittentes; malos autem & impios rigidè objurgat. Quamobrem hodie post adventum Divini Spiritus, Evangelium hoc proponitur, in quo Christi continetur increpatio, Apostolis suis facta; ut discamus, advenientem Spiritum statim etiam increpare consuevisse quos increpatione dignos invenerit; & quod Dei Filius Apostolis suis fecit, hoc ipsum quoque nobiscum illico peragere.

Incipit ergo statim *arguere* Spiritus *Mundum de peccato* infidelitatis, nempe eos, qui post tam multa & insignia conspecta miracula, post tot auditas prædicationes, post tantam Fidei lucem, & tot experimenta Christi Divinitatis, atque immensæ caritatis, in pristinis tenebris remansere. O infelicissimos homines, o durissima corda, quæ *dilexerunt magis tenebras, quàm lucem* (*c*); errores magis quàm veritatem! Arguit secundò *de justitia*, quòd scilicet eum homines respuissent, qui erat justitia superabundans, & universam implens terram, nec solùm erat justitia, sed Sol justitiæ; imo quòd Christum Dei Filium *in propria venientem* non *recepissent*, sed turpissimè rejecissent. Demum *de judicio*, quod, suggerente Mundi Principe Diabolo, tulerat Mundus de Dei Filio, cùm vitæ Auctorem, reum mortis esse pronunciavit, ac morti tradidit. Sed jam expugnatus est, dilectissimi, maledictus hic mundi Princeps; fortior siquidem ipso supervènit, a quo, cùm illum superasse falsò existimaret, se devictum, debellatum, ac catenis igneis obrutum persensit; ab eo inquam, qui dixit: *Nunc judicium est Mundi: nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras* (*d*): Jam ejus vires sunt imminutæ. Jam non est quòd ultra animum abjiciamus; multò enim plura nos aggredi valemus ad vitam, quàm ille excogitare possit ad mortem; longè majus robur confert Christi gratia, quàm nocere nobis valeant laquei omnes & doli, insidiæ & retia, quibus plenus est Mundus. Fuit certè olim

(*a*) *Joann. XIV. v.* 16.
(*b*) *Ibidem XVI. v.* 8.
(*c*) *Ibidem III. v.* 19.
(*d*) *Ibidem XII. v.* 31.

olim leo fortiſſimus; at nunc redditus eſt viliſſimus culex, qui, ſi velimus, maximo cum pudore a nobis reſilire compellitur. Itaque inexcuſabilis es, o homo Chriſtiane, ſi ſponte ei te ſervum conſtituis; ſi Chriſti aciem deſerens, ad illum confugis.

Receperat antiquus Judaicus populus plurimas prærogativas, & maxima munera; in primis autem Legem. Sed quid ea ſunt, ſi cum beneficiis in nos collatis conferantur, niſi umbræ noſtrorum? Quid Lex illa, niſi pondus grave, quod indicabat tantùm quæ agenda eſſent, quæve fugienda? Hæc eadem tamen, ſed multò clariùs, nobis lex Evangelica ſignificat; inſuper etiam (quod illa non præſtabat) vires addens, ad hæc omnia multò faciliùs executioni demandanda. Si ergo Deus populum illum toties increpavit, flagellis percuſſit, & ſæpius punivit ob eorum *duritiem, & impœnitens cor* (*a*), & de illis ſæpe conqueſtus eſt; heu quantò major Spiritui Sancto ſuppetit cauſa, ut nos Chriſtianos arguat atque reprehendat! O homo, quid moraris? quid adhuc differs recipere Spiritum Sanctum, propter te, & ad te de Cœlo miſſum, cum tanta miſericordia ac donorum ubertate? Quando-nam his omnibus donatus dignos fructus proferes, ſi jam pene æſtus receſſit, & perpetua ac horrida hyems appropinquat; mortis, inquam, tempus, quo ampliùs nemo poterit operari, nec ſpatium dabitur pœnitendi? Saluti-ne tuæ tunc proſpicies, ſi, cùm tempus eſt operandi, otio marceſcis? Quid ampliùs a Deo expectas, poſtquam tibi proprium Filium dedit; Spiritum Sanctum in ducem, magiſtrum, patrem, tutorem, & conſolatorem miſit; Sacramenta demum Sanctiſſima, in regenerationem, in confirmationem virium, in cibum, in medicinam inſtituit?

Si hodie increpavit Apoſtolos ſuos Dominus Jeſus, quando adhuc erant in Fide imbecilles atque infirmi; nos, qui jam credimus, & Fidem noſtram tam multis & manifeſtiſſimis ſignis ac rationibus communitam, tantoque Martyrum ſanguine confirmatam agnovimus, ſi Fidem opere non oſtenderimus, quantò duriùs ab eodem increpari merebimur? Certè *ſervus cognoſcens voluntatem Domini ſui, & non faciens*, flagris *vapulabit multis* (*b*). Nullus tunc erit nobis excuſationi locus: imo potiùs tunc oberit crediaiſſe ac ſciviſſe, nam in tormentorum augmentum ſcientia noſtra & Fides convertetur. *Propterea*, inquit Apoſtolus, *abundantiùs oportet obſervare nos ea, quæ audivimus, ne fortè pereffluamus:*

(*a*) *Ad Roman. II. v.* 5. | (*b*) *Lucæ XII. v.* 47.

mus: si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem (*a*)? Audiamus eumdem, dilectissimi, & trementes singula ejus verba expendamus; *Spiritus enim Domini est super trementes sermones ejus* (*b*). *Irritam* (subdit Paulus) *quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus, vel tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit* (*c*)? Animadvertite, obsecro, Apostoli verba. Illi *irritam faciebant legem Moysi*, qui homo erat similis ipsis; nos peccantes, *Filium Dei conculcamus*, (o horrenda dicta!) *sanguinem ejus pollutum ducimus, in quo sanctificati sumus; & Spiritui gratiæ*, qui est Spiritus Sanctus, verus Deus, *contumeliam facimus*. Annon gravissima, & intoleranda sunt hæc? Annon illorum transgressiones, nostris comparatæ, ponderis erunt levissimi? Et tamen illi *sine ulla miseratione, duobus, aut tribus testibus* convicti morte puniebantur; nos verò peccantes non coram duobus aut tribus testibus, sed in ipsius Dei, omnia videntis conspectu; coram Angelis Dei, creaturis omnibus, ac Dæmonibus, a quibus, cùm erit reddenda ratio, accusabimur & convincemur, tanta cum miseratione ad pœnitentiam expectamur. Caveamus, ne tunc puniri debeamus; quò enim fuerit tardior, eò, credite, gravior nobis pœna inferetur; & idcirco, quamdiu tempus est, Judicem nobis propitium reddere studeamus; Sanctissimum ejus *Spiritum ne contristemus* (*d*); neque ei contumeliam faciamus, qui omni est honore dignus & gloria; qui se honorantes nimis honorabit, & a quo ei obsequentes tam magna, tam secura, & tam ineffabilia munera recipere possunt.

Altera quoque ratione congruè hoc Evangelium proponitur post celebratam Spiritus Sancti missionem. Hæc verò lacrymis potiùs, quàm voce esset adducenda. Sanctissimus hic Spiritus, licèt Consolator accedat, licèt innumera secum dona deferat, licèt ditissimos efficiat, ac cœlestibus omnibus bonis eos, in quos ingreditur, cumulet, non tamen ab omnibus hospitio excipitur; quin imo quamplurimi ei ostium occludunt, varii generis obstacula & impedimenta opponentes. Inter hæc autem præci-

(*a*) *Ad Hebr. II. v. 1. & seqq.*
(*b*) *Isaiæ XLVI. v. 2.*
(*c*) *Ad Hebr. X. v. 28. & 29.*
(*d*) *Ad Ephes. IV. v. 30.*

præcipuum obtinet locum cor, quod dicitur durum. Ideo ad hoc connotandum, hodie statim, postquam est celebrata Spiritus Sancti Solemnitas, reprehendit Dominus Jesus, qui eum cum Patre misit, eorum, qui credere noluerant, cordis duritiam. O quantum hujusmodi cor Spiritui Sancto adversatur! Desiderat Divinus Spiritus hoc ingredi, ditare, & beatum reddere; illud verò apertè eidem obstat atque repugnat. O quàm grave malum operatur cor istud, quàm temerè agit, dum apertam Spiritui fortitudinis, Domino Deo exercituum audet pugnam indicere! „ Ne-
„ que vero [inquit Bernardus sanctissimus (a)] pergas quærere,
„ quod illud sit: Si non expavisti, tuum hoc est. Solum est cor
„ durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Cor
„ durum ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pieta-
„ te mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis
„ duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad ju-
„ dicia sævum, inverecundum ad turpia, pavidum ad pericula, in-
„ humanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obli-
„ viscens, præsentium negligens, futura non providens. Ipsum
„ est, cui præteritorum præter solas injurias, nihil omnino non
„ præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla, nisi for-
„ tè ad ulciscendum, prospectio, seu præparatio est. Et, ut in brevi
„ cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec
„ Deum timet, nec homines reveretur „. Cor durum nullas Dei voces exaudit: Sic vana mulier, licèt se Christianam profiteatur, audiens tamen, fucos suos, ornatus, pompasque reprehendi, nihil minus commovetur, quàm oppositum ejus auribus insonaret. Infelix etiam avarus, cor habens in terra penitus defixum, ac aureis & argenteis funibus devinctum atque depressum, illicitos suos contractus numquam deserere statuit. Cor durum non terrent admiranda flagella, quibus olim Deus in obstinatos desæviit; non Angelorum e Cœlo lapsus; non primorum parentum in hanc miseriarum vallem ejectio; non totius terrarum Orbis submersio, non infelicissimarum Sodomæ Civitatum incendium. Sed ideo isthæc fortè non horret, quia admodum longinqua reputat. Verùm quid illud proxima, ac ferè præsentia movent? Nihil profectò: Nec paucis ab hinc annis illata pestis, nec bella, nec penuria, aut alia innumera divinæ in nos iræ manifestissima indicia ipsum possunt excitare. Cor durum suî solùm est amans, non propinquis aut fratribus quidquam

(a) Lib. I. de Consid. pag. 128. Edit. Venet. anno MDXCVI. Tom. II.

quam compatitur, ſed ſi *viderit fratrem ſuum*, ejuſdem Dei & Eccleſiæ filium, ad eumdem finem creatum, *neceſſitatem habere*, fame conſumi, nudum incedere, inopiam pati, *claudit viſcera ſua ab eo* (*a*). O quale monſtrum eſt cor iſtud, quod tamen in ſinu tam multorum hominum jacet! Et quid mirum, ſi tam monſtruoſi inde partus procreantur, quos in Evangelio Dominus aliàs enarravit; nempe detractiones, convicia, adulteria, fornicationes, & innumera alia hujuſmodi prodigia (*b*)? Cor iſtud pejus eſt, quàm cor ferinum atque beſtiale: Feræ ſiquidem erga ſuî ſimiles non poſſunt non affici; at corde iſto inſtructi homines, in ſe ipſos etiam, nedum in ſuî ſimiles, deſæviunt, ùt experientia nos docet.

Eſt ergo horribile malum cor iſtud, & ideo maximè vigilandum, ne in illud proruamus. Sed qua ratione eò pervenimus? Quomodo cor noſtrum carneum, & ex ſuî natura molle ac tenerum, ſic obduratur? Nempe ſpiritualia parvipendendo & negligendo; pœnitentiam & pia opera procraſtinando ſemper, ac differendo; peccatis peccata cumulando; in ſceleribus pervicaciter perſiſtendo, ſicque paulatim habitum contrahendo, & pravos illos actus in naturam convertendo. Incipit enim homo ſenſim peccare, & initio quidem peccatum horret, ſtatim terretur & timet, inquiens: Quid feci? in quàm magno verſor periculo! ſique nunc morerer, quid de me fieret? Ergo-ne tam ferali labe infectus dormire audebo? Sed rurſum peccat: & tunc dolet quidem, ſed aliorum peccantium exemplo ſe ipſum ſolatur, ea, quæ ceteri impunè egerunt, recogitans: Etiam Salomon, inquit, a Deo defecit; David ſanctiſſimus adulterium ac homicidium perpetravit; Petrus Chriſtum negavit; & Paulus eſt perſecutus Eccleſiam; ſicque peccati horrorem & dolorem, aliorum peccatis lenit & mitigat, ac ad peccandum faciliorem ſibi aperit viam. Peccat tertiò; & tunc incipit excuſare delictum, ac ſibi ipſi perſuadere, eſſe leviſſimum, quod aliàs graviſſimum reputaverat. Peccat iterum; & jam vulnus non ſentit, maximiſque animam telis confodiens, veluti inſenſibilis remanet, nec ſe infirmùm eſſe noſcit, cùm morti ſit proximus. Altera vice delinquit; jamque non modò non horret quod patravit, non Dei timet juſtitiam, non aliorum ſe conſolatur exemplis, non leve reddit & excuſat, non modò non ſentit, ſed contemnit etiam & gloriatur in malitia ſua; quin etiam hujuſmodi ſontes non tantùm gloriantur, *cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis* (*c*), ſed gloriantur

(*a*) *I. Joann. III. v.17.* (*b*) *Matth. XV. v.19., & Marci VII. v.21. & ſeq.* (*c*) *Proverb. II. v.14.*

tur etiam de peccatis, quæ non commiserunt. Et quàm multi hujus generis reperiuntur procaces juvenes & obdurati, qui passim se jactant, quòd hanc vel illam honestam mulierem & virginem defloraverint; cùm tamen eas sæpe nec alloquuti unquam fuerint? Ecce, quàm perversis gradibus ad perniciosissimam hanc cordis pervenitur duritiem, ad hoc peccati profundum: & sic a corde duro ad aversionem a Deo contentiosam descenditur, de qua conqueritur Dominus: *Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem, aversione contentiosa* (*a*)*?* Væ animæ, quæ non modò averti a Deo non curat, sed etiam cum illo quodammodo audet contendere! *Revertatur*, revertatur, quæcumque talis est, *ad* benignissimum *Dominum*, *quoniam multus est ad ignoscendum* (*b*); hæc enim dicit Dominus: *Numquid qui cadit, non resurget? & qui aversus est, non revertetur* (*c*)*?*

Toties de corde hoc duro querelas agit Deus; cùm enim summum bonum sit ipse, summè se nobis communicare desiderat, & ab illo nihilominus adeò impeditur: *Cor suum*, inquit per Zachariam, *posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, & verba, quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo* (*d*). Adamas, licèt durissimus omnium lapidum sit, agni sanguine comminuitur: & tuum, o Christiane, cor, tam pretiosus immaculati agni Christi Jesu sanguis non franget, non minuet, non conteret? *Percussit petram* Moyses, *& fluxerunt aquæ* (*e*); & tu memoriâ repetens tam acerbos Filii Dei pro te toleratos dolores, tam contumeliosam mortem; oculos conjiciens in sacratissimum illum Clavum, qui tenerrimas Christi carnes, venas, & nervos perforavit, aridus & siccus remanebis, nec totus in lacrymas difflues? Et quid mirum, si etiam nunc ferreos ac æneos Cœlos experimur, nec ipsi necessariam nobis pluviam dant, cùm nos salutares lacrymas recusemus emittere? Fugite, fugite cor durum, filii: *Cor* enim *durum habebit malè in novissimo* (*f*), in hora mortis, in die judicii, in puncto illo & momento, in quo fluxa hæc omnia & caduca finem accipient; bona autem omnia, sicut èt mala, æterna esse incipient. *Scindite*, scindite peccatores *corda vestra, & non vestimenta vestra* (*g*). Ita *percutiebat Publicanus* ille, *qui justificatus descendit, pectus suum* (*h*); & simul ad divinæ misericordiæ pectus pulsans, ex suo lacrymas eliciebat, & ex divino veniam educebat. Ideo Sancta Mater Ecclesia laudabilem ritum pectora nostra percutiendi

(*a*) *Jerem. VIII. v.* 5.
(*b*) *Isaiæ LV. v.* 7.
(*c*) *Jerem. VIII. v.* 4.
(*d*) *Zachar. VII. v.* 12.
(*e*) *Psalm. LXXVII. v.* 20.
(*f*) *Ecclesiastici III. v.* 27.
(*g*) *Joël. II. v.* 13.
(*h*) *Luc. XVIII. v.* 13. & 14.

tiendi nobis præſcribit, ut continua hac & frequenti percuſſione, duriſſima corda emolliantur, & inde exeat ſanies latentium peccatorum. *An divitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnitis,* filii? *ignorantes, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam vos adducit? Secundùm autem duritiam veſtram, & impœnitens cor, theſaurizatis vobis iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei* (*a*). Eja ergo, fratres, animadvertamus, quia non omnia tempora apta erunt, ut cor hujuſmodi emolleſcat. Nunc tempus eſt, ab hac duritie illud revocandi: quid ergo in tempore quærimus tempus? cur abutimur tam pretioſis momentis, quorum fortè erimus inopiam paſſuri? Jam ergo frangamus cor, jam comminuamus, jam conteramus: ne expectemus acerbiſſima illa divinæ ultionis flagella, in futuro ſeculo duris corde præparata; ſed nec illa, quibus in præſenti eos punire conſuevit. Terreat nos Pharaonis exemplum, quem nec primâ plagâ, nec alterâ, aut quavis aliâ uſque ad decimam emollitum, ſed in dies magis obduratum, tamdem cum omni ſuo exercitu, in profundum maris Dominus demerſit (*b*), ac futuris omnibus obſtinatis & duro corde, in exemplum poſuit.

Sed jam agnoſcimus, Domine, quàm turpe ſit, homines carneos, ferrea corda geſtare, quàm monſtruoſum & horrendum. Verùm, ſi corda noſtra obdureſcunt, quomodo in manu noſtra erit, ea mollia reddere? *Non ſumus*, Domine, *ſufficientes aliquid facere ex nobis, quaſi ex nobis* (*c*); non conteri poſſumus, non de præteritis peccatis dolere, non mores corrigere, nec vitam emendare: *Tu potens es*, Domine, *de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ* (*d*). Ipſe Dæmon, tuus hoſtis perpetuus hoc apertè confeſſus eſt, ſuadere ſtudens, ut ex lapidibus panes efficeres (*e*). Tuum ergo munus hoc eſt. Ecce quòd nos corda noſtra, qualiacumque ſint, tibi exhibemus & offerimus. Memor eſto promiſſorum tuorum, quibus pollicitus es, auferre de medio noſtrûm cor durum & lapideum, & ejus loco cor molle & carneum inducere (*f*). Erue ergo ex nobis corda noſtra, & corda tibi bene placentia nobis concede, quibus id ſolum velimus, quod vis, id ſolum nolimus, quod odis; te ſolum amemus ſuper omnia, ut tuo itidem amore digni reddamur. Amen.

HO-

(*a*) *Ad Roman. II. v. 4. & 5.*
(*b*) *Exodi XIV.*
(*c*) *II. ad Corinth. III. v. 5.*
(*d*) *Matth. III. v. 9.*
(*e*) *Ibidem IV. v. 3.*
(*f*) *Ezechiel. XI. v. 19., & XXXVI. v. 26.*

HOMILIA CXIX.

HABITA IN BASILICA S. AMBROSII MEDIOLANI

Occasione Supplicationis publicæ ad Pluviam petendam

Feria II. Dominicæ I. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIV. XXVIII. MAJI.



Custos quid de nocte? Custos quid de nocte (a)? O Domine benignissime; & heri in vesperis accessimus, & hodie ad eumdem finem redimus ad te clamantes, suspiria & fletus emittentes. Tu *Custos* es; tu tantâ providentiâ populum hunc regere & gubernare non cessas; tanta tui in illum amoris extant per singulos dies apertissima indicia: *quid de nocte?* Quid sibi vult isthæc afflictio, quid hæc tribulatio, quid nox ista siccitatis, quid hoc grave penuriæ, famis, & variarum corporis ægritudinum periculum? Istiusmodi populi mœrorem ac ingentem calamitatem nobis paulo ante ob oculos posuit Propheta Domini Jeremias: *Luxit Judæa, & portæ ejus corruerunt, & obscuratæ sunt in terra, & clamor Jerusalem ascendit. Majores miserunt minores suos ad aquam: venerunt ad hauriendum, non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua: confusi sunt, & afflicti, & operuerunt capita sua. Propter terræ vastitatem, quia non venit pluvia in terram, confusi sunt Agricolæ, operuerunt capita sua. Nam et cerva in agro peperit, & reliquit: quia non erat herba. Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba* (b). Veniunt undequaque ex omnibus Diœcesis hujus partibus Rustici, Agricolæ, & Coloni dolentes & mœsti, ad Magistratus Civitatis accedunt, ad eos, qui præsunt curandæ Reipublicæ confugiunt; ponunt ob oculos aëris inclementiam, æstus magnitudinem,

(a) *Isaiæ XXI. v. 11.*

(b) *Jeremiæ XIV. v. 2. & seqq.*

nem, ſiccitatem ingentem & agrorum ariditatem; qua ratione tanto malo ſit ſubveniendum ignorant; impendère dicunt ab hac temporis intemperie, deploranda infortunia, ſegetum aduſtionem, vinearum vaſtationem, corporum etiam innumeros morbos. Petunt igitur, ut publico nomine ad te, Domine, ſupplices confugiamus. *Majores miſerunt minores ad hauriendam aquam;* Patres, filios & filias; Prælati Monaſteriorum, Monachos ſuos; nos Clerum: Sed etiam cum omnibus, nos ipſi quoque jam ſecundò, heri ſcilicet & hodie acceſſimus *ad hauriendam aquam*. Verùm adhuc *vaſa* noſtra remanent *vacua*, nondum exaudimur, nondum Cœli aperiuntur, nondum deſiderati imbres deſcendunt & pluviæ. Quid faciemus, dilectiſſimi filii; in quam nos partem vertemus; ad quem preces dirigemus? Ad illum certè, *qui operit Cœlum nubibus, & parat terræ pluviam. Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſervituti hominum. Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum* (*a*). Ad illas, inquam, manus, quæ animalia cuncta nutriunt, & herbas producunt; quæ plantas creſcere jubent, & terræ tribuunt fœcunditatem; ex quibus bona cuncta procedunt: *Ipſe expectatio* noſtra eſt (*b*), qui ſe quærentibus ſemper pro immenſa ſua benignitate præſtò eſſe conſuevit.

Sed audite, filii, quid Iſaiæ interroganti verbis initio ſermonis a nobis aſſumptis: *Cuſtos quid de nocte?* quid, inquam, reſpondeat Dominus: *Si quæritis, quærite: convertimini, venite* (*c*). *Quærite* ſcilicet verè, non fictè; petite, ùt petere oportet; petite ore, petite corde; *quærite* oratione, *quærite* vitæ emendatione: *Convertimini*, & *venite:* Perſcrutamini cauſas, cur hæc flagella Dominus comminetur, cur pericula hæc adeo gravia imminere permittat.

Eas verò idem ipſe Propheta, qui populi afflictionem in ingenti illa ſiccitate propoſuit, breviter quoque attingit, ſubdens: *Si iniquitates noſtræ reſponderint nobis* (*d*). *Si*, inquit, ideſt quia *iniquitates noſtræ* talia & multò majora promeruerunt. Sed peculiares quaſdam etiam cauſas perquiramus. Quis verò nos eas docebit? Spiritus Sanctus, qui venit *Mundum arguere* (*e*), & *docere omnem veritatem* (*f*).

Ipſum ergo audite per Aggæum Prophetam ita loquentem: *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras*. Nolite hæc omnia tribuere cau-

(*a*) *Pſalm. CXLVI. v.* 8., & 9.
(*b*) *Geneſ. XLIX. v.* 10.
(*c*) *Iſaiæ XXI. v.* 12.
(*d*) *Jerem. XIV. v.* 7.
(*e*) *Joann. XVI. v.* 8.
(*f*) *Ibidem v.* 13.

causis naturalibus tantùm; sed rem altiùs indagemus: penetremus, cur hoc periculo nos Dominus cruciet. *Seminastis*, inquit, *multum*, *& intulistis parum: comedistis*, *& non estis satiati: bibistis*, *& non estis inebriati: operuistis vos*, *& non estis calefacti: & qui mercedes congregavit*, *misit eas in sacculum pertusum*. *Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras*. Repetit, quia repetitione est opus, ubi nec repetitis cor adhibetur. *Ascendite in montem*, *portate ligna*, *& ædificate domum: & acceptabilis mihi erit*, *& glorificabor*, *dicit Dominus*. *Respexistis ad amplius*, *& ecce factum est minus: & intulistis in domum*, *& exsufflavi illud: quam ob causam*, *dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est*, *& vos festinastis unusquisque in domum suam* (*a*). Hæc, hæc calamitatum omnium, filii, est causa, hæc radix, hæc origo; quia nempe in universum privata bona magis sunt cordi hominibus, quàm quæ divinum respiciunt honorem. Scrutetur, obsecro, seipsum quicumque hic adest, an zelet magis Divini nominis gloriam; an verò propria commoda, domos, campos, apothecas, merces, divitias. Profectò, non modò populo illi duræ cervicis, ea debuit Dominus exprobrare; sed (proh dolor!) nos etiam eidem causam maximam in dies præbemus, ut nobiscum similibus verbis conqueratur. Tanta cura, prudentia, ac solicitudo ubique adhibetur; tot erogantur expensæ, tam multæ pecuniæ prodiguntur & patrimonia in seculi hujus pompis, crapulis, vanisque mulierum ornatibus, ac superfluis vestibus, in mille peccatorum captandis opportunitatibus, & tendendis laqueis ac retibus ad animarum perniciem: In rebus autem ad Deum & Ecclesiam spectantibus ubinam minimam horum partem insumi comperiemus? Quotus quisque est, qui, ubi de instaurandis Parochialibus Ecclesiis, ornandis Dei domibus, juvandis pauperibus; ubi de alenda Mendicantium turba, mittendis cibis & eleemosynis ad pauperrima Religiosorum, & Monialium Collegia, demum Locis, & piis operibus fovendis ac promovendis agitur, qui, inquam, adeò sit largus & liberalis, qui sic bona sua & opes consumat, prout filii seculi, in Mundi & Carnis suæ obsequium peragunt? Heu, quia meritò dicere Dominus potest: *Domus mea deserta*, *& festinastis unusquisque in domos vestras!* Pereunt pauperes, virgines dispersæ honoris & animæ jacturam faciunt, quia paupertate plerumque compelluntur, quia earum mendicitas Dæmoni amplissimus cam-

(*a*) *Aggæi I. v. 5. & seqq.*

campus est, eas in mille scelerum pedicas pertrahendi. *Domus mea deserta:* hæ, inquam, Animæ pretiosissimo Sanguine meo lotæ, regeneratæ, redemptæ; hæc habitacula Spiritus Sancti; hi pauperes Religiosi, hæ Moniales famem patiuntur, sitim, nuditatem, & iis omnibus egent, quibus mundani homines abundant, & plerumque hac egestate a meî distrahuntur obsequio; cùm miserrimi homines pompis & crapulis, amplificandis prædiis, domibus multiplicandis, mercibus congerendis, augendis apothecis, filiis ditandis incumbant: Et hæc omnia, illicitis etiam ac vetitis viis, per fas & nefas tentantur.

Propter hoc, inquit Dominus, *super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum: & vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcumque profert humus, & super homines, & super jumenta, & super omnem laborem manuum* (*a*). Quàm terribiliter, filii, exequitur Dominus comminationes suas adversùs eos, quos se contemnentes diutiùs sustinuit; quàm eos graviter punit atque flagellat, dirè illos multando iisdem etiam in rebus, in quibus illi suum omnem amorem, spem ac finem, studium & curam infelicissimè constituerunt! Hinc tot mercatorum decoctiones quotidie in Civitate hac conspiciuntur; hinc in campis sterilitas: Hinc fit, ut semina pereant, ut prata sterilescant, ut vineæ virentes arefiant & arbores: Hinc toto anno insudant aliqui in apothecis; in ejus autem exitu ære alieno gravantur, proprio imminuti, nec unde isthæc deriventur, intelligere queunt: Hinc maximo labore divitiæ cumulantur, & tam facilè disperguntur; *quia ego* (inquit Dominus) *exsufflavi illud* (*b*). Emunt multi domos pecuniis illicitè, ac per vim & dolum acquisitis: Et ecce ignis eas repentè consumit; denique malè parta substantia, veluti fumus evanescit. Debet ergo quilibet de se ipso diligens examen instituere, & cavere, ne causam det Deo arcum suum vibrandi; sed curare, ut in omnibus præponatur honor Divinus, dicens: Jam ultra quæcumque lucra respuo, quibus nihil aliud, quàm animæ pernicies paratur. Jam non pluris faciam filiorum meorum dilectionem, quàm Dei; malo ego cum ipsis semper mendicare, & fame perire, quàm amplum eis patrimonium malis artibus constituere. Absit, ut pro corporis commodis, spiritualia relinquam, nempe Sacramentorum, Divini Verbi, & Ec-

(*a*) *Aggæi I. v.* 10. & 11.

(*b*) *Ibidem I. v.* 9.

& Ecclesiarum frequentiam: Erit mihi, Domine, cordi magis semper domus tua, Ecclesia tua, animæ meæ salus, proximus meus, quàm omnia quæcumque ad sensuum oblectamentum pertinent. Hæc, filii, optima erit orationis pars; hoc erit, *si quæritis*, verè Deum *quærere*. Si hæc enim implebimus, quàm largè nobis etiam temporalia Dominus pollicetur! *Custodite Sabbata mea, & pavete ad Sanctuarium meum: Ego Dominus. Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pavore habitabitis in terra vestra* (a).

Quis scit, dilectissimi filii, si periculum hoc ingens fortè immineat ob defectum in hisce duobus, quæ Dominus adeo districtè præcipit in allatis superiùs verbis? Certum hoc est, quia in iis ab hoc populo maximè delinquitur. Nam quoad primum, de Sabbatorum, hoc est festorum dierum sanctificatione, quot a nobis sunt adhibitæ diligentiæ, quot promulgata decreta, quot impositæ pœnæ? Et tamen heri quoque, qui dies erat Dominicus, & adeo solemnis ob Sanctissimæ Trinitatis Festum, cùm per Civitatem solemniter procederemus, summopere dolentes videbamus tot apothecas, tanta cum Dei injuria reclusas, tam multos superflua & non necessaria vendentes. Proh dolor! Deus est dierum omnium Dominus, & tam paucos suo cultui reservavit, sibique complacuit, ut ceteri omnes nostri essent: Et tamen honore suo adeo defraudatur, suique dies ei adimuntur ob vilissimum solidi unius lucrum. *Custodite* ergo *Sabbata mea*, *dicit Dominus*, *& dabo vobis pluvias*.

Alius verò defectus est eorum, qui non *pavent ad Sanctuarium Domini*; sed tales hic non adsunt, quia ad pias hasce Supplicationes, & opera convenire non solent. Conveniunt quidem ad Ecclesias, ad quas utinam potiùs non accederent! Eunt enim ad illas, ut provocent Deum ad iracundiam, ei contumelias inferendo, dum incautas animas ad procurandas Dei offensas, alliciunt ad peccata. *Pavete*, pavete, filii, *ad Sanctuarium Domini*, ubi ipsemet residet, ubi Sanctissimum ejus Corpus adest, ubi tot Sacrosanctæ Reliquiæ, & pretiosissima pignora, corpora nempe illa, quæ fuerunt viva Spiritus Sancti templa & habitacula, asservantur. In his ipsi etiam *Dæmones* pavent, & *contremiscunt* (b); adstant innumera Angelorum mil-

(a) *Levitic. XXVI. v. 2. & seqq.* | (b) *Jacob. II. v. 19.*

millia, maximo cum filiali timore atque tremore: Et infelicissima hæc terræ figmenta, impudentissimi hi homunciones audent Regem gloriæ, in domo sua, in Regia sua irritare, contumeliis & probris afficere, ac ad id etiam ignaras, idque minimè cogitantes puellas pellicere. Hæc sunt postea, filii, quæ, cùm publica sint peccata, publicis etiam Dei flagellis plectuntur, quibus innocentes quoque, & qui non peccarunt, plerumque multantur.

Alia adhuc periculi hujus causa valde timenda est, quam Dominus per Malachiam aperit, dicens: *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me?* (Heu, quàm est hoc horrendum auditu, *Deum configere!*) *Et dixistis: in quo configimus te? In decimis, & in primitiis. Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota* (*a*). Heu! in amplissima hac Diœcesi quot fiunt hujusmodi decimarum, & primitiarum usurpationes! Quàm multi negligunt legata pia persolvere, *decimas ac primitias* Ecclesiis reddere? Quot Ecclesiastica jura læduntur, quot agrorum & prædiorum termini, atque confinia celantur; quot conantes patrimonium Ecclesiæ tueri opprimuntur? Ita prorsus *configitur Deus*; ita denuo configitur Christus; hæc siccitatem, hæc sterilitatem, hæc penuriam, hæc pestem gignunt, & mortem. Sed abstinete ab hujusmodi, dilectissimi; tollite has causas, & videbitis, quoniam ingruentes ærumnæ depellentur; amputate radices, & protinus experiemini, quoniam tam perniciosi fructus ulteriùs non pullulabunt. *Inferte*, inquit Dominus, *omnem decimam in horreum, sit cibus in domo mea*, in Collegiis pauperum virorum, Monialium, & Mendicantium, *& probate me super hoc, dicit Dominus* (Si Deo non creditis, ejus fidem in experimentum adducite): *Si non aperuero vobis cataractas Cœli, & effudero vobis benedictionem, usque ad abundantiam* (*b*).

Eja igitur, filii, studeat unusquisque nostrûm, ne in se Dominus justas hasce querelarum causas inveniat; & tunc meritò Divina sperare nobis licebit auxilia. Offeremus nos bonorum omnium largitori publicum populi totius desiderium verbis illis Jeremiæ: *Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt aversiones nostræ* (*c*). Ne eas Domine aspicias, quia siccitatem & penuriam, famem, & mala universa meremur; nimis enim

(*a*) *Malach. III. v.* 8. & 9.
(*b*) *Ibidem v.* 10.
(*c*) *Jerem. XIV. v.* 7.

enim peccavimus, aversi a te toties sumus: hæc namque est peccati conditio, ut quotiescumque quis lethaliter delinquit, toties maxima tua cum injuria a te aversus, ad creaturas indignissimè convertatur. Obliti sumus toties eorum, quæ tibi spopondimus: *Ne reminiscaris* ergo Domine *delicta nostra* (*a*): *sed propter nomen tuum* petita nobis concede. Respice sanguinem Filii tui, quo animæ istæ sunt lotæ, regeneratæ, redemptæ: Respice nomen tuum sacratissimum, quo in Baptismi Sacramento sunt insignitæ; & præsta, ut decies tantùm conversi revertantur ad te, ut in quibus hactenus *abundavit delictum*, nunc *gratia superabundet* (*b*); ut *operiat in nobis caritas multitudinem peccatorum* (*c*). Fac, ut nos tibi postulanti non denegemus, quod tanto animi ardore supplices poscimus. Aquam nos petimus: Tu etiam aquam petis. Nos aquam agros irrigantem, ac fœcundantem; tu lacrymarum aquam, corda mundantem, & animas impinguantem. Tu nobis da, ut tibi demus fontes lacrymarum, per quos tu *Cœli nobis cataractas aperias*, & *Cœlis rorantibus pluant nubes* aquam salutarem, *aperiatur terra*, & *germinet* nobis fructus expetitos (*d*). Amen. (*e*)



HO-

(*a*) *Job III. v.* 3.
(*b*) *Ad Roman. V. v.* 20.
(*c*) *I. Petri IV. v.* 8.
(*d*) *Isaiæ XLV. v.* 8.
(*e*) Cùm adhuc siccitas perduraret, occasionem cœpit Sanctus Carolus ex altera Supplicatione solemni, quæ habita fuit die Festum Sanctissimi Corporis Christi proximè subsequente, Populum excitandi ad pœnitentiam, ut votis publicis annueret Dei clementia. Proinde a prandio concionem habuit in Templo Maximo, in qua divinam beneficentiam erga humanum genus summopere commendavit, ob tam pretiosum Corporis sui cibum nobis paratum, atque exemplum Danielis protulit, ad quem prandium misit, dum in lacu leonum jacebat, inquiens: non dissimilem esse calamitatem nostrûm, qui undique circumdamur a Dæmone, aliisque hostibus, animarum necem anelantibus, tamquam leonibus & crudelissimis feris. Dein hortatus est Auditores suos, ut imitantes prodigum filium, ab escis porcorum, idest peccatis, se se retraherent, atque in patris domum reverterentur, quæ panibus abundabat. Hæc, & alia in suo Archetypo adnotavit Possevinus; sed tempus fortasse defuit tum ipsi, tum Sancto Carolo, ut in rectum ordinem, latino sermone disponerentur.

HOMILIA CXX.

HABITA IN ORATORIO DOMESTICO DOMUS S. SEPULCRI MEDIOLANI

Occaſione Congregationis Generalis Oblatorum S. Ambroſii

Feria III. Dominicæ III. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIV. XII. JUNII. (*a*)



ENI Creator Spiritus, mentes tuorum viſita, imple ſupernâ gratiâ, quæ tu creaſti pectora. Generali huic Congregationi Oblatorum Sanctiſſimi Patris, & Paſtoris noſtri Ambroſii, quot annis (*b*) hoc tempore fieri ſolitæ, initium daturi, ad te confugimus, opem tuam implorantes, Sanctiſſime Spiritus, qui unus cum Patre & Filio Deus, cuncta, quæ ſunt, de nihilo creaſti; a quo humana pectora noſtra ſumpſerunt exordium. Tu, *qui finxiſti ſigillatim corda noſtra* (*c*), tu ea, inquam, perfice, & ad illum, ad quem eadem creaſti, finem digneris dirigere. Fuit procul dubio, dilectiſſimi fratres & filii, auctore hoc Sanctiſſimo Dei Spiritu, Congregatio iſta noſtra, ùt ita dixerim, creata, ad hoc, ut in Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervantia excellentiores quidam, & perfectiores in ampliſſima hac hujus Diœceſis meſſe obſequium Deo præſtarent & operam: unde niſi is idem

(*a*) Homilia hæc aberat a Codicibus noſtris; eam nobis humaniſſimè obtulit jam laudatus Joannes Andreas Irricus Liburnenſis Canonicus in Monteferrato, Reipublicæ Literariæ notus ob recenter editam Patriæ ſuæ Hiſtoriam, nempe Tridini.

(*b*) Generalem hunc Oblatorum Conventum quotannis celebrandum, decreto ſuo confirmavit Cardinalis Federicus Borromeus, in Additamentis ad Inſtitutiones, a Sancto Carolo Congregationi eorumdem præſcriptas; diemque fixit, Feriam nempe VI. poſt octavum diem a Solemnitate Corporis Chriſti, atque omnia, quæ in ea peragenda ſunt, deſignavit. Cùm tamen nimis incommodum, & curæ animarum etiam noxium viſum fuerit, a remotis Diœceſis regionibus, tam frequenter illarum Paſtores evocare, reſervatus eſt univerſus iſte Oblatorum Congreſſus ei tempori, quo agi de ſubſtituendo in Æde Sancti Sepulcri novo Congregationis Præpoſito neceſſitas poſcit.

(*c*) *Pſalm. XXXII. v.* 15.

idem Spiritus Sanctus eam promoveat, protegat, custodiat, ac dirigat semper, nil dubium, quin diu persistere nequeat. Sed vult ipse Spiritus a nobis frequentiùs, & ex intimo corde exorari; neque enim illabitur, nisi in eos, qui illum ardentissimè desiderant; ideoque hoc agnoscens Propheta dicebat: *Os meum aperui* (quod autem os, nisi cordis?) *& attraxi spiritum* (*a*). Nam sicut is, qui interiùs vehementer æstuat, ac quodammodo ardere sibi videtur, non solùm naturalibus viis & meatibus aërem studet concipere, ut eo repletus, ardorem compescat & refrigeretur: Sic nos, qui Spiritum hunc Sanctissimum rogamus, ut nostra dignetur in pectora descendere, debemus pariter cum Propheta *os nostrum* penitus *aperire*, ut *spiritu* impleamur. O ingentem desiderii hujus vim & efficaciam! O immensam ejusdem indigentiam! cùm ope illius omnipotentem Deum, Spiritum Sanctum, qui omnia creavit de nihilo, e supremo Cœlorum solio in nos attrahere valeamus: *Os meum*, inquit memoratus Propheta, *aperui, & attraxi spiritum.* Ergo hoc os, quod clausum Spiritui *ad ostium pulsanti*, & intrare desideranti (*b*) resistit; hoc, inquam, apertum, eumdem in se spiritum attrahit, veluti magnes ferrum. Verùm non hinc ulla ipsius arguitur infirmitas, imo sola immensa caritas atque dilectio elucet; qui ideo attrahitur, quia attrahi vult & exoptat; quia *deliciæ* ipsius sunt, *esse cum filiis hominum* (*c*); qui Donum dicitur, eò quòd dono haberi, & se ipsum in donum dare vult nobis. Ergo intensum hoc desiderium, hæc pia & supplex Spiritus Sancti invocatio sit hujusce Congregationis præcipua præparatio, congruumque principium. Et licèt hoc in omnibus religiosis conventibus ad divinum honorem spectantibus, verissimum sit & necessarium, est tamen potissimùm in hoc Cœtu, qui profectò, si tempus inspicimus, novissimus est; si Oblatorum numerum, minimus; si denique alia quamplurima, aviculis illis, quæ adhuc implumes in nidulis jacent, videtur simillimus; istæ enim, cùm plumis careant & viribus ad volandum, aut ad victui proprio necessaria comparanda, hoc solum possunt, nempe os aperire, & altissimis vocibus clamare. Sic etiam hæc nostra Congregatio, *sicut pullus hirundinis, sic clamet* (*d*), ut qui *dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum* (*e*), ipse

(*a*) *Psalm. CXVIII. v.* 131.
(*b*) *Apocalyps. III. v.* 20.
(*c*) *Proverb. VIII. v.* 31.
(*d*) *Isaiæ XXXVIII. v.* 14.
(*e*) *Psalm. CXLVI. v.* 9.

ipſe quoque nos clamantes & invocantes, ac pectora noſtra ſanctiſſimo ſuo Spiritu repleat.

Quonam autem, obſecro, Spiritu? Eo videlicet, quem ipſemet Dominus in Evangelio ſancto ſe daturum promiſit: *Spiritu*, inquam, *veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum* (*a*). Et quis Spiritus hic eſt, niſi ut *in veritate*, non fictè, ſed perfectè vocationi noſtræ conformemur; ut quod ore profitemur, & quod vovimus (*b*), verè opere adimpleamus? Hic eſt *ſpiritus veritatis*. Noſtis, cariſſimi; cùm ferè omnis in hac Diœceſi concidiſſet Eccleſiaſtica diſciplina; cùm depravati penitus & corrupti eſſent illorum mores, qui ex muneris & dignitatis ſuæ præſcripto ceteros corrigere tenebantur ac reformare; cùm factus eſſet *ſicut populus, ſic Sacerdos* (*c*): noſtis, inquam, quia Patri miſericordiarum, clementiſſimo Deo placuit aſpicere ſuper hanc vineam ſuam, & collabentem pene Religionem reſuſcitare, ac in quibuſdam *Spiritum* ſuum *principalem* (*d*) excitare, qui ſe Deo, & Beatiſſimo Patri noſtro Ambroſio devoventes, non modò ea ipſi præſtarent excellentiſſimè, quæ Clerici omnes tenentur; ſed eſſent aliis Anteſignani & Duces, ac veluti ſplendidiſſima quædam aſtra, in univerſa hac Diœceſi præfulgentia, omneſque exemplo ſuo ad caſtigatiorem vitam perducerent. Hoc Spiritu inſtituta fuit hæc Oblatorum Sodalitas; huic Spiritui nunc petimus verè conformari, cùm noſtra pectora *Spiritu* poſtulamus *veritatis* impleri; ut ſcilicet ille ipſe, quo cœpimus, animi fervor & intentio, ad hæc, quæ audiſtis, ſtudioſè peragenda nos compellant: Iis ſiquidem mediis (norunt etiam Philoſophi) quælibet conſervantur & perficiuntur, quibus cœpta fuerunt. Quo igitur zelo, quo ardore, qua animi contentione Sodalitatem hanc quilibet fuerit ingreſſus, jam ſecum recogitet; & donec ad eumdem Spiritum non redeat, noverit, ſe a *prima caritate* (*e*) excidiſſe, nec *in Spiritu veritatis ambulare* (*f*). Et

(*a*) *Joann. XIV. v. 17.*

(*b*) Formula Voti emittendi ab iis, qui inſcribendi ſunt Oblatorum albo, legitur Libro I. Inſtitutionum a Sancto Carolo conditarum pro ejuſmodi Congregatione Cap. III. in hæc verba: „ Ego N. Omnipotenti Deo, & „ Sanctiſſimo Patri noſtro Ambroſio, coram „ Beatiſſima Virgine Dei Matre MARIA, & „ tota Cœleſti Curia, ac Tibi quoque, locum „ Sanctiſſimi Patris noſtri Ambroſii hic obtinenti, Reverendiſſime Domine Pater Archiepiſcope, ceteriſque deinceps Archiepiſcopis Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Succeſ„ ſoribus tuis promitto, ſpondeo, ac voveo „ perpetuam obedientiam in his omnibus, quæ „ mihi præcipientur ad Dei gloriam, & ſalutem animarum ejuſdem Eccleſiæ procurandam, adjuvandam, & promovendam ad præſcriptum inſtitutæ Congregationis Oblatorum „ Sanctiſſimi Patris noſtri Ambroſii: illudque „ præterea ſpondeo ac voveo, me in Congregatione & Inſtituto hoc perpetuò victurum.

(*c*) *Iſaiæ XXII. v. 2.*

(*d*) *Pſalm. L. v. 14.*

(*e*) *Apocalypſ. II. v. 4.*

(*f*) *II. Joann. II. v. 4.*

Et profectò, quòd hic Spiritus ille prorsus sit, de quo supra diximus, quem *Mundus non accipit, quia non videt eum, nec scit eum*, testantur (si meministis) tam multa illa incommoda & obstacula, tot impedimenta & difficultates, quæ nobis Ecclesiæ Mediolanensis reformationem, & Congregationis hujus institutionem cogitantibus, opponebantur. Adversabantur tunc nobis ferè omnia: Obsistebat Mundus, reclamabant Laici, recalcitrabant Sacerdotes; novitates has (ùt ipsi vocabant, cùm tamen esset potius antiquæ Religionis restitutio) detestabantur, & odio habebant. Testatur hoc denique tam exiguus hic vester numerus; tam paucos nempe extitisse, qui statuerint in Ecclesiastica vivendi ratione non perfunctoriè se gerere, sed præcellere. Quamobrem hæc cogitans, licèt præ admiratione aliquando obstupescam, cùm tamen temporum omnium rationes memorià perpendo, semper adversantem Christo Domino Mundum, semper hunc *veritatis Spiritum* impedimenta innumera reperientem agnosco.

Facit mirum in modum ad hanç rem, quod Ecclesiastes ipse summa cum admiratione recenset, inquiens: *Hanc quoque sub Sole vidi Sapientiam, & probavi maximam: Civitas parva, & pauci in ea viri: venit contra eam Rex magnus, & vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inventusque est in ea vir pauper & sapiens, & liberavit Urbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. Et dicebam ego, meliorem esse Sapientiam fortitudine: Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba ejus non sunt audita* (*a*)*? Civitas* hæc *parva* procul dubio Mundus est, verè parva Civitas; si enim immensæ illi Cœlorum circumferentiæ compareretur, instar puncti videtur. *Pauci in ea* erant *viri:* Multi siquidem homines reperiebantur, sed viri pauci, qui scilicet virili essent animo, virilem ducerent vitam; *corruperat* enim *omnis caro viam suam* (*b*), *& homo cùm in honore esset, non intellexerat, comparatus fuerat jumentis insipientibus, & factus similis illis* (*c*). Obsederat non modò hanc Civitatem *magnus* ille Mundi *Rex*, & Princeps Diabolus, sed etiam expugnaverat, ac suam in ea sedem collocaverat, homines ignorantiæ tenebris repletos sub tyrannidis suæ continens jugo, ac veluti pacificè regnans. Sed dum tali ipse pace perfrueretur, in medio hujus Civitatis, in Bethlehem, in Mariæ utero *inventus est* [*obumbrante virtute Altissimi, ac Spiritu Sancto superveniente* in Dei Matrem, & ancil-

(*a*) *Ecclef. IX. v.* 13. *& seqq.*
(*b*) *Genes. VI. v.* 12.
(*c*) *Psalm. XLVIII. v.* 13. *&* 21.

lam (*a*)] *pauperculus* Dei Filius, Dominus Jesus humana carne indutus; *pauper*, inquam, quia ex pauperrima Matre, in pauperrimo loco, pauperrimo tempore, in summa rerum omnium est natus inopia; sed *sapiens*, utpote quia *in ipso erant thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei* (*b*). Hic *per sapientiam suam liberavit* hanc Civitatem a dira obsidione, & gravissima Dæmonis atque peccati tyrannide; ipso siquidem in Crucem sublato, *Princeps Mundi hujus ejectus est foràs* (*c*). Et tamen (o horrendam hujusce Civitatis ac Civium ingratitudinem! o execrandum scelus!) non modò *nullus deinceps recordatus est pauperis illius*; non modò post tot visa admiranda opera & miracula, *non sunt verba ejus audita* (*d*); sed *sui eum non receperunt* (*e*), & ex Civibus hisce quamplures morte illum multando, e sua hac veluti Civitate repulerunt. Ecce fratres, quàm fuerit Mundus *Spiritui* huic *veritatis* semper inimicus, quàm illum oderit. Sed (fortè dicitis) omnibus communis est hæc verborum Sapientis explicatio; cùm hæc omnia nobis, & Congregationi nostræ applicari magis peculiariter non possint. Imo verò maximè.

Parva Civitas erat, Mediolanensis hæc Diœcesis, totius Mundi & Ecclesiæ universalis intuitu: *Pauci in ea viri* erant; paucissimi præstantium morum imitatores, quibus Ambrosius, Simplicianus, Galdinus, Protasius, & Gervasius præluxerunt: effœminati erant omnium ferè Ecclesiasticorum mores. Qui strenuè Mundo, ac Dæmoni, & Carnis illecebris obsisterent, paucos-ne dicam? Ferè nullos invenire erat. *Obsederat* parvam hanc Civitatem, Mundus, *Rex magnus*, Caro, *Rex magnus*, peccatorum omnium cumulus, *Rex*, vel potius Tyrannus maximus; & quàm hoc veritati consentiret, testes erant omnes pene terrarum Orbis partes, in quibus, si de Diœcesi hac sermo incidisset, deflere cuncti cogebantur, deturpatam adeo ac deformatam Sanctissimi Patris Ambrosii mysticam Sponsam. Attamen, quando Altissimo placuit, quibus oculis *Petrum* negantem *respexit* (*f*), iisdem etiam Civitatem hanc intueri, *inventus est in ea vir pauper, & sapiens:* Excitavit in ea hanc Oblatorum Congregationem, quæ certè *vir erat pauper*, debilibus instituta principiis, tenuissimè quoque proficiens, *sed sapiens*; assistente siquidem *Spiritu sapientiæ, & intellectus*,

(*a*) *Lucæ I. v.* 35.
(*b*) *Ad Colos. II. v.* 3.
(*c*) *Joann. XII. v.* 31.
(*d*) *Eccles. IX. v.* 15. & 16.
(*e*) *Joann. I. v.* 11.
(*f*) *Lucæ XXII. v.* 61.

tus, *Spiritu consilii* (*a*), *& veritatis* (*b*), inchoata fuit, & ad hunc usque diem, ut speramus, conservata. Per hanc *liberata* videtur maximè *Civitas* hæc a peccatorum tyrannide, a tam multis vitiis & sceleribus, quibus veluti *obsidebatur*; hinc namque multi prodierunt, qui se ipsos in primis, tum ceteros antiquæ vivendi rationi, a Sanctissimis progenitoribus nostris traditæ, conformare studuerunt. Verùm (proh dolor!) *obliti* ferè videntur omnes Sacerdotes & Clerici, *pauperis* hujus Congregationis; & cùm tantum *ejus sapientia* omnibus profuerit, cùm tam multæ inde utilitates emanaverint, tam pauci *ejus audiunt verba*; tam pauci hanc vivendi rationem complectuntur, & ex his, qui complexi sunt, tam pauci perfectissimam adhuc Regulam devoverunt paupertatis (*c*); tam pauci interiorem hanc veluti perfectionis medullam penetrarunt.

Neque verò, dum hæc dicimus (quæ quidem sine lacrymis dicere non possumus) bonum & verum, a tam paucis agnosci videntes & suscipi, diffidimus ideo, aut spem deponimus: Quin imo in illo semper speravimus, qui non plures solet requirere, sed paucos & bonos, multis æquipollentes, ad egregia sua opera perficienda. Nam non adeò sumus immemores, ut non recordemur, Gedeon multos sibi milites eligente, eos ferè omnes,

(*a*) *Isaiæ XI. v. 2.*

(*b*) *Joann. XIV. v. 17., & XV. v. 26.*

(*c*) Cùm Sanctus Carolus modestissimè de se ipso sentiret, Regulas, quas ad instituendos Oblatos conscripserat, Romam ad Sanctum Philippum Nerium detulit, ut easdem ad serium examen revocaret. Detrectavit pari animi demissione hoc onus Philippus, illudque ad Sanctum Felicem Capucinum Laicum traostulit; cùmque iste excusationem ignorantiæ prætenderet, eò quòd inalphabetus esset, obedientiæ præcepto eumdem adstrinxit Philippus, ut a Regulis hisce, sibi ab alio perlectis, deleri juberet, quod minimè consonum Spiritui cœlitus in ipsum immittendo censuisset. Paruit Sanctus Felix, ac nonnulla obliterari præcepit, non sioe parva Sancti Caroli admiratione, qui ejusmodi emendationes, divino afflatu appositas fuisse coofiteri non recusavit. Narrantur ista in MSto Vallicellano, quem in lucem protulit Auctor Vitæ Sancti Philippi Nerii, editæ Venetiis anno MDCCXXVII.

Quo e loco Regularum ad Oblatos pertinentium expungi jusserit Sanctus Felix ea, quæ Sanctus Carolus exaraverat, MStus Codex non indicat: Traditio tamen est, deletum fuisse Votum præsertim paupertatis, quod Oblatis Borromeus Præsul iodixerat. Certè in Formula eorumdem admissionis superiùs relata, nihil de paupertate innuitor; præterea in Regulis ipsis Lib. I. Cap. IV. liberum Oblatis relinquitur, paupertatem vovere, his verbis: „ Si quis perfectioris vitæ desiderio incensus, „ quò suscepti hujus Instituti studiis, officiis, „ atque exercitationibus, paupertatem &c. obe„ dientiæ voto subjicere velit..... explorata il„ lius mente, planèqoe perspecto constantis ani„ mi desiderio, vel io ipso voti obedientiæ tem„ pore, vel alio deinceps Archiepiscopus susci„ piat „: Idque in hoc Sermone enixè optare se osteodit Sanctus Carolus, cùm ipsos Alumnos suos ad perfectioris vitæ Institutum urgere conaretur. Ceterùm in singulare Congregationis hujus ornamentum cedit, quòd ad ejusdem Institutiones condendas, insignium Sanctorum triumviratus accesserit; id enim expressum fuit in picta Tabula, cùm Sanctus Felix solemni ritu in Cœlitum numerum referretur, adjecta hac epigraphe: „ DEI SPIRITU PLENUS „ FELIX A S. CAROLO CUM S. PHI„ LIPPO NERIO, PRO INSTITUENDA „ OBLATORUM CONGREGATIONE „ CONSULITUR.

nes, paucis admodum relictis, a Domino fuisse rejectos (a): nec ignoramus, universo terrarum Orbi conquirendo non innumeros exercitus Dei Filium (prout, si voluisset, optimè poterat) sed duodecim quosdam pauperes & imbecilles Apostolos destinasse, ut *per infirma* hæc & abjecta, *Mundi fortia* atque superba *confunderet* (b). Sed nos id angit in primis ac tenet solicitos, ne qui vitam hanc colunt viri, a veritatis spiritu deflectant; ne aliter vivant, quàm se victuros, Deo, Beato Ambrosio, toti Curiæ Cœlesti, ac nobis promiserunt; ne, inquam, finis sui ac voti obliti sint; ne cùm animarum juvandarum zelus & ardor Congregationem hanc excitaverit, hic aut in multis perierit, aut certè refriguerit & langueat. Scitis quid dicam fratres? Audite, quia adhuc faciliùs explicabo me ipsum. Non dubito, quin si omnes, qui hìc adsunt, interrogem, an norint, quid sint animæ, Christi pretiosissimo Sanguine redemptæ, quàm earum sit procuranda salus; quin, inquam, omnes statim promptissimè auditurus sim respondentes: impares esse labores omnes, & Sacerdotum vigilias ac solicitudinem, earum meritis. At si manus sit operi admovenda; si incommoda pro iis actu perferenda; si toleranda paupertas, excipiendæ injuriæ, calumniæ, maledicta, heu, quàm multi humeros oneri subducunt; quàm multi se retrahunt; quàm multi etiam fortè submurmurant! Videtur-ne vobis hic hujusmodi hominum spiritus, *veritatis Spiritus*, an falsitatis? Concors-ne est horum vita, Instituto & professioni, quam emiserunt? Minimè profectò. Sed ii *in Spiritu veritatis ambulabunt* (c), qui ex corde animarum salutem zelabunt, & in operibus nullos pro eadem comparanda labores recusabunt; imo ùt providi pastores propriis etiam humeris impositas languidas oves portabunt (d). Hoc est, dilectissimi fratres, quod magni illius Pontificis Aaronis indumenta signabant, cùm & in Rationali, filiorum Israël nomina lapidibus pretiosis descripta, & in Superhumerali, quod a Rationali nullatenus separabatur, gestaret (e); Erat verò in Rationali scriptum: *Doctrina*, & *Veritas* (f); quibus omnibus innuebatur, in Sacerdotum corde ac pectore describenda esse populorum nomina, ut eos ex intimis præcordiis diligant; quos verò per affectum diligunt cordis, ac pretiosissimos habent,

(a) *Judicum VII. v. 7.*
(b) *I. ad Corinth. I. v. 27.*
(c) *II. Joann. II. v. 4.*
(d) *Lucæ XV. v. 4.*
(e) *Exodi XXVIII. v. 9. & seqq.*
(f) *Ibidem v. 30.*

habent, hos item per effectum super humeros descriptos habeant, ac veluti portent. Et hæc est præstantissima *Doctrina*, quam vestes illæ docebant; hæc *Veritas*, ut nempe huic indumento vita quoque Sacerdotis esset conformis. Benignissime Jesu, Sacerdos summe, quàm hæc omnia in te expressa conspicimus! Fuerunt omnium hominum nomina in Rationali tuo descripta, & in Superhumerali pretiosissimo opere insculpta; quid enim pretiosius tibi esse potuit, quàm id, pro quo sanguinem & vitam exposuisti? Vidi me in corde tuo descriptum per magnam illam & patentem fenestram pectoris tui, quam ideo aperiri voluisti, ut quicumque introspicere vellet, illic pretiosissimo opere se descriptum aspiceret. In Superhumerali quoque nos descripsisti; quid enim sunt livores isti in humeris tuis; quid plagæ istæ, nisi animarum nostrarum, quas in humeris portasti, signa? Quid, nisi omnium hominum nomina, quæ *super dorsum tuum fabricaverunt peccatores* (a)? Verè tu *Doctrina*, & *Veritas* fuisti; nam omnis actio tua, nostra fuit instructio; & quidquid exteriùs in corpore tuo apparuit, hoc fuit interiùs, & e converso. Unde fallitur profectò quicumque te in his non imitatus, in se *Veritatem*, & *Doctrinam* hanc esse arbitratur, quicumque pro animabus omnia pati detrectat, quicumque denique Sanctissimo huic Instituto non conformatur Oblatus. Quorum quidem Oblatorum statum & numerum hic præsentem cernens, non possum, fratres, brevem hunc sermonem lacrymis non concludere. Et cur putatis? Num quòd paucos videam? Non certè: jam enim audistis, quia non in pluribus negotii summa consistit, sed in bonis. Cur ergo? Nempe quia èt de his paucis, quos intueor, vereor, ne dicere possim, quòd deinceps non est, qui *recordetur pauperis illius, per cujus sapientiam liberata est Civitas* jam supradicta. Quid hoc est? (dicitis). Nostis, quanta sit altissimæ paupertatis perfectio? quantum illa animarum piscatoribus præbeat adjumenti? quàm eam in primis illis piscatoribus Apostolis districtè requisierit Dominus, quos *neque zonam*, *neque peram*, *neque sacculum* habere permittebat (b)? Nostis, quomodo in hoc paupertatis spiritu fundata sit præsens Congregatio? Et tamen, inter vos quàm *pauci* illius *recordantur!* Vos dicite. Duo, aut tres tantùm eam ex corde complexi sunt, eam professi sunt, totos

(a) *Psalm. CXXVIII. v.* 3. | (b) *Lucæ X. v.* 4.

totos illi se se tradiderunt. Heu! quia jam non est, qui *recordetur* ejus; & sic, dum præcipua oblivioni traduntur, paulatim omnium verenda est jactura gravissima. Sed ad te iterum confugimus Sanctissime Spiritus, ad te redit figmentum hoc tuum, & opus. Tu illud formasti: Tu reforma. A te cœpit, & per te: in te quoque finiatur. Tu hæc pectora creasti. Tu hæc imple supernâ gratiâ tuâ, Spiritu veritatis, quo Instituto tuo conformentur; & quibus adjumentis eorum est condita Congregatio, iisdem eam promovere contendant. Imple eos siti ardentissima & fame tuî ipsius: ut sic os suum aperientes, tuâ gratiâ a te impleantur; & qui in hac valle lacrymarum tibi, & Sanctissimo Servo tuo Ambrosio Pontifici nostro, veluti deditissimi famuli & ministri, Oblati sunt, possint etiam tamdem, ubi *tu* sine fine regnas, illic *et ministri tui esse* (a), æternæ gloriæ tuæ participes. Amen.



HO-

(a) *Joann. XII. v. 26.*

HOMILIA CXXI.

IN CONSECRATIONE

REVERENDISSIMI D. D.

OCTAVIANI PARAVICINI

EPISCOPI ALEXANDRINI (*a*)

Habita in Templo Maximo, inter Miſſarum Solemnia

Dominica VIII. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIV. XV. JULII.



UANTA putamus nos, Reverendiſſimi Paſtores, voſque dilectiſſimi filii, eſſet ardens illa caritas, quantus amor in accenſo illo Salvatoris noſtri Domini Jeſu pectore, quod fervidiſſimo deſiderio ſalutis animarum noſtrarum æſtuabat, cùm undequaque toties & multimode latentis intus ignis ſcintillas virtutibus, operibus, atque ſignis exteriùs emitteret, & tanta vi ad ſe homines attraheret! Ideo *erant* hodie *appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut audirent illum* (*b*); neque enim eidem appropinquare potuiſſent, quos ad ſe prior ipſe non traxiſſet (*c*). Multa quidem de immenſo hoc caritatis pelago, mente a nobis con-

(*a*) Joannes Baptiſta Poſſevinus de hac Conſecratione loquens Cap. XIX. Vitæ Sancti Caroli, præmittit, quamplures Epiſcopos dum inaugurandi ad Eccleſias ſuas ſorent, ſummopere optaviſſe, ut e manibus hujus Sancti Archiepiſcopi unctionem Epiſcopalem acciperent. Inter hos autem ait, fuiſſe Octavianum Paravicinum, qui dum in Aula Catholici Regis degeret, & in Antiſtitem Alexandriæ renunciatus eſſet a Pontifice Maximo Gregorio XIII., ſtatim ab Hiſpaniis preces ſuas Mediolanum miſit, menſe Junio hujuſmet anni, peculiaris gratiæ loco habens, a Sancto Carolo in Epiſcopum conſecrari. Fuit iſte Patriâ Novocomenſis, ſacro murice donatus a Gregorio XIV. anno MDXC. Alexandrinam Eccleſiam adminiſtravit ad annum uſque MDXCIII.; eâ vero dimiſsâ Romæ deceſſit anno MDCXI. ejuſque ſepulcralem inſcriptionem refert Ughellus in Epiſcopis Alexandrinis.

(*b*) *Lucæ XV. v.* 1.

(*c*) *Joann. VI. v.* 44.

concipi possunt, multa cogitari, & multa quoque proferri; verùm quis adeò inscius sit, ut ignoret, incomprehensibilem, infinitam, & nullis terminis circumscriptam Dei bonitatem plenè numquam posse comprehendi? *Secundùm magnitudinem ipsius* [inquit Ecclesiasticus (*a*)] *sic & misericordia illius cum ipso est.* Sicut ergo infinitus est ipse, omnem transcendit Angelicam etiam intelligentiam, ac se se ipse solus intelligit, ita etiam caritatem atque misericordiam suam solus attingit. Complacet tamen ipse sibi per tempora, quibusdam modò operibus, modò verbis, modò signis, modò etiam parabolis eam hominibus ex quadam veluti parte detegere, immensitatis illius velamine quadantenus reserato, veluti in hodierni sacrosancti Evangelii Parabola, ab ipso ad perfidam Pharisæorum rabiem confundendam proposita, qui ferre non valentes, eum ad se publicanos & peccatores invitare, allicere, attrahere, & verbis & miraculis ægris salutem restituendo, & turbis panes multiplicando, ob id *murmurabant* (*b*), & ipsius Domini Redemptoris nostri infinitæ detrahebant caritati; pejores & cæci magis effecti, unde meliorari ipsi debuerant atque illuminari. Parabolæ verò series hæc erat: Homo quidam centum oves habens, cùm ex iis unam amisisset, relictis ceteris omnibus, hanc per montes & silvas, per saltus & nemora tamdiu quæsivit, donec inventam, maximo cum gaudio humeris suis impositam ad ovile portavit. Narrat itidem, quid non fecerit mulier decem drachmas habens, ut unam ex illis deperditam inveniret: totam domum everrit, donec tamdem cùm invenisset, tanto est ob id gaudio perfusa, ut etiam propinquas omnes suas, ejusdem lætitiæ voluerit esse participes. Verùm quàm opportunè, dilectissimi, dum adeo apertè hodie explicat Dominus immensam suam erga has animas caritatem, consecratur in Episcopum hic Reverendissimus Pastor; quæ res tota amoris plena est, & Dei etiam exprimit dilectionem, de animabus adeò soliciti, ut non cesset quotidie ad hoc etiam præcipuos Ministros deputare! Ex utroque igitur, nempe & ex Evangelii Parabola, & ex sacrosancto hoc ministerio, nonnulla tractanda eliciemus, ad caritatem potissimùm spectantia, quæ omnia eò dirigentur, ut probè intelligamus, quàm sit difficile, laboriosum, & periculis plenum Episcopi munus, simulque quantum sublime dignum ac Deo gratum, ac ob id quid hujusmodi Pastoribus Populi debeant, juvante Domino breviter attingémus. Ma-

(*a*) *Cap. II. v.* 23. | (*b*) *Lucæ XV. v.* 2.

Magna verè verba illa ſunt, Reverendiſſimi Patres, egregii illius Paſtoris Auguſtini, cui, tamquam in animarum cura exercitatiſſimo Epiſcopo, fidem neceſſe eſt adhibeamus indubiam. Statum ergo ille hunc noſtrum conſiderans, ſic ſcribit: „ Nihil eſt „ in hac vita, & maximè hoc tempore, & difficilius, & labo- „ rioſius, & periculoſius, Epiſcopi aut Presbyteri officio; ſed „ apud Deum nil gratius, ſi eo modo militetur, quo noſter Im- „ perator jubet. Ideo quid mirum, ſi tam multi ſanctiſſimi „ Viri, hæc, vel hujuſmodi ſecum meditantes, ita terrebantur a „ ſupponendis tanto oneri humeris, ut eorum plerique, non „ modò hæc non expeterent, ſed mille modis & artibus fuge- „ rent? Quòd ſi quando ad Paſtoralem hanc curam ſuſcipien- „ dam attrahebantur inviti, priſtinam ſemper vitæ ſolitudinem „ & quietem recordantes, præſentem ſtatum ſolicitudinis & la- „ borum, ac periculorum plenum deplorabant; iis invidentes, „ qui propriæ acquirendæ ſaluti incumbebant „. Innumera, Præſules Ampliſſimi, poſſem ego utriuſque hujus rei proferre in medium exempla; ſed duo illa præſtantiſſimorum Antiſtitum ſatis ſuperque ſufficiunt; Magni videlicet Gregorii Romani Pontificis, & Sanctiſſimi Patris ac Paſtoris noſtri Ambroſii. Ille quidem invitus Pontificatum ſuſcepit, quem, quamdiu eidem licuit, refugerat; ſed divinæ voluntati acquieſcere compulſus (*a*), millies priſtino, quod non dereliquerat ſed mutaverat potius, Monaſterio invidit; erat enim illius Palatium, honorificentius quidem ſi exteriora ſpectemus, at ſi vitæ regulam intueamur, arctius fortè Monaſterium. At quid de Ambroſio Epiſcoporum omnium præſtantiſſimo dicam? Quid non ille tentavit, ne Epiſcopus fieret? qua induſtriâ non eſt conatus, Mediolanenſem hunc Populum, ipſum unanimi voce Epiſcopum clamantem, ab hujuſmodi deliberatione removere (*b*)? quas latebras non adiit, quò non fugit, ubi ſe non abſcondit? Poſſem ego talia hic de ipſo recenſere, quæ

(*a*) Cùm Sanctus Gregorius unanimi conſenſu delectus fuiſſet a Romano Clero in Summum Pontificem, literas dedit ad Mauritium Imperatorem, ut onere illo levaretur; ſed, cùm intercepta fuiſſet ejuſdem epiſtola, atque altera ſubſtituta, qua Urbis Præfectus Cæſarem rogabat, ut electioni Gregorii aſſenſum præberet, cogitare cœpit de fuga. Quandoquidem verò Portis vigiles excubabant cuſtodes, ſe ſe Gregorius in ſecretis latebris occultavit, atque ita per triduum delituit: Verùm tertiâ nocte, indicio fulgidæ columnæ detectus, captus eſt, ac pertractus ad Beati Apoſtoli Petri Baſilicam, ubi Pontificalis gratiæ officium recepit; quemadmodum ex veterum teſtimoniis adnotavere Monachi Maurini in Vita ejuſdem Libro I. Capite VII.

(*b*) Quæ Sanctus Ambroſius ſtudia & artes adhibuerit, ut ab Epiſcopali onere ſe ſubtraheret, jam retulimus ex verbis Paulini in Notis ad Homiliam LXXXIV. Tom. III.

maximum profectò nobis Paſtoribus terrorem incuterent; ſed ad alia animus cùm feſtinet, hæc lubens omitto. Verùm ex ſacræ, quas jam vidiſtis, cæremoniæ hoc ipſum indicant. Quid enim eſt, novum hunc Paſtorem, medium a duobus Reverendiſſimis Epiſcopis ad Conſecrantem adduci, & ab eorum altero dici: *Poſtulat Sancta Mater Eccleſia*, cum his, quæ ſequuntur; niſi non hunc ſponte Epiſcopatum ambiiſſe, aut quæſiviſſe, non poſtulaſſe ipſum, ut Epiſcopus fieret; ſed a Sancta Matre Eccleſia poſtulatum eum fuiſſe, ac quodammodo invitum & renitentem, a privatæ vitæ ſtatu ad Prælaturam ſuper ceteros attrahi? Neque enim talia ſunt hæc onera, quæ ambienda ſint potius, quàm fugienda (*a*).

Equidem nonnullas ex multis, quæ in hac Dignitate occurrunt, difficultates breviter perpendamus. Quid, obſecro, Epiſcopali vita eſt difficilius, quid laborioſius? Si enim cujuſlibet Chriſtiani hominis vita eſſe Crux debet, certè Epiſcopi Crucem multò graviorem eſſe oportet, cùm ad hoc ipſe ſit vocatus, ut exemplo ſuo ceteri illam deferre addiſcant. Eſt enim Mundo prorſus, & ſibi mortuus Epiſcopus: *Crucifixit carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis* ſuis (*b*), quod vivit, Deo ſolùm, & propriis filiis vivit; ac pro illius quidem gloria, & pro horum ſalute non impendere ſe dumtaxat, ſed ſuperimpendere (*c*) etiam tenetur, & non dico aurum, non argentum, non prædia, ſed ſanguinem, ac vitam utriuſque causâ profundere, modò velit Epiſcoporum omnium exemplar imitari, Paſtorem illum videlicet optimum, qui *animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis* (*d*). Quid mirum igitur, ſi hæc conſiderans etiam Paulus dixerit: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat* (*e*)? Id autem eo tempore dixit, quo quicumque ad Epiſcopatum accedebat, propiùs ceteris ad martyrium, ad crucem, ad mortem, ad ſupplicia accedebat. Ecce ergo ad quas delicias, ad quas pompas, ad quas voluptates vocatur Epiſcopus. Quòd

(*a*) Præter ſacros Canones, & exempla inſignium Præſulum primævæ præſertim Eccleſiæ, quæ clarè docent, quantum Eccleſiaſtici Viri alieni eſſe debent ab Epiſcopalis dignitatis ambitu, præclaram Legem edidit Leo Imperator Conſtantinopolis. Eam refert Baronius ad annum CCCCLXIX., miſſam ad Armatum Præfectum Prætorio, in qua, poſt damnatam pravitatem eorum, qui arte ſimoniaca Epiſcopatum invadebant, hæc ſubdit: „ Itaque caſtus & humilis noſtris temporibus eligatur „ Epiſcopus; ut quòcumque locorum pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Nec pretio, ſed precibus ordinetur „ Antiſtes. Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat; ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi: Profectò enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus „ invitus.

(*b*) *Ad Galat. V. v.* 24.

(*c*) *II. ad Corinth. XII. v.* 15.

(*d*) *Joann. X. v.* 15.

(*e*) *I. ad Timoth. III. v.* 1.

Quòd si hæc facilia vobis videntur, est profectò Episcopalis dignitas desideranda. At non dubito, quin omnia laborum & difficultatum plena esse animadvertatis. Est igitur necessaria admodum Episcopo sui ipsius omnimoda abnegatio, ac propriæ carnis & voluntatis mortificatio, ut non quod propria voluntas dictat, hoc velit, sed quod Dei tantùm honor, & subditorum commoda postulant; ut vitæ suæ rigiditate ad perniciosissimum hunc hostem, quem nobiscum semper gestamus, vincendum, ceteros impellat; ut Crucem denique ipse prior gestans, quod Christus verbis, hoc ipse dicat operibus ad subditos suos: quod me videtis facere, hoc quoque vos facite (*a*).

Est præterea difficillimum munus Episcopi ob ea, quæ tractat; tractat enim rem pretiosissimam, & quæ maximis pene ac innumeris semper exposita est periculis, videlicet animas illas, quas tanti fecit Dei Filius, ut ipsemet eas pascere voluerit, ut exemplo suo reliquos doceret Pastores, quomodo eas pascere deberent; illas, inquam, animas, pro quibus mortem ipse acerbissimam subiit, & sanguinem tam copiosum effudit: „ Revera (in„ quit Gregorius) mihi videtur esse ars artium, & disciplina di„ sciplinarum, hominem regere, qui certè est inter omnes animan„ tes & moribus varius, & voluntate diversus „. Ad hoc ergo Episcopus vocatur & consecratur, ut diu noctuque animarum intendat saluti, & quò plures ac majores hostes illis insidiantur, eò ipse magis super eas advigilet, & se adversariis omnibus tamquam *murum æreum* (*b*) opponat. Quis verò enumerare possit, quàm multi iique potentes inimici hasce animas undique circumsepiant? Adversatur perpetuò iis Diabolus, earum salutis invidentissimus, qui cùm iniquissimè ferat, eas in locum suum subrogandas, *circuit* continuò *tamquam leo rugiens*, *quærens quem devoret* (*c*); hic mille contra eas movet machinas, mille fraudes, mille tentationum genera. Quid verò non agit ejus hypodidascalus Mundus? Et ipse animas a Christo semper studet retrahere, utpote qui adeò Christum odit, ut numquam conquieverit, donec eum Cruci affigens, putaverit unà cum corpore se perpetuam quoque ipsius memoriam potuisse delere; maximo tamen ductus errore, illum quippe configens, se ipsum destruxit. Caro autem, heu quàm magna est Diaboli sagena, quàm malus hamus, imo quàm mala esca, qua

(*a*) *Joann. XIV. v.* 12.
(*b*) *Jerem. I. v.* 18.
(*c*) *I. Petri V. v.* 8.

qua tot incautæ & infelices animæ Dæmonis tyrannidi subjiciuntur! Quid dicam de innumeris concupiscentiis, quæ in homine perpetuò militant adversùs spiritum (*a*)? Quid de tam multis, quæ exteriùs etiam has easdem animas oppugnant? Quid de tot detractoribus, maledicis, impiis peccatoribus, quibus veluti instrumentis validissimis utitur Dæmon ad animas subvertendas? Longum profectò esset, si vellem omnes hìc animarum hostes, omnes, quæ iis tenduntur, insidias recensere. Hoc tantùm concludamus: animas in hoc Mundo, esse tamquam timidissimas oves in medio innumerabilium luporum & ferarum, eas devorare anhelantium; esse veluti fragilissimas naviculas in immenso mari, mille procellosis fluctibus agitato, mille serpentibus & reptibilibus pleno. Adversùs verò istos omnes hostes, contra has omnes insidias, contra hæc omnia pericula constituitur Episcopus, ut sit animarum dux, pastor, protector, defensor, clypeus, & munimen; ita ut quotquot oves lupi rapuerint, quot animas Dæmones subverterint, pro omnibus iis sit ipse earum zelantissimo sponso, fratri, Domino, Redemptori districtissimam reddíturus rationem (*b*). Videte, filii, quàm difficilis sit Episcopalis status, quàm oporteat Episcopum numquam dormire, numquam otiari; sed mille oculos habere, semper esse solicitum, semper invigilare. Proh dolor! Si *arcta est via, quæ ducit ad vitam*, & pauci per eam incedunt (*c*), si angusta est Cœli porta, si tam difficile est cuilibet in salutis portum propriam animam ducere, ut vix sibi quisque sufficiat; heu! quì poterimus nos, non modò animarum nostrarum, sed aliarum etiam magni numeri curam exercere; qui non modò peccatorum nostrorum, sed èt alienorum sumus reddituri rationem? nos, inquam, a quibus omnis aliorum salus, omne itidem aliorum videtur pendere periculum?

Sed numquid Dii nos sumus? numquid non ejusdem cum subditis nostris nos etiam sumus conditionis atque naturæ? numquid non ex eadem sumus terra generati? numquid non èt nos infirmi & miseri peccatores existimus? Verùm hoc etiam Episcopalis oneris auget mirum in modum difficultatem, quòd nos, cùm Dei gratiâ, sicut èt ceteri, egeamus, ad sanctificandos tamen alios vocemur a Domino. Hoc est, quod maximus ille Pastor

(*a*) *I. Petri II. v.* 11.
(*b*) *Ad Hebr. XIII. v.* 17.
(*c*) *Matth. VII. v.* 14.

Paſtor Moyſes conſiderans, mittenti Domino dicebat: *Quis ſum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto (a)?* Hoc idem deberemus èt nos, Reverendiſſimi Patres, quandoque ad nos redeuntes, nobiſcum meditari: *Qui ſumus nos, ut eamus ad Pharaonem*, ut eripiamus has animas non *de Ægypto*, ſed ex Diaboli poteſtate, éaſque ad cœleſtia paſcua traducamus?

Sed quid ego in ſtatus hujus difficultatibus enumerandis diutiùs immoror? Hæc una ſufficiat, quòd Epiſcopus omnium eſt ſervus. Hinc verò, teſte Sancto Joanne Chryſoſtomo, imo etiam quotidiana comprobante experientia, conſequitur, quòd licèt præſideat univerſo gregi ſuo Epiſcopus, tamen ſubeſſe cogitur omnium judiciis, omnium querelis: unde omnia vèl minima ejus errata non modò ab omnibus notantur (ſicut èt nævi quò magis in conſpicua ſunt corporis parte, magis ab omnibus conſpiciuntur), ſed plerumque etiam, quæ errata non ſunt, ab aliis damnantur; cùm enim in ſublimi ſit loco conſtitutus, & in Eccleſia ceteris omnibus eminentiori loco conſideat Epiſcopus, hinc fit, ut non ſolùm ipſe ſingulos videre cogatur, ſed etiam ipſe ſingulis pateat. Quot idcirco neceſſe eſt ipſum pati injurias, quot detractiones, quot murmurationes! Ecce quòd hodie in ipſum Salvatorem noſtrum, minimè errantem, imo caritatis ſuæ indicia manifeſtiſſima edentem, *murmurabant Phariſæi (b)*. In quàm multorum neceſſe eſt, ipſe incidat odia, a quàm multis etiam ad mortem uſque tendantur ei ſæpius inſidiæ! Unde oportet profectò, fortiſſimum eſſe Epiſcopum, & humana omnia judicia contemnentem; qui coram Dei oculis ſemper ambulet; qui ſe ipſum verbis hiſce cum Paulo conſoletur, dicens: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem (c)*; proinde non curet Regibus, Principibus, ſubditis, agnatis, conſanguineis, affinibus, omnibus denique hominibus diſplicere, modò Chriſto Salvatori placeat; qui norit ovibus ſubditis infirmitatibus, non modò lenia & ſuavia adhibere medicamenta, ſed etiam quandoque ferro ac igne mederi.

Quis hìc ergo non videat, cùm hæc humanas vires excedant, cùm debeat naturam ipſam ſuam Epiſcopus ſuperare, ei continuò ad naturæ Auctorem eſſe confugiendum? Quis non videat, cùm pro ſubditis tot ſint Epiſcopo toleranda incommoda,

(a) *Exodi III. v. 11.*
(b) *Lucæ XV. v. 2.*
(c) *Ad Galat. I. v. 10.*

da, tot ſubeunda pericula, tot ſuperandæ difficultates, ipſos etiam ſubditos, ne fœdiſſimæ ingrati animi culpæ ſint rei, pro perpetuò laborantibus teneri ſemper orare? Et quidem manifeſtiſſimum eſt, hoc fieri debere etiam, ſi harum precum omnis utilitas ad Epiſcopos ſolos ſpectaret. Sed quantò magis, cùm hæc omnia ſpiritualia Epiſcoporum bona in ſubditorum proventum redundent? Annon enim naucleri peritia in emolumentum navigantium cedit? Annon ſtrenui Imperatoris fortitudo militibus prodeſt? Sic etiam boni Prælati ſanctitas, doctrina, fortitudo, & pietas admirandum in modum ſubditos juvat. Inter cetera verò, quæ & nos pro vobis, & vos pro nobis a Deo bonorum omnium largitore petere oportet, præcipuum eſt ſapientiæ donum, non quidem mundanæ aut carnalis, quæ tantùm terrenis quibuſdam doctrinis, & falſis adulterinæ prudentiæ regulis innitatur; ſed cœleſtis & ſpiritualis, illius, inquam, ſapientiæ, quam ampliſſimi Regni ſui initio Salomon, cetera omnia in hujus comparatione quodammodo nihilì faciens, tam enixè poſtulabat a Domino, dicens: *Mitte ſapientiam de Cœlis ſanctis tuis, & a ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit apud te* (*a*).

Profectò ſi èt ipſa, quibus Epiſcopi appellari ſolent, nomina ſpectemus, omnia laborioſum eorum indicant munus. Quid enim Epiſcopus, niſi *ſpeculatorem* ſignificat, quem ſupra Civitatem conſtituit Dominus, quæ cùm continuò a tam multis, ùt jam audiſtis, hoſtibus impetatur, neceſſe eſt, ut diu noctuque vigilet & clamet. Vocantur itidem *Paſtores*; & quæ Paſtorum vita durior? Hi æſtate ac hyeme, poſt oves errare coguntur; hi perpetuò lupos timent, & alia mille. Denique Paſtorem illum audite, qui ſic de ſe loquebatur: *Die, noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis* (*b*). Inſuper *piſcatoribus* Epiſcopi aſſimilantur, ideoque piſcatores fuerunt etiam Apoſtoli: Piſcatorum autem labores nemo ignorat, dum dies integros & noctes in mediis aquis, ut ſibi victum parent, retia tendere coguntur, & plerumque in vanum laborant, cùm nihil capiant: quo nomine, duo in Epiſcopis præcipuè a Domino requiri indicatur, nempe maximam ex parte ipſorum induſtriam ac diligentiam; qua etiam poſita, diffidentiam ſuì habere, & a Deo auxilium petere debent: Oportet namque piſcatores ſibi ipſis haud-

(*a*) *Sapient. IX. v.* 10.

(*b*) *Geneſ. XXXI. v.* 40.

haudquaquam deesse; sed licèt industriosissimi sint, tamen nisi Dominus pisces immiserit, plerumque tota nocte & die laborantes, nihil capiunt (*a*). Sic etiam Episcopi, cùm quidquid potuerint, pro animarum salute peregerint, non tamen earum salutem ab hac illorum industria & opera proficisci, prorsus existiment; sed omnia in Deum referre debent. Sunt etiam *venatores*, de quibus per Prophetam Dominus dicebat: *Et post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur omnes de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum* (*b*); & horum quidem vitam omnes sciunt esse labore & curis plenam, nusquam illos consistere, sed plerumque post feram aliquam aut avem, longissimas Regiones metiri, non montes aut confragrosas rupes refugere, non cibi aut somni desiderio a cœptis retardari, sed semper institutum prosequi, donec voti compotes fiant. Similes etiam perhibentur *agricolis* Episcopi. Bone Deus! Quidnam magis Episcopi vitam exprimit, quàm hoc agricolæ nomen? Quando umquam quiescit agricola, quando non laborat, quando toto corpore non defatigatur? Per hyemem terram colit, semina spargit, vites & campos impinguat; & gulæ cibum, & oculis somnum, & fessis membris quietem denegat: Æstate autem adveniente, num sub dulcibus umbris auram captat? Minimè profectò; sed etiam tunc magis laborat, ut fœnum, ut frumenta, ut vina scindat, metat, colligat, ita ut, si totum annum rite perpendamus, ac veluti in circulum annos singulos ducamus, tota agricolæ vita continuus sit laborum circulus, in quo reperire non sit ullam laboribus metam, in quo succedant hybernis laboribus æstivi, & æstivis hyemales. Hæc, hæc sunt, Reverendissimi Patres, vitæ nostræ exemplaria; ad hoc Episcopi eligimur, & consecramur; ideo ungimur, ut continuò sciamus nobis esse luctandum; ideo pedes nostri calceos induunt, ut sciamus nobis peregrinandum, nostras Diœceses visitandas, pauperrimas etiam Parœcias adeundas, quoniam in illis quoque animæ sunt, tanti apud Deum pretii, quanti sint Regum & Imperatorum animæ; ideo demum baculus nobis traditus, ut accedentes lupos arceamus, & oves ad amœna pascua perducamus.

Est profectò laboriosissima vita nostra; ideo vigilantissimo Pastori Moysi, intoleranda res hæc visa est, dicenti ad Dominum: *Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te?*

(*a*) *Lucæ V. v. 5.*

(*b*) *Jerem. XVI. v. 16.*

te? & cur impofuifti pondus univerfi populi hujus fuper me (*a*)? Animadvertite filii, quia quod vos honorem & dignitatem vocatis, hoc, qui expertus erat, *pondus* appellat; & tantò gravius, quantò non ùt ceteri hominum, quorum unufquifque pondus fuum portabit, fic funt Epifcopi; fed ipfi & fuum, & totius *populi* pondus portant, ideo fubdit: *Non poffum folus fuftinere omnem hunc Populum, quia gravis eft mihi. Sin aliter tibi videtur, obfecro, ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis* (*b*). *Numquid ego* (ait idem) *concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: porta eos in finu tuo, ficut portare folet nutrix infantulum* (*c*)? Debemus fiquidem nos oves noftras *portare*, & aliis quidem Patres effe, alios verò materno amore complecti, ita ut fingulos in cordis vifceribus diligamus, quofdam quidem aliis infolentiores auctoritate paterna cohibendo & corrigendo, aliis verò facilioribus materna vifcera exhibendo: ita tamen erga omnes femper affecti, ut erga fingulos præcipuam geramus caritatem; nec folicitudo erga omnes quidquam deroget peculiari erga fingulos curæ. Ecce hodie, quia non dicit Evangelicus Paftor (*d*) intra fe: nonaginta novem adhuc habeo oves; quid mihi de illa, quam perdidi? Nolo ego eamdem quærens, ulteriùs vagari, ne abfens ab his, omnium jacturam faciam: Verùm relictis in deferto nonagintanovem, poft centefimam abiit; & quanto labore? Ille tantùm novit, qui hoc, quod fub Parabola defignatur, in rei veritate peregit, Dei Filius inquam. Ecce reliquit Angelos, reliquit Cœlos, defcendit in hanc lacrymarum vallem, tot annos peregrinatus eft, toties famem & fitim pertulit, toties eft defatigatus. Et quid quærebas Paftor bone? Heu! quia hanc ovem, quæ perierat, quærebat, humanam naturam. Sed num indignum fortè erat, ut tam multa hominum millia redimerentur, tales labores fubire? Imò verò, fi unica folùm anima redimenda fuiffet, fi ego folus peccator extitiffem, pro me folo, pro me, inquam, folo hæc omnia Dei Filius exhaufiffet. Ah infeliciffime Chriftiane, ingratiffime, crudeliffime! Et tu hanc animam negligis, contemnis, injurià afficis, tam impiè pertractas; quam fanguine, & tam multis doloribus, fudoribus, cruciatibus ac morte Deus ipfe redemit? quam Angelis ferè ipfis antepofuit? nufquam enim illorum, fed noftram apprehendere eft dignatus naturam (*e*). Ape-

(*a*) *Numer. XI. v.* 11.
(*b*) *Ibidem v.* 14. & 15.
(*c*) *Ibidem v.* 12.
(*d*) *Lucæ XV. v.* 4.
(*e*) *Ad Hebr. II. v.* 16.

Aperiamus ergo oculos, Reverendiſſimi Paſtores, quia de graviſſimis rebus agitur; nec ullus erit excuſationi locus, ſi de ovibus nobis commiſſis vel unica perierit noſtrâ culpâ. Timeamus eò magis Deum, quò magis apud ſubditos noſtros videmur poſſe impunes peccare; ſcientes, quia etſi ab ipſis non corrigamur, quorum nos ſumus correctores, habemus tamen Deum omnia videntem, qui *duriſſimum judicium faciet* ſuper *his*, *qui præſunt* (*a*). Peccaverat David in Uriam, cui & uxorem & vitam abſtulerat, tamen Domino dicebat: *Tibi ſoli peccavi* (*b*); nam quæcumque ab hominibus irrogari poſſunt flagella peccantibus, nihil ſunt, ſi cum diſtricto Dei judicio conferantur.

Rogamus ergo vos, dilectiſſimi filii (ut ad finem tamdem accedamus) unà cum Apoſtolo, *ut noveritis eos*, *qui laborant inter vos* (*c*), ne ingrati ſitis iis, qui ſemper ſunt pro vobis ſoliciti, tamquam *pro vobis rationem reddituri*, *ut* illi *non gementes* & triſtes, *ſed cum gaudio* poſſint *hoc facere* (*d*). Juvare debetis eos orationibus, & ſimul obedientiâ veſtrâ, ac erga ipſos reverentiâ eos exhilarare; ut in ſtatu hoc, in quo ad veſtri ſalutem tot ſentiunt labores & difficultates, ſentiant etiam quod ſecundo loco de ipſis ſupra a Sancto Auguſtino dictum audiſtis, nempe apud Deum nil eſſe gratius & dignius, eorum munere; utpote qui Dei ſunt cooperatores in hoc præſtantiſſimo animarum negotio; ab eo ſic miſſi, ùt ipſemet Dei Filius, tanta ſuper omnes mortales auctoritate & dignitate ab eodem inſigniti, tam effusâ gratiæ ac donorum copiâ cumulati, tam ampla denique in Cœlis præmia expectantes.

Præſtate, inquam, vos filii, ut gaudium illud tam grande ſentiant, quod Paſtor hodie Evangelicus amiſſam ovem inveniens ſenſit. Quod quidem gaudium quis explicare queat, quàm ſit immenſum? Profectò, ſi ita gaudent Angeli in Cœlo ſuper unico tantùm peccatore pœnitentiam agente (*e*), quantum erit ſanctiſſimis Paſtoribus gaudium, qui non unicam ovem, ſed integros ovium greges ad cœleſtes aulas propriis impoſitas humeris attulerint? Quàm honorificè a Deo ipſo, ab Angelicis omnibus Choris hujuſmodi Paſtorum in Cœlos excipietur ingreſſus: quàm tunc labores omnes hac de cauſa ſuſcepti, periculaque omnia nihil fuiſſe videbuntur!

(*a*) *Sapient. VI. v. 6.*
(*b*) *Pſalm. L. v. 6.*
(*c*) *I. ad Theſſalon. V. v. 2.*
(*d*) *Ad Hebr. XIII. v. 17.*
(*e*) *Lucæ XV. v. 10.*

Sed finem dicendo facturi, duo dumtaxat audiamus, quorum alterum quidem ad nos Pastores, ad subditas verò oves alterum spectat. Nobis quidem, Reverendissimi Patres, semper in auribus Apostolica insonent verba: *Vide ministerium, quod accepisti a Domino, ut illud impleas* (*a*): *Vide*, quid tibi fuerit injunctum: *Vide*, quid te facturum promiseris Deo; tenetur vox tua, o Episcope, non in tumulis mortuorum, sed in libris viventium; coram Angelis locutus es, & coram Angelorum omnium Domino. *Vide*, ad quid fueris vocatus, quod tuum sit negotium; & vocationi tuæ responde. Vos verò, dilectissimi filii, piissimum illum Populum imitamini, qui ad religiosissimum Regem Esdram locutus fuit, & ex corde Episcopo vestro dicite cum illo: *Surge* Episcope, *tuum est decernere, nosque erimus tecum: confortare, & fac* (*b*). Tuum est nobis viam ostendere, nostrum per eam incedere; tuum præcipere, nostrum obedire; tuum corrigere, nostrum emendare; tuum docere, nostrum discere; tuum prædicare, nostrum audire; tuum regere, nostrum regi; tuum pascere, nostrum pasci. *Confortare ergo, & fac: & nos hic tecum erimus*, ut perpetuò etiam in cœlesti Regno tecum esse possimus. Amen. (*c*).



HO-

(*a*) *Ad Colossens. IV. v.* 17.

(*b*) *Esdræ X. v.* 4.

(*c*) Alteram Consecrationem Episcopi Albensis Ludovici Michaëlis Mantuani habuit eodem anno MDLXXXIV. Sanctus Carolus, die XXV. Junii, atque in ea concionem recitavit de dignitate atque officiis Episcoporum. Eam descripsit Possevinus in suis archetypis tabulis, sed imperfectam reliquit, sicuti etiam duas alias Homilias secundo, & tertio Dominico die post Pentecostem, quas compendiariò tantùm retulit, pronunciatas ab hoc Sancto Antistite, cùm Pastoralem Visitationem perageret.

HOMILIA CXXII.

IN FESTO NATIVITATIS

BEATÆ VIRGINIS MARIÆ

Habita in Basilica Metropolitana Mediolani inter Missarum Solemnia

Sabbato Dominicæ I. post Decollationem

ANNO MDLXXXIV. VIII. SEPTEMBRIS.



INFELIX adeo est, dilectissimi filii, communis humanæ nativitatis conditio, tam deplorandus e maternis visceribus egressus in teterrimum hunc Mundi carcerem, ut meritò ex Ethnicis etiam nonnulli (*a*), digniorem lacrymis & fletibus, quàm festis & gaudio ortum hujuscemodi esse censuerint, & re ipsa, ac exemplis suis, ritibus, ac legibus id nos edocuerint. Bone Deus! Ad quot, obsecro, ærumnas, ad quàm varias multasque nascimur calamitates, ut vèl pauca illa, sed gravissima Job prudentissimi verba, si sola considerentur, id nos apertissimè ostendant! *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis: Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet* (*b*). Ad tam brevem fragilem inconstantem, tot doloribus periculis & laboribus obnoxiam vitam traducendam, edimur in lucem: Et pro hujusmodi nativitate quispiam gaudebit; quin potiùs non dolebit, & contristabitur de tantæ infelicitatis exordio? Verùm hucusque pervênit Ethnicorum, Fidei lumine carentium cognitio. At si nos Christiana Fide

(*a*) Joseph Laurentius Lucensis in Exercitatione *de Natalitiis, Conviviisque* eo tempore instructis, insertà Tomo VIII. Thesauri Græcarum Antiquitatum, post varios enumeratos ritus, olim adhibitos in ortu Infantum, qui omnes festivè agebantur, hæc subdit Cap. III. „ At Thraces contra, suos natales non lætitià, sed luctu fuere prosecuti; emortuales „ verò summo gaudio: Perinde ac si nascamur „ miseriis, moriamur felicitati; hæc enim gens „ candidis, & atris lapidibus dies lætos a tri„ stibus distinguere solebat.

(*b*) *Job XIV. v.* 1. & 2.

Fide illustrati, ulterius mentis oculos dirigamus; heu, quantò majus sese nobis offert lugendi argumentum! Quàm multa in ipsis statim vitæ primordiis occurrunt, singultibus potiùs exprimenda, quàm verbis! Illud unum ab Apostolo Paulo pronunciatum, satis superque ostendit, verissimum esse quod dicimus, nempe vitâ hac nostrâ, & in vitam ingressu, longè esse mortem optabiliorem; siquidem *omnes filii iræ* nascimur (*a*); & cujus iræ? Dei Altissimi. Nascimur Deo exosi, peccatis commaculati; *induimus* cum carne *maledictionem, sicut vestimentum: intrat sicut aqua in interiora nostra, imo sicut oleum in ossibus nostris* (*b*), æternis pœnis obnoxii, perpetuæ damnationi devincti, exules a cœlesti Patria semper futuri. Et erit nostrûm quispiam adeo amens & stultus, qui non videat, quàm sit miserrimum sic nasci? Heu! filii, dicamus cum Tobia: *Quale nobis gaudium esse* potest, qui in tenebris ignorantiæ nascimur, *& lumen Cœli videre non possumus* (*c*)! qui *in iniquitatibus concepti sumus, & in peccatis concepit nos mater nostra* (*d*)! Hinc fit, ut nemini mirum esse possit; si Sacrosancta Mater Ecclesia filiorum suorum, quos veluti dulcissima pignora ad cœlestes sedes præmisit, non dies, quibus ad tot mala sunt nati, sed eos, quibus ab iisdem, per mortem, seu sanguinis effusionem atque martyrium erepti ad æterna gaudia pervenerunt, Natales vocat, & solemnes a nobis haberi decernit.

Nihilominus, ubi aliquorum Nativitates insignes, & illustribus prærogativis ornatæ occurrunt, meritò ipsa & debitis laudibus illas etiam extollit, & inclytis prosequitur gaudiis, filiosque suos omnes ad Sacrosancta lætitiæ excitat signa. Hoc verò hodie efficit in primis, cùm tot modis, tot ritibus & cæremoniis, tot dulcissimis vocibus, in Divinis Officiis, & in Sanctissimo Altaris Sacrificio nos omnes, ut *gaudeamus in Domino, & diem festum celebremus in Nativitate Sanctissimæ Dei Genitricis* invitat. Hic nimirum diversus, ùt ita dixerim, Christi Sponsæ spiritus, quo aliorum Sanctorum mortem, Mariæ verò Beatissimæ ortum colit, tacitè nobis hodie suggerit, o Sanctissima Filia & Dei Mater, o cunctorum mortalium spes unica, o bonorum omnium nostrorum origo, ut, te juvante, nos cum his dilectissimis filiis nostris, & hac tibi devota plebe inquiramus altissimam Nativitatis tuæ dignitatem, & eminentiam supra ceteros homines, qui vitam

(*a*) *Ad Ephes. II. v.* 3.
(*b*) *Psalm. CVIII. v.* 18.
(*c*) *Tobiæ V. v.* 12.
(*d*) *Psalm. L. v.* 7.

tam exordiuntur; unde etiam dilucidè pateat, quàm dignè & meritò hodierna tua Solemnitas omni honore ac veneratione sit recolenda. Erit hoc, filii, nobis propositum thema, quod cùm unica tantùm concionis parte simus expedituri, vos interim eleemosynis erogandis incumbite.

Ac primò quidem Nativitatis hujus præstantiam satis evidentibus signis ipse Spiritus Sanctus plurimis antea seculis ostendit, quando tot eam figuris adumbravit, tot Prophetarum vaticiniis prædixit, toties Sanctissimis Patribus promisit, in ipso etiam Mundi primordio post ipsum statim humanæ naturæ lapsum (a). Verùm, quia in his recensendis, intra brevitatis limites orationis nostræ seriem continere difficillimum foret, nos ortûs hujus splendorem propiùs ac peculiariùs perpendentes, tria circa eum tractabimus, Mariæ nempe progeniem, ac carnis originem; subinde ipsiusmet Nativitatis excellentiam; postremò verò ad quid ipsa sit nata, & ad quem celsitudinis gradum edita in lucem pervenerit.

Neque verò nobis animus est, hodie ingredi amplissimum Mariæ virtutum campum; non in illius laudes effundi, non de ejus profundissima humilitate, integerrimo Virginitatis candore, firmissima Fide, ardentissima caritate, aliisque omnibus Spiritus Sancti donis, quibus superabundavit, disserere. Si enim hic nobis in præsentiarum esset scopus, quis non videat, quanta nos essemus digni reprehensione, qui Mariam Dei Matrem ab externis & alienis, a progenitorum nempe suorum ac Majorum nobilitate, quibus ipsa majorem, quàm acceperit, splendorem contulit, laudare contenderemus? Verùm nos, ùt diximus, hodie numquam satis laudatam, laudandam non suscepimus, sed de sola ejus dignissima Nativitate sermonem instituimus.

Initium igitur Sacrosancti Evangelii a Matthæo scripti, paulo ante ex hoc loco vobis a Sancta Matre Ecclesia promulgatum, incitat nos in primis ad Sanctissimæ hujus Virginis nobilitatem, & insignem prosapiæ sanguinisque splendorem considerandum; si enim nobilis ille censendus est, qui a Majoribus dignitate conspicuis originem traxit, quanta est Mariæ nobilitas, quæ a Regibus, Patriarchis, Prophetis, Sacerdotibus, de Tribu Juda, ex semine Abrahæ, de Regia Davidis stirpe generationis habuit exordium?

Quam-

(a) *Genes. III. v. 15.*

Quamvis autem nos veram nobilitatem, ac Christianam esse eam non ignoremus, quam nobis omnibus Unigenitus Patris attulit, cùm *potestatem dedit eis, quotquot illum receperunt, filios Dei fieri* (*a*), quæ omnibus Christifidelibus communis est dignitas atque nobilitas; non tamen spernendam ullo modo, aut rejiciendam esse nobilitatem duxerimus, quæ secundùm carnem est: Quinimo hanc ipsam etiam, uti singulare Dei donum ac beneficium, qui non cognosceret, pro eaque largitori bonorum omnium Deo præcipuas quoque gratias non referret, is profectò Nobilis nomine esset prorsus indignus, cùm ingrati animi vitio, quo nihil turpius est, Majorum suorum splendorem denigraret. Siquidem plurimùm etiam confert carnis nobilitas ad veram animi claritatem, fructusque non exiguos parit: In primis enim mirum in modum sanguinis splendor, ac Majorum virtus & præclara gesta, nobilem Virum disponunt ad insistendum eorum, a quibus ipse descendit, vestigiis; estque proculdubio suapte etiam natura, ad bonum atque virtutem proclivior, sive hoc ei contingat ob sanguinis conformitatem cum progenitoribus suis, & eorumdem proinde spirituum traductionem, sive ob jugem, quam retinet, memoriam earum virtutum, quas eò habet cariores, quò perpendit, in propriis consanguineis eluxisse, sive demum ob rectam educationem ac institutionem, quam a conspicuis Viris accepit. Hoc certè compertum est, nobilitatem, & parentum splendorem, dignitatem, virtutem, atque potentiam filios ad eadem studia retinenda plurimùm incitare: hinc fit, ut nobiles Viri, naturæ veluti quodam instinctu, honoris sint appetentes, magnanimitatem colant, vilia lucra dedignentur, ea demum horreant, quæ Nobilitate sua reputant indigna.

Est secundo loco Nobilitas veluti stimulus quidam maximus ad capessendas virtutes: In hoc verò differt a primo, quem diximus fructu, quòd eo Nobilem disponit ad recta opera faciliùs amplectendum; secundò autem ad id, quod reddidit facile, vehementes etiam stimulos addit; ac, veluti frænum quoddam, cohibet a vitiis, atque iis, quæ Virum nobilem dedecent, actionibus; efficitque ut si quandoque in aliquod proruerit Vir ingenuus vitium, miro statim quodam pudore suffundatur, ac viribus omnibus curet, illam a se labem abstergere. Ultimus denique Nobilitatis fructus est, quòd, sicut idem lapis pretiosus magis

(*a*) *Joann. I. v. 12.*

magis eſt conſpicuus, auro circumſeptus ac tectus, quàm ferro; ſic eædem virtutes in nobili Viro illuſtriores ſunt, quàm in plebejo; eſtque virtuti maximum ornamentum adjuncta Nobilitas (a).

Verùm non tantum eſt Nobilitati, ac Majorum ſplendori deferendum, quin duo hæc firmiſſimè teneamus: primum videlicet, quòd ſicut in Nobili Viro multò illuſtrior eſt virtus, ita in eodem vitium eſt longè turpiſſimum: Quemadmodum enim ſordes in claro ac perfuſo ſolaribus radiis loco, quàm in obſcuro angulo, & maculæ in aurea, quàm in vili & pannoſa veſte, nævi demum ac cicatrices in fronte, quàm in alia occulta corporis parte faciliùs cernuntur; ſic notabiliora ſunt, ac multò magis perſtringunt intuentium oculos, & turpiùs fœdant peccantium animos, in Nobilibus, quàm in vulgaris conditionis hominibus vitia. Quid enim indignius, quàm adoleſcentem, ab illuſtribus ac ingenuis parentibus ortum, degenerem conſpicere, ac tabernis, ludis, potationibus, & commeſſationibus deditum? Alterum verò eſt, quòd licèt nobiliſſimus quiſpiam ſit, niſi tamen Majorum ſuorum nobilitati proprias addat virtutes, ignobilis protinus efficitur; ceſſat enim in hoc nobilitas, cùm diſcontinuatur virtus, ut ſi qua in eo ſuperſint ſplendoris veſtigia, ſint certè inutilia: neque enim in eodem finem ſuum conſequuntur, ut nempe eum ad præclara facinora reddant procliviorem, ſintque ei ad virtutes ſtimulus, ac frænum cohibens a peccando; eſtque omnis nobilitas ſummo illi dedecori, quàm honori vèl minimo.

(a) Joannes Baptiſta Poſſevinus in Vita S. Caroli Cap. I., agens de nobiliſſima Borromea Familia, e qua Sanctus hic Antiſtes originem trahebat, refert, eumdem adeò parvî feciſſe ſplendorem, quem a Majoribus ſuis acceperat, ut proprium quoque Cognomen depoſuerit, ſe ipſum *Cardinalem Sanctæ Praxedis* tantummodo inſcribens; ſtatimque ſubdit: „ Tuttavia mi „ ricordo io, che il giorno della Natività della „ Madonna, immediatè antecedente la ſua mor„ te, diſcorrendo Carlo Cardinale ſaotiſſimo col „ ſuo Popolo in Milano nel Duomo, in pulpi„ to, delle cauſe per le quali S. Matteo Evan„ geliſta (Cap. I.) va deſcrivendo la genealo„ gia del Redentor noſtro, e moſtrando, di „ quanto nobile lignaggio di Sacerdoti, Pro„ feti, Patriarchi, e Regi la Madre ſua bene„ detta, ed eſſo diſcendeſſero, piiſſimamente „ inſieme e dottiſſimamente coochiuſe, che „ queſto ancora è grazia e dono di Dio, l'eſ„ ſere nobilmente nato, ne ſi può ſenza nota „ d'ingratitudine diſpregiare; poichè la nobil„ tà de' Parenti prima è un acutiſſimo ſtimolo „ a' diſcendenti alla virtù, ed è freno grandiſ„ ſimo del vizio: Oltre che quella ſteſſa no„ biltà e corriſpondenza di ſangue sì per i riſ„ petti detti, come anco per la conformità „ delle inclinazioni canſate dall' iſteſſo ſan„ gue, ajuta non poco a ſeguire la virtù, ed „ avere in abominazione e ſchiſo il peccato. „ Concluſe anco, che queſta Nobiltà, ſiccome „ fa nel Nobile aſſai più brutto e biaſimevole „ il peccato, che in un Ignobile; così fa an„ co nell' iſteſſo, molto più coſpicua e rilu„ cente la virtù: Ne più ne meno di quello, „ che aſſai più riluce una gioja o pietra pre„ zioſa legata io oro od in argento, che in „ piombo o in ferro „. Hæc adnotare placuit, ut aliqua ex verbis ipſis a Sancto Carolo italicè e ſuggeſtu prolatis Lectori offerte poſſemus; cùm reliquum hujus Concionis, ſicuti èt aliarum, nonniſi latinè a Poſſevino redditum habeamus.

Et hoc est, quod exprobrabat Christus Dominus Pharisæis, se se jactantibus, quòd Abrahæ filii essent, dicens: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite* (*a*); ejus enim se quilibet jactare potest esse filium, aut nepotem, ac nobilitatis participem, cujus vitam imitatur atque virtutes. Ideoque iisdem a Domino dicebatur: *Vos ex patre Diabolo estis* (*b*); imo etiam a Præcursore Christi Sanctissimo *genimina* vocabantur *viperarum* (*c*).

Quis verò adeò inscius sit atque imprudens, qui jam dubitandi locum inveniet de suprema Mariæ Virginis Sanctissimæ Nobilitate? Quis nesciat, eam non modò Progenitorum virtutes æquasse, sed longè maximè illis excelluisse, adeoque nobilissimam ipsam meritò & dici posse, & debere, eò quòd tot illustrium Patriarcharum, Regum, Prophetarum, & Sacerdotum, quorum hic in Evangelio hodierno series describitur, splendor in ea maximum ceperit incrementum?

Verùm dicet quispiam, quanam ratione ex tot recensitis Avis & Proavis Mariæ Nobilitas colligi possit, cùm Josephi describatur origo, qui Mariæ fuit Sponsus? Sed qui Sacras Scripturas diligentiùs evolverit, dubitationem hanc facillimè solvet: Quoniam enim Divina lege cavebatur, ne qua Virgo, præsertim in hæreditatem successura, extra propriam Tribum Virum acciperet (*d*); ideo clarissimè patet, ex eadem Tribu & familia fuisse Joseph, & Mariam, unamque & eamdem, ex descriptione hac generationis humanæ Filii Dei, utriusque patère Nobilitatem. Præterquamquod duo adhuc Matthæum, Spiritu Sancto suggerente, impulerunt ad describendum Josephi progeniem: nam cùm ipse Hebræis scriberet Evangelium; scirent verò illi, Messiam de semine Abrahæ, & de stirpe David proditurum; nossent quoque, Joseph Christi Patrem esse, licèt non esset verus, sed putatus; idcirco hinc edocti, Josephum, quem Christi Patrem verum censebant, ab iis descendere, unde erat Messias futurus, nullatenus poterant inficiari, Christum verum esse Messiam promissum gentibus; quapropter statim sub ipsius initium dicitur: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham* (*e*); utrique enim expressiùs, quàm ceteris, sæpius fuerat tanta Messiæ proles promissa.

Tertiò

(*a*) *Joann. VIII. v. 39.*
(*b*) *Ibidem v. 44.*
(*c*) *Lucæ III. v. 7.*
(*d*) *Num. XXXVI. v. 6. & seqq.*
(*e*) *Matth. I. v. 1.*

Tertiò demum, o dilectissimæ filiæ, (hoc enim ad vos spectat) describitur Josephi progenies, & non Mariæ, ut discatis, non superbire, neque insultantes adversùs Viros vestros dicere: Ego nobilitatem in tuam domum invexi; ego tibi honorum claritatem attuli; mihi, quidquid habes dignitatis, o Vir, debes acceptum referre. Verùm scitote, idque constantissimè animis vestris insculpite, Uxoris familiam, decus, nobilitatem, non aliam esse debere, nisi eam Viri; atque detestandas esse Uxores illas, quæ se se Viris suis præferre ullo modo audent, vel (quod pejus est) erubescunt Virorum suorum familias; earumque gentilitia cognomenta reticent, propria originis suæ tantummodo commemorantes. Verè Diabolicus est hic superbiæ spiritus. Quæ est enim familia Mariæ? ea quæ Josephi. Quæ Tribus, quæ Domus, quæ Nobilitas Mariæ? ea, quæ Sponsi sui Josephi. Hoc Christianas Conjuges, verè nobiles, & Deum timentes maximè decet.

Sed non parvus adhuc dubitandi locus cuipiam relinqui potest, qua nempe intentione Spiritus Sanctus, qui prudentissimè omnia ad insignem dirigit scopum, generationis hujus Salvatoris Nostri Domini Jesu Christi seriem describi voluerit: Num fortè, ut ex hoc capite, aliquis nobilitatis splendor Dei Filio adderetur? Minimè profectò; imo potiùs ob prorsus oppositum finem; ut scilicet disceret mundana sapientia, quàm parvi facienda sit carnalis nobilitas, & quantùm eam Dei Filius contempserit; atque ut hinc infinita Dei Filii humilitas clariùs eluceret, cùm præter id, quo uti Deus fruebatur, etiam uti homo nobilissimus esset, utpote a Regibus & Patriarchis originem trahens; attamen in omni vita sua adeò paupertatem coluit, ut *vulpes foveas haberent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non haberet, ubi caput suum reclinaret* (a); in morte verò post tolerata tot supplicia totque ludibria, medius inter duos latrones, vilissimum hominum genus, tamquam sceleſtissimus prædo, Cruci voluit pro nobis affigi. O Nobiles, Nobiles videte, quomodo nobilitate vestra uti debeatis. Et quanam fronte Crucem, quam nobilissimus etiam secundùm carnem Dei Filius præfert, recusare poteritis? Confundere superba nobilitas, & disce, quia nihil superbià ignobilius, prout e converso humili nobilitate nihil est amabilius. Profectò, si Dei Filius ignobilis natus fuisset (quod

(a) *Lucæ IX. v. 58.*

tamen de ipso excogitare, a quo omnis pendet vera nobilitas, esset blasphemum) fortè ab ejus jugo tollendo vos aliquatenus eximere potuissetis. At quis vestrùm umquam adeò sanguine illustris secundùm carnem extitit, ac ipse? Jure igitur ac meritò, dum ejusdem mores intuemini, non potestis non confundi, non erubescere. Quamobrem nobilitas hæc Christi nobis hodie ob oculos ponitur; licèt non ignorem, hujus rei primam & literalem causam eam fuisse, quam attigimus, ut nempe Christus Dominus verus Messias promissus, de semine Abrahæ, & de stirpe David esse comprobaretur.

Equidem, dilectissimi, hodiernum Evangelium quibusdam sterilissimum esse videtur, unde nihil ad meditandum elici possit, cùm nihil, præter nomina, complectatur. Sed heu! quàm magna considerationum seges se se mihi offert, cùm seriem hanc descriptam accuratiùs perpendo! Annoto enim in primis, quàm magnum insit supremis dignitatibus periculum, quàm parùm tuta sit regnorum majestas. Siquidem ex tot Regibus hic enumeratis, soli tres in Ecclesiastico justi fuisse perhibentur, David scilicet, Josias, & Ezechias (a), quia Idola non coluere. Ecce ergo, quomodo illi, dum attollerentur, dejecti sunt; in summo honorum, divitiarum, potentiæque fastigio constituti corruerunt; regnantes regno se se privarunt æterno. Quantò illis fuisset consultius atque utilius subesse, quàm præesse! Ecquis adeo est amens, qui in securo demissioris status & obedientiæ loco positus, asperam Principatus rupem ac præcipitia, maximo cum æternæ vitæ discrimine conscendere cupiat? Non est profectò nisi insanientium, Regibus & Principibus, ac iis, qui ceteris præsunt, invidere; lacrymis opus est illos prosequi potiùs, quàm invidiâ; satiusque est, orationibus eosdem juvare, quàm dignitatem, qua ornantur, ambire.

Insuper mente revolvo, quanta sit successionum fallacia; quàm crebrò ex piis religiosisque progenitoribus, scelesti & improbi prodeant filii ac nepotes, & e converso plerumque ex improbis parentibus, & avis ac proavis, filii sanctissimi in lucem educantur. Ecce Joseph justissimus, Maria, Virgo integerrima, ipsemet Dei Filius, Sanctitatis omnis fons & origo, in genealogiæ suæ serie, scelestos aliquos ac Deo invisos habuerunt: ipsi autem veluti suavissimæ rosæ ex spinis pungentibus prodeunt.

Tertiò,

(a) *Ecclesiastici XLIX. v. 5.*

Tertiò, quis hìc non expendat, quàm fragilia & inconſtantia ſint quæcumque Mundus tanti facit, opes nempe honores ac dignitates? Ecce quò devenerunt tot Reges & Sacerdotes; ecce immenſæ illæ Salomonis opes, ampliſſima ejuſdem poteſtas, quem exitum habuit, ubi deſiit? videlicet in Joſeph pauperrimo fabro lignario, qui *in ſudore vultus ſui veſcebatur pane ſuo* (*a*), qui manibus ſuis ſibi victum comparabat. Tot opes & ſplendores, tanta auri argentique copia, tot throni, regia ſceptra, numeroſa famulitia, tot Provinciarum & Regnorum adminiſtratio prorſus periere. Verè *omnis caro fœnum*, *& omnis gloria ejus quaſi flos agri* (*b*), qui mane rubicundus & pulcher apparet, veſpere *in clibanum mittitur* (*c*): Verè omnia ſunt *vanitas vanitatum* (*d*). Verè ſub Sole nihil eſt firmum & conſtans.

Nobilis adeo erat Joſeph, nec tamen dedignabatur mechanica arte victui neceſſaria perquirere. Quid jam reponitis infeliciſſimi Nobiles, qui licèt in paupertatem decideritis, quia tamen aliquem a Majoribus ſplendorem recepiſtis, hanc rerum viciſſitudinem non vultis agnoſcere; qui turpe reputatis, ſi, uti Chriſtianos decet, veſtris manibus victum vobis comparetis; ſed vultis potiùs otioſam vitam ducentes, pauperes opprimere, furtis & rapinis, ac mille protervis artibus libidinem veſtram & appetitus explere. Et utinam peſtis iſta ſuperbiæ etiam in mulieribus multis Mediolanenſibus non vigeret, quæ èt ipſæ fucatam hanc nobilitatem ſpectantes, ad extremam tamen inopiam & paupertatem redactæ, juvenibus vagis & dementibus, otioſis, injurioſis, & contumelioſis jungi matrimonio malunt, quàm pauperibus adoleſcentibus probis, qui Deum timentes manibus ſuis operando, alimentum & neceſſaria ſibi, uxoribus, ac filiis ſuis acquirant! Heu, quale monſtrum! quàm Deo, & Angelis, ac hominibus inviſum eſt pauper ſuperbus (*e*)! Hoc in Moab deteſtabatur Dominus dicens: *Audivimus ſuperbiam Moab*, *ſuperbus eſt valde: ſuperbia ejus*, *pluſquam fortitudo ejus* (*f*); & alibi, *quia plus fecit*, *quàm potuit*, *idcirco perierunt* (*g*).

Poſſent alia quamplurima hinc elici, ſed quoad primum caput, nempe ut dignitas Nativitatis Mariæ a præcedenti Nobilitate

(*a*) *Geneſ. III. v. 19.*
(*b*) *Iſaiæ XL. v. 6.*
(*c*) *Matth. VI. v. 30., & Lucæ XII. v. 28.*
(*d*) *Eccleſiaſtes I. v. 2.*
(*e*) *Eccleſiaſtici XXV. v. 3. & 4.*
(*f*) *Iſaiæ XVI. v. 6.*
(*g*) *Jerem. XLVIII. v. 36.*

litate comprobetur, iſta ſufficiant. Naſcentis autem Virginis excellentia ex ipſomet ortu abundè colligitur, qui duplici potiſſimùm ratione inſignis apparet; tum quia non ſine miraculis, & quidem pluribus, in lucem prodiit Maria; tum quia gratiæ imbribus adeo fœcundata eſt, ut in eam, quaſi in ampliſſimum quoddam mare, gratiarum omnium, quæ puræ ulli creaturæ umquam fuerint conceſſæ, fluvii decurriſſe videantur.

Quo verò ad primum, triplex in hoc Mariæ ortu effulſit miraculum, alterum quidem ex parte Patris, duo autem ex parte Matris. Joachim ſenex erat, atque ætatis ineptæ ad filios procreandos; Anna Mater, præterquamquod èt ipſa provecta nimiùm annis erat, ac etiam ſterilis habebatur: Unde, Maria naſcente, fœcundatur Matris ſterilitas, Parentis utriuſque gelida ſenectus caleſit ac roboratur; & quod natura deſperaverat, obtinent effuſæ ad Dominum piæ preces. Nec immeritò hæc omnia, cùm Maria naturæ humanæ infirmitatem in ſe longè eſſet prætergreſſura; & quia æquum erat, ut quæ in carne cœleſtem vitam ducere debebat, cœleſtibus potiùs orationum ſuffragiis, quàm naturæ viribus generaretur. Oratio ſanctiſſima, quid apud Deum non potes? Quid ego jam tempus teram in laudibus tuis recenſendis, cùm nulla major hac non poſſit audiri, nempe quòd tuus fructus fuerit ortus Mariæ? tu enim nobis Dei Matrem impetraſti. Diſcite Auditores, qui diu filios deſideraſtis, diſcite mulieres ſterilitatis veſtræ impatientes, quibus mediis aſſequi a Domino id valeatis, quod peccatis veſtris plerumque denegatur; ſcilicet non medicinis, non ſortilegiis, non incantationibus, aut maleficiorum remediis, ſed piis lacrymis, & ſingultibus, ac jugibus ad naturæ Dominum precibus, *qui voluntatem timentium ſe facit* (*a*), nec patitur umquam ſperantes in ſe confundi (*b*). Quàm ergo inſignis eſt iſta Nativitas, ad quam illuſtrandam tot confluxere miracula!

Verùm, quot etiam prærogativas & gratiarum ornamenta, credendum eſt poſuiſſe Altiſſimum Deum in domo hac, quam ſibi ædificabat? hæc eſt enim *domus* illa Regia, quam *ædificavit ſibi Sapientia*, in qua *excidit columnas ſeptem* (*c*), omnimodis eam Sancti Spiritus donis exornans. Quòd ſi ad Tabernaculi materialis ſtructuram, tanto ſpiritu repleverat Dominus (*d*) Beſeleel ejuſ-

(*a*) *Pſalm. CXLIV. v. 19.*
(*b*) *Eccleſiaſtici II. v. 11.*
(*c*) *Proverb. IX. v. 1.*
(*d*) *Exodi XXXI. v. 2. & ſeqq.*

ejusque socios Artifices; ad Divinæ Sapientiæ Tabernaculum, ad formandam Sanctissimam illam Humanitatem, Divinitati jungendam, electa Maria, o quanta est plenitudine gratiæ locupletata!

Quæ quidem omnia, licèt sint maxima, hoc tamen unicum, quod a subsequentibus effectibus desumitur, abundè gloriosissimæ hujus Nativitatis dignitatem ostendit, quodque etiam ultima Evangelii indicant verba, videlicet *Virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus* (*a*). Quid majus, quid amplius dici potest, quàm quòd hodie nascitur, quæ futura est Dei Mater? Et quæ verba umquam sufficiant ad prærogativam hanc dignis præconiis celebrandam? Certè nulla: Sicut enim Deus nullis terminis potest comprehendi; ita quàm magnum sit, Dei Matrem esse, nulla valet lingua proferre. Satius ergo est, silentio hoc venerari quàm minùs æquis laudibus ejusdem præstantiam obtenebrare.

Quàm igitur jure optimo celebrat Sacrosancta Mater Ecclesia Nativitatem hodiernam! Si utilitatem suam spectans eadem Ecclesia, Joannis Baptistæ Nativitatem, plusquam diem mortis, quæ Joanni majora attulit commoda, solemniori cultu prosequitur, eò quòd ortu suo præcurrat Christi ortum; quantùm nos oportet hoc Festum celebrare, quo non modò nascitur, quæ Salvatoris nostri Nativitatem præcurrit, sed quæ illius futura est Mater? Equidem, quamvis inter omnes Mariæ Sanctissimæ solemnitates Festum ejus Assumptionis, primum videatur locum obtinere; si nostra tamen commoda spectemus, præsens ejusdem ortûs dies videtur præcipuus; repræsentat enim hæc Mariæ Nativitas omnium in nos Christi beneficiorum atque gratiarum initium. Quo enim medio nos ab æternæ damnationis interitu fuimus liberati, e durissima Satanæ tyrannide erepti, Deo reconciliati, ac Dei filii effecti, nisi per Christi Humanitatem? Hanc verò quis contulit Dei Filio, nisi Sanctissima Mater ejus Maria? Ipsa eum de suo purissimo sanguine & visceribus genuit, suo eum lacte enutrivit, ac hominem effecit. Verè, dulcissime mi Domine, *beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti* (*b*). Beatissima illa, quæ meruit suo te in utero, suis te in ulnis gestare, ac continere, quem Cœlum, & Cœli Cœlorum capere non possunt. Lauderis ergo tu in æternum, in Matre; benedicta & laudabilis

(*a*) *Matth. I. v.* 16. | (*b*) *Lucæ XI. v.* 27.

lis ſis quoque tu Virgo Maria, quia ex te ortus eſt nobis Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter, qui ſolvens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donavit nos vitâ ſempiternâ; ad quam precibus ac patrocinio tuo det nobis Filius tuus, ut aliquando pertingamus. Amen. (*a*).



HO-

(*a*) Alteram Concionem habuit Sanctus Carolus a prandio, antequam Sanctiſſimi Roſarii Supplicationem iniret, eamque in ſuas tabulas retulit Poſſevinus, ſed inexpolitam reliquit. Argumentum Sanctus Antiſtes cepit a Lectione, in Miſſa ſolemni mane recitata: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur?* &c., atque in laudes Beatiſſimæ Virginis ſe ſe effudit, oſtendens, eam fuiſſe gratiâ plenam antequam naſceretur, multòque magis, cùm effecta eſt Dei Mater, & cùm in Pentecoſte Spiritum Sanctum recepit: hanc autem gratiæ amplitudinem minimè ocioſam ab ipſa fuiſſe relictam; ſed, cùm quotidie in ſanctis operibus progrederetur, eamdem in immenſum auxiſſe, ob inſignem caritatis flammam, quæ in ejus pectore ardebat, ſemperque incendebatur ex familiari conſuetudine cum Chriſto, atque ex obſequio & famulatu, quem ei continuò præſtabat.

Subinde ad Populum ſermonem convertens, ait: hunc eſſe modum capiendi fructum ex Feſtis Sanctorum diebus, conſiderando, quis ille fuerit Martyr, aut Confeſſor, videlicet ſecundùm naturam ſimilis nobis, fragilis, infirmus, ſecundùm verò gratiam fortis, imperterritus, conſtans; eos poſtmodum cum nobis comparando, ac cum pudore inſpiciendo, quàm inconſtantes ſimus in Dei ſervitute, utpote qui, ſicut arundines, omnibus tentationum ventis, licèt leviſſimis, ſtatim proſternimur.

Aggreſſus autem verba illa explanare: *Quaſi aurora conſurgens*, expoſuit, quàm verè id tribueretur divinæ Matri, cùm ipſa in ortu ſuo noctem ignorantiæ, Idololatriæ, aliorumque omnium errorum, quibus Mundus involvebatur, fugare cœperit, veluti *aurora;* atque Auditores ſuos hortatus eſt, ut denſas vitiorum tenebras, & obſcuriſſimam peccati noctem a ſe ipſis depellerent.

Demum omnes excitavit ad promptè excipiendas Mariæ voces, quibus nos ad ejuſdem patrocinium quærendum invitat, inquiens: *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & a generationibus meis implemini;* id enim Mundus numquam dicere poterit ſuperbis, voluptuoſis, avaris, ceteriſque aſſeclis ſuis, cùm numquam illius opes, deliciæ, atque honores implere animas poſſint, infiniti boni capaces.

HOMILIA CXXIII.

IN EVANGELIUM LUCÆ

CAP. X.

Habita a prandio in Templo Maximo Mediolani (a)

Dominica III. poſt Decollationem Ritu Ambroſiano

ANNO MDLXXXIV. XVI. SEPTEMBRIS.



DEO bonus eſt, dilectiſſimi filii, Dominus Deus, ut ex ſumma etiam noſtra malitia, maxima plerumque bona noſcat colligere. Sic ex primo Protoparentis noſtri peccato, & miſerrimo lapſu tam ſingularis in humanum genus dignationis occaſionem arripuit, ut Deus ipſe fieret homo, & nos ab ærumnarum barathro, ad æternæ felicitatis culmen attolleret. Unde meritò hæc conſiderans Sancta Mater Eccleſia, & quanta hominum ruinam ſit ſubſecuta ſublimitas perpendens, dicit: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem* (*b*)*!* Sic hodie Redemptor noſter Dominus Jeſus in ſacro-

(*a*) Mos fuit Sancto Carolo vices Concionatorum e ſuggeſtu implere, cùm aliqua illos ab hoc officio præſtando cauſa fortuita removeret. Id contigit hodierno die; abſente namque P. Panigarola, cui munus demandaverat Sanctus Antiſtes, ut ſingulis diebus Feſtis mane & veſpere in Metropolitana Baſilica ſermonem ad Populum haberet, ipſe a prandio hanc provinciam geſſit, ne grex ſibi dilectus verbi Divini jejunus ab Eccleſia recederet: Siquidem tam uberem concionandi ſegetem ſibi paraverat, ut, quavis oblatâ occaſione, ex tempore verba faceret. Narrat Gluſſianus in ejuſdem Vita Lib. VII. Cap. VII. inſtitutas ab eo fuiſſe ſpirituales Exercitationes (quæ adhuc perdurant) in Templo Sancti Sepulcri, tribus integris ante Quadrageſimam hebdomadis, ut Populum ab inſanis Bacchanalium ſpectaculis amoveret. Quotidie ibidem duo ex celebrioribus ſacris Oratoribus publicè perorabant, ipſomet Antiſtite audiente, cùmque ad exitum perveniſſent, Sanctus Carolus in Epilogum redigens geminas Conciones, novas ſententias, altero cœleſtis ſpiritûs pleno ſermone, addebat, maximo cum fructu Auditorum.

(*b*) Recitantur hæc verba in benedictione Cerei Paſchalis, ritu Romano.

ſancto Evangelio, quod hoc mane vobis in Miſſa Sanctiſſima fuit recitatum, ex inſidioſa cujuſdam Legiſperiti eum tentantis interrogatione, occaſionem ſumpſit, ſaluberrimam nobis tradendi caritatis in Deum, & proximum doctrinam.

Quis verò noſtrùm non videat, quàm præclaram hinc poſſimus cum ceteris converſandi rationem addiſcere, ita ut non modò ex aliis nihil nos detrimenti patiamur, ſed fructus potius maximos percipiamus? Id verò poſſumus triplici potiſſimùm vià: vel ex ipſis malis bonorum occaſionem ſumentes, ùt ex contumeliis & injuriis tolerantiam, ex adverſitatibus patientiam, ex aliorum indigentia, caritatis & miſerationis affectum: vel ex aliorum bonis perfectiſſimas quaſque virtutes ſeligentes, eaſque nobis ad imitandum proponentes, qua ratione Sanctiſſimus Antonius Sanctorum vitas in ſe ipſo ſtudebat effingere: vel demum (quod præcipuè hodie docemur) ex aliorum malis, ſi quæ ſunt bona, ſi quæ digna, ſeparantes, eaque ad uſus noſtros accommodantes; quod qui faciunt, videte, quæſo, quonam illos Optimus Deus noſter dignetur honore, inquiens: *Si enim ſeparaveris pretioſum a vili, quaſi os meum eris* (*a*): Hujuſmodi namque viri ſunt prudentiſſimi; roſas ſiquidem ex omnibus ſuaviſſimas, ſpinis relictis, colligunt, ac licèt undequaque roſas ſpinæ circumdent, eas tamen abſque ulla ſuî læſione decerpunt.

Quales hodie dilectiſſimi, & quàm graves in hodierni Evangelii Legiſperito ſunt ſpinæ! Invida rabies, inteſtinum odium in Dei Filium, inſidiæ latentes ſub prætextu virtutis, captioſa interrogatio, ſimulatio, cùm Magiſtrum vocat; cùm interrogat, non ut diſcat; cùm denique *illum tentans* petit: *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo* (*b*)? Pungunt hæc omnia, ſpinæ ſunt acutiſſimæ. Sed numquid, juvante Deo, ex his ſpinis ſuaviſſimam roſam non poterimus elicere? Poterimus ſane. Ea verò erit, ipſamet Legiſperiti interrogatio, nempe: *Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo* (*c*)? Hæc enim nos in primis excitabit ad finem noſtrum inquirendum, & media indaganda ut illum conſequamur, in quo omnis conſiſtit Chriſtiana prudentia. Felices profectò ac beatos illos, qui Phariſæi hujus verba ſæpe repetent ex corde, quoſque continuò exſtimulabit ſancta hæc ſolicitudo! Ut autem pateat, quàm neceſſaria ſit, qualiſque ea eſſe

(*a*) *Jerem. XV. v. 19.*
(*b*) *Lucæ X. v. 25.*
(*c*) *Ibidem.*

esse debeat (ceteris omissis, quæ audivistis hoc mane, dum vobis explicaretur sacrosanctum Evangelium) breviter ostendemus.

Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Commendat valde, imo necessariam prædicat Paulus Apostolus nobis Pastoribus, & animarum curam gerentibus, Reverendissime Archiepiscope (*a*), hanc solicitudinis virtutem, cùm ait: *Qui præest in solicitudine* (*b*). Et profectò solicitos admodum nos esse oportet, qui non modò de nobis, sed de plurimis animabus Deo adeo dilectis reddituri sumus districtissimam rationem (*c*), qui fidejussores sumus pro tam multis; ideoque meritò Sapientissimus nostrî misericordiâ motus, nos tam instanter, ut soliciti simus, admonebat: *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum: Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, & quasi avis de manu aucupis* (*d*). Quantam requirit, obsecro, solicitudinem in nobis hic Sapiens! Quid ergo mirum, si Paulus Pastorum exemplar, de se ipso scribebat, tanta se *quotidiana instantia, & Ecclesiarum omnium* angi *solicitudine* (*e*)?

Verùm, ne ob id arbitremini, dilectissimi filii, ad nos solos Pastores spectare solicitudinem, vobis verò liberum esse dormire, otio torpescere, & non secus ac ii, qui in portu tutissimo confident, jucunda perfrui securitate. Nam etiam vestrûm quilibet anxius esse debet pro fratre suo: *Unicuique* enim *mandavit* Deus *de proximo suo* (*f*); & hoc est, quod implicitè Dominus hodie Legisperito indicat, præcipiens, (imo potius quod in lege præcipitur, confirmans) ut diligat unusquisque proximum suum, sui ipsius ad instar (*g*); amor quippe perfectus non potest curam ac solicitudinem continuam non parere: quos enim verè diligimus, si periclitantes videmus, miseratione prosequimur,

(*a*) Quis esset ille Archiepiscopus, in hac Concione a Sancto Carolo memoratus, arguere possumus ex intima necessitudine, qua noster Antistes prosequebatur Cardinalem Gabrielem Paleottum, Bononiæ primum Archipræsulem, eo titulo a Gregorio XIII. donatum anno MDLXXXII. Cùm autem Sanctus Carolus hoc anno MDLXXXIV. duos Mediolani Episcopos consecraverit, nempe Ludovicum Michaëlem Albæ in Montisferrati regione, & Octavium Paravicinum Alexandriæ, quemadmodum tradit Glussianus Lib. VII. Cap. IX., non abs re est opinari, huic postremæ a S. Carolo peractæ Sacræ inaugurationi Paleottum interfuisse, ac usque ad præsentem Dominicum diem in hac Metropoli moram traxisse.

(*b*) *Ad Roman. XII. v.* 8.

(*c*) *Ad Hebr. XIII. v.* 17.

(*d*) *Proverb. VI. v.* 1. *& seqq.*

(*e*) *II. ad Corinth. XI. v.* 28.

(*f*) *Ecclesiastici XVII. v.* 12.

(*g*) *Lucæ X. v.* 27.

mur, & fubfidio, quantum licet, juvamus; fi in tuto effe confpicimus, timemus, ne non diuturna futura fit eorumdem incolumitas. Itaque femper foliciti fumus, & quod de corporis bonis dicimus, multò magis de animarum proventu eft intelligendum.

Cùm verò tantum aliis debeamus, quis non videat, quantum pro nobis ipfis fit peragendum? Annon ftultus ille effet, qui ceteros rectum ac tutum iter doceret, is autem fponte fe fe præcipitem daret? Debet ergo quilibet de propria effe falute folicitus, ac cum hodierno Pharifæo, fed aliâ, quàm ille, intentione perpetuò cogitare: *Quid faciendo vitam æternam poffidebo* (*a*)?

Et profectò non defunt nobis maximæ hujus folicitudinis caufæ ac continui ftimuli. Quæ enim Civitas aut Arx, potentiffimis circumquaque oppugnata exercitibus, incolas fuos perpetuò folicitos non teneret? At verò noftra hæc anima, tam multis undique impetitur fortiffimis adverfariis; & fecura quiefcet? Audite, quid Paftorum Princeps hac de re moneat: Fratres *fobrii eftote, & vigilate, quia adverfarius vefter Diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret* (*b*). Væ profectò oviculæ illi, quam extra gregem, procul a paftore errantem, invenerit infernalis hic lupus! Væ animabus illis, quas dormientes, & extra vigilantiæ clauftra vagantes repererit diabolicus ferpens! Non tanta rabie lupus diuturna fame agitatus miferos agnos dilaniat ac difcerpit, quantâ maledicus Dæmon animas infelices, fi quando poteft, deglutit. Soliciti fimus ergo, filii, quia fortiffimus eft hic *adverfarius nofter*; & non dormit, fed vigilat, *circuit*, *quærit*; nec apud eum eft, invenire ullum mifericordiæ locum; ardet enim inteftino ac infatiabili odio in nos, per quos videt fedes illas, e quibus ipfe miferrimè fuit depulfus, repleri. Quòd fi fortè effemus nos quoque ex parte noftra fortiffimi, & qui ei facilè foli poffemus obfiftere, daretur aliquando quieti locus, ac tantæ folicitudinis intermiffio. Verùm imbecillimi fumus, filii, ac licèt fpiritu ad alta quandoque videamur attolli, habemus tamen deprimens carnis pondus; *& ex nobis, tamquam ex nobis*, fine fuperno adjutorio poffumus nihil (*c*). Ideo animarum noftrarum amantiffimus Dominus Jefus, Difcipulos fuos tam foli-

(*a*) *Lucæ X. v.* 25.
(*b*) *I. Petri V. v.* 8.
(*c*) *II. ad Corinth. III. v.* 5.

ſolicitè vigilare præcipiebat, dicens: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma* (*a*). Præterquamquod Mundus hic totus (ùt ſanctiſſimo Antonio per viſum fuit oſtenſum) tot laqueis & retibus eſt plenus, ut impoſſibile videatur, quin capiamur. Sicut ergo nulla navis in mediis procellis ſecura conſiſtit, nulla fera inter captioſas venatorum inſidias; ſic nos infeliciſſimè proruemus, ſi conſtantiam in vigilando abjecerimus, veluti ſi ea ſupervacanea foret, ac minimè neceſſaria; ſi tuti quieverimus, ſi pericula noſtra non agnoverimus. Ut autem cetera prætercam, quem non deberet ſemper tenere ſolicitum certitudo illa adeo infallibilis moriendi; & tam magna illa incertitudo temporis, quo morituri ſumus? Siquidem *ſi ſciret Pater-familias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam* (*b*). Cur igitur nos, cùm hoc reſcire nequeamus, non vigilabimus ſemper, ne, quacumque horà mors irrepſerit, imparatos nos inveniens, miſerrimos in æternum efficiat! Dicamus ergo ſemper cum maxima animi anxietate: Quid faciemus? *Quid faciendo vitam æternam poſſidebimus* (*c*)?

Nec verò ſolùm de futuris ſolicitudo requiritur, ſed etiam de præteritis. Quis enim eſt qui ſciat, *utrum amore, an odio dignus ſit* (*d*)? an patrata crimina perfectè expiaverit, præſertim monente etiam Scriptura: *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu* (*e*)? Et profectò, ſi Deum intimè diligeremus, ſi quàm bonus ſit Deus, quàm turpe ſit peccatum, quàm gravis Dei offenſa, quantam involvat ingratitudinem, cogitaremus, ſemper pro peccatis commiſſis angeremur, ea ſemper deploraremus; nec umquam nobis videremur, ſatis ea defleviſſe. Hoc eſt, quod per Prophetam arguit Dominus dicens: *Quia nullus eſt qui dicat: Quid feci* (*f*)? O ſi mentis oculos aperire poſſet peccator, & Dei majeſtatem videre; ſtatum, in quem ſe dejecit, agnoſcere; bona, quibus ſe privavit, cernere; ſupplicia, quibus ſe obnoxium conſtituit, perpendere; heu, quomodo cum lacrymis, ſingultibus, atque ſuſpiriis exclamaret: *Quid feci! quid feci!* Sed hæc eſt hominum pernicies, hæc lugenda calamitas, *quia nullus dicit: Quid feci? quia nullus eſt, qui hæc recogitet corde* (*g*), *quia factus*

(*a*) *Matth. XXVI. v.* 41.
(*b*) *Ibid. XXIV. v.* 43., *& Lucæ XII. v.* 39.
(*c*) *Lucæ X. v.* 25.
(*d*) *Eccleſiaſtes IX. v.* 1.
(*e*) *Eccleſiaſtici V. v.* 5.
(*f*) *Jerem. VIII. v.* 6.
(*g*) *Ibid. XII. v.* 11.

ctus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor (*a*); deficit nempe sedula consideratio; conscientias nostras crebrò non perscrutamur; de præteritis nihil soliciti sumus, perinde ac si e nostra simul ac infinita Dei memoria possent deleri.

Hinc autem evenit, ut parum quoque simus erga præsentia soliciti, nec quæ dicimus aut agimus, consideremus; cùm tamen etiam circa hæc tanta requiratur cura, quantam sanctissimus Job, in omnibus adeo probatus, gerebat, ut diceret: *Verebar omnia opera mea* (*b*); sciebat enim ille, adeo esse perspicaces & limpidos Dei oculos, ut nullæ vèl minimæ ac levissimæ sordes in operibus, verbis, seu cogitationibus nostris eos valeant effugere; altera verò ex parte esse nos a natura adeo ad malum proclives, ut vix boni quidpiam agere possimus, cui non aliqua sit commixta imperfectio. Ideo *vereri* semper debemus *omnia opera nostra*, & anxii ad Dominum dicere, quod conversionis suæ initio sanctissimus Paulus ad Dominum Jesum: *Domine quid me vis facere* (*c*)? O sanctissimam vocem, o felicissimum conversionis exordium, se se totum divinæ tradere voluntati, in illius se manus liberè conjicere, & quid illi placitum sit tantummodo explorare! Gentilium primitiæ, divino eas spiritu interiùs compungente, sic ad Joannis Baptistæ, & ad Petri Apostoli prædicationem conversæ dicebant: *Quid ergo faciemus* (*d*)? Utinam nos, dilectissimi, cùm loquitur ad animas nostras Dominus (quod numquam omittit), dicamus: *Quid ergo faciemus?*

Sed scitis, animæ benedictæ, quid vos facere præcipiat Dominus?. Pauca, & multa: Multa quidem, quia multis virtutibus indigemus; pauca autem, quia omnia, quæ jubentur, ad valde pauca reducuntur. Verùm inter illa multa, scitis, quid velit Deus, quid sit nobis faciendum? Non aliud, nisi ut simus semper soliciti. Sic per Prophetam suum alloquitur unumquemque nostrùm: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te: Utique facere judicium, ac diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo* (*e*). Ecce quod ultimo loco poscit; cetera, quæ præcedunt, in hoc uno ostendit includi; qui enim *solicitus ambulaverit cum Deo suo*, is in nullo umquam offendet, sed per omnia divinæ se conformabit voluntati.

San-

(*a*) *Osee VII. v. 11.*
(*b*) *Job IX. v. 28.*
(*c*) *Act. Apost. IX. v. 6.*
(*d*) *Luce III. v. 10.*
(*e*) *Michee VI. v. 8.*

Sanctissima solicitudo, quæ unica securitatis veræ parens existis, quæ in maximis etiam periculis remedia, in extrema etiam inopia & egestate paris auxilia; quantum tibi debuit servus ille, priùs iniquus (quem tamen laudare Dominus ipse dignatus est) qui, cùm Domino suo villicationis male actæ esset rationem redditurus, videretque se jam rejiciendum, ac in extremum paupertatis redigendum, nec *fodere valeret*, *mendicare erubesceret;* solicitus tamen inquit: *Scio quid faciam*, *ut cùm amotus fuero*, *recipiant me in domos suas* (*a*)! Et vos igitur, filii, qui Domini estis villici; qui divitiarum, quas a Deo accepistis, estis œconomi & dispensatores, non domini, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis* (*b*); conciliate vobis pauperum amorem de pecuniis istis, quæ solent ut plurimum nobis esse iniquitatis instrumenta: Et dum ad reliqua dicenda hæc nostra festinat oratio, aperite marsupia, & largè effundite in pauperum sinus, quæ tam liberaliter & profusè a Deo accepistis.

[Præsenti hebdomada sacræ habebuntur Ordinationes: Ministerium adeò excelsum, ac tanti momenti, quo digni Deo seliguntur ex omni populo Ministri, nos Pastores suspirando dicere compellit: *Quid faciemus?* Ideo Sancta Mater Ecclesia solemni jejunio quatuor Temporum hanc prævenit actionem. Idcirco vos quoque, filii, Patri vestro spirituali (mihi inquam) spiritualem, obsecro, orationum vestrarum eleemosynam elargimini. Juvate me precibus vestris, ne faciam, quod fecisse ullo umquam tempore possit me pœnitere.]

Secunda Pars.

Verùm, erit-ne satis, ut dicat quilibet nostrûm: *Quid faciam?* Sufficit-ne, ut simus soliciti? est-ne omnis solicitudo laudanda? Annon est etiam solicitudinis selectus habendus, ut videamus, quæ bona aut mala, quæ laudabilis aut improbanda sit solicitudo? Imo maximè. Omitto jam enim eos, qui in hoc solùm ex condicto sunt soliciti, ut malè agant, & in Deum delinquant, de quibus dicitur: *Laboraverunt*, *ut iniquè agerent* (*c*): Sed adhuc aliæ sunt solicitudines vel nimiæ, vel etiam malæ. Sic Martham non laudat Dominus, cùm ait: *Martha,*

(*a*) *Lucæ XVI. v.* 3. & 4.
(*b*) *Ibidem v.* 9.
(*c*) *Jerem. IX. v.* 5.

Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò unum est necessarium : Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (*a*).

Porro omnis nimia solicitudo, quæ corporibus impenditur, a Domino prohibetur, videlicet ne soliciti simus de crastino, neque corpori nostro de cibis, aut vestimentis (*b*). Pariter solicitudines aliæ sunt, ob quas non solùm perturbari opus non est, verùm etiam qui iis angi se patiuntur, acerbâ sunt reprehensione dignissimi. Erat miserrimus ille *dives*, cujus *uberes fructus* plus solito *ager attulerat* (*c*), solicitus admodum, & adeo ut animo torqueretur, eique contingeret, quod illi, qui cùm dapibus se infarciverit, plus quàm stomachus valeat concoquere, opprimitur, & corporis dolores gravissimos persentit. Sic memoratus dives, cùm ampliores solito proventus ex campis suis collegisset, in angustias redigi cœpit, ac solicitudine maxima vexari, adeo ut intra se stultè cogitans diceret: *Quid faciam? quia non habeo ubi congregem fructus meos* (*d*)? At quàm noxia esset ista solicitudo, ex ejusdem exitu attendite; dictum est siquidem illi: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te : quæ autem parasti cujus erunt* (*e*)?

Sunt etiam Avari soliciti; nihil enim umquam peragunt, quin de pessimo, quem sibi proposuerunt, fine semper cogitent: Semper timor eos invadit, ne illo frustrentur; omnia eorum studia eò semper diriguntur: *Ubi quippe est thesaurus eorum, ibi est èt cor eorum* (*f*): Adeò autem solicitus est *Avarus*, ut de eo Ecclesiasticus dicat: *Vigilia, & solicitudo ejus aufert somnum* (*g*); Hujusmodi homines, si quam solicitudinem in terrenis bonis per fas & nefas augendis ponunt, eam in cœlestibus curis, & solidis comparandis divitiis collocarent, o felices illos, & terque quaterque beatos! At tantò sunt miseriores, quò se pro fluxis, caducis, & in vanum perituris rebus, tanta solicitudine & labore, tot vigiliis & angustiis enecant, ut meritò Diaboli Martyres illos quispiam valeat nuncupare; tanto enim sanguine & supplicio æternum sibi interitum lucrantur.

At verò quis superbo magis est solicitus? Hunc adeo torquet superbia, atque anxium tenet, ut de eo dicat Jeremias: *Præ solicitudine quiescere non potest* (*h*); omnia enim illum exagitant. Si

(*a*) *Lucæ X. v.* 41. *&* 42.
(*b*) *Matth. VI. v.* 25. 28. 31. *&* 34.
(*c*) *Lucæ XII. v.* 16.
(*d*) *Ibidem v.* 17. *& seqq.*
(*e*) *Ibidem v.* 20.
(*f*) *Matth. VI. v.* 21.
(*g*) *Ecclesiastici XLII. v.* 9.
(*h*) *Jerem. XLIX. v.* 23.

Si quempiam viderit, qui non illum veluti Idòlum colat, vulnus graviſſimum ſibi inflictum putat, nec quietis ullum invenit locum, donec de omiſſo venerationis officio, quod ipſe injuriæ adſcribit, ultionem nanciſcatur.

Neque verò in hac ſolicitudine remiſſiores ſunt ambitioſi, qui nihil, niſi mundanos honores, ambiunt, qui eos tam caro pretio emunt, ut honoris plerumque ſolidi ac veri jacturam ſponte facientes, fucatam tantummodo atque inanem gloriam perſequantur: Stulti ſiquidem umbras ſolùm ſectantur ac vanitates; & proinde de iis Sapiens dicit: *Expectatio ſolicitorum peribit* (*a*). Heu quàm miſeræ ſunt hujuſmodi ſolicitudines! Verè *ſpinis* ſimillimæ, quæ *Verbi Dei ſuffocant ſemen* (*b*); hujuſmodi quippe hominibus quidquid de cœleſti Regno in auribus inſonat, totum in vanum cadit. Neque tamen infelices animadvertunt, quàm fruſtranea ſit omnis eorum ſolicitudo; quales de ipſis etiam Mundus excitet riſus, & quàm fiant omnibus verè ſapientibus in fabulam atque proverbium: quandoquidem idem iis contingit, quod Laban, de quo in Sacris Literis dicitur, quòd *ſic deluſa ſolicitudo quærentis eſt* (*c*). Proinde eò ſunt magis deplorandi, quò dum honorem quærunt, verum honorem amittunt; ac dum a ceteris ſuſpici cupiunt, habentur contemptui atque deriſui. Hæ omnes curæ ac ſolicitudines ab univerſis Chriſtifidelibus, ac verè ſapientibus deponendæ ſunt, atque omni diligentia fugiendæ; ideo Dominus præcipit: *Attendite ne graventur corda veſtra in crapulâ, & ebrietate, & curis hujus ſeculi* (*d*).

Ad quid ergo in homine tanta ſolicitudo requiritur? Certè ad hoc unum, ut ſtudeat, qua poſſit ratione finem, ad quem creatus eſt, conſequi; quod his verbis includitur: *Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo* (*e*)?

Cur namque creatus eſt homo, niſi ut per *viam mandatorum* Dei *currens* (*f*), ſit in æternum beatus? Ab illis cùm recedit, ſe ſe etiam a proprio fine avertit; ac proinde in vanum propemodum a Deo creatus videtur: quod tamen blaſphemum eſt dicere, cùm Deus Optimus Maximus nihil fruſtra ſit operatus. Quid ergo mirum, ſi, cùm homo ab hac via adeò declinaſſet, ac fini huic comparando ſe ſe penitus incapacem reddidiſſet, non

 modò

(*a*) *Prov. XI. v.* 7.
(*b*) *Marci IV. v.* 7., *& Lucæ VIII. v.* 7.
(*c*) *Geneſ. XXXI. v.* 35.
(*d*) *Lucæ XXI. v.* 34.
(*e*) *Ibidem X. v.* 25.
(*f*) *Pſalm. CXVIII. v.* 32.

modò univerſali aquarum diluvio creaturam omnem Deus deleverit, ſed èt ipſum *pœnituerit, creaſſe hominem* (*a*)? Fruſtra ſiquidem creaſſe illum videbatur, qui fini ſuo terga vertebat, nihilque magis oderat, quàm propoſitam ſibi metam. Et quis hac in re, injuſtitiæ aut crudelitatis Deum audeat arguere, quando nemo noſtrùm, qui hìc adſumus, idem non perageret? Quis enim noſtrùm vineam plantat, ac per plurium annorum ſeriem ab ea fructum nullum percipiens, poſt omnia adhibita diligentis culturæ munera, eam penitus eradicare non ſtatuit, cùm fruſtra terram occupet? Plantaverat vineam hanc Deus, nempe humanam naturam; hæc fructus iis, qui expectabantur, prorſus oppoſitos proferebat, terram inutiliter occupabat: delenda erat idcirco. Ecce igitur, ex quo jam reparata fuit, ac Salvatoris noſtri Domini Jeſu beneficio reſtituta, in quo debemus eſſe ſoliciti, dicentes: *quid faciemus?* Num ut divitias comparemus, ut honores acquiramus, ut a ceteris veluti Dii habeamur? Nihil horum; ſed *quid faciendo*, ùt ait hic Legiſperitus, *vitam æternam poſſidebo?*

Magna profecto hæc eſt interrogatio, & quæ multa requirit; ſunt namque multa facienda. Sed Chriſtum Dominum breviter reſpondentem audite: *In Lege quid ſcriptum eſt* (*b*)? quaſi dicat: Scrutare Scripturas: Vide, quid Divina Lex præcipit: *Hoc fac, & vives* (*c*). Ergo filii, Scriptura & Lex videnda eſt; non Mundus, non populi voces, non ſecularium hominum audiendæ nugæ. Cur igitur, cùm Sacramentorum frequentiam, cùm luxùs ac vanitatum fugam, cùm Doctrinæ Chriſtianæ Scholas ſuademus, cur, inquam, veſtrùm aliqui, aut aliquæ reſpondent, ſe ſe omnia, quæ ſuggerimus, libenter facturos, niſi aliter Mundus præciperet, niſi vulgus aliter ſentiret, niſi hypocriſis notam apud plebejos incurrerent? Quid mulieres dicitis, cùm reſpondetis: Ego quidem a torquendis crinibus, ornando capite, poliendo vultu, intextis auro veſtibus abſtinerem, niſi ſociæ meæ dicerent, vitæ communi me adverſari, meque turpis novitatis arguerent. Heu! Audite, quò nos omnes Chriſtus remittat; non ad populi voces, non ad vulgi garritus, non ad ſociarum murmurationes, ſed ad Legis præcepta: *In Lege*, inquit, *quid ſcriptum eſt?* Vobis profectò *Domi-*

(*a*) *Geneſ. VI. v. 6. & 7.*
(*b*) *Lucæ X. v. 26.*
(*c*) *Ibidem v. 28.*

Dominus dicit: Væ filii desertores, ut faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum: Quia ambulatis, ut descendatis in Ægyptum, & os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam (*a*).

Confundere hic o humana prudentia, & vide, quia nulla tibi cum Deo pars, nulla communio. Qui ad te accedunt, a Deo recedunt: *Recedentes* autem *a Deo*, *in terra scribentur* (*b*): Ex te nihil, nisi *confusio*, & *ignominia*. Sed ad Legem Dei recurrite filii, ad hanc confugite, hanc investigate, hanc præ manibus & oculis semper habete: *Erunt verba hæc*, dicit Dominus, *quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo: Et narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ* (*c*). Quid verò præcipiunt hæc verba, quid jubet hæc Lex? An innumera, an importabilia, an impossibilia? Minimè certè; sed breviter, solùm ut *diligas Dominum Deum tuum* (*d*). Et cur non *diliges Dominum*, qui te creavit, *Deum*, qui est summum bonum tuum, qui omnia sua & seipsum tibi est elargitus? Hæc *est plenitudo Legis* (*e*). Hoc facite, filii, & *Legem implevistis* (*f*); nam qui verè Deum dilexerit, etiam in Deo proximum diliget ùt seipsum. In hoc soliciti simus omnes, ne frustra soliciti postea simus, *cùm*, ùt ait Scriptura, *inspicere cœperit Dominus* (*g*); cùm videlicet ille, qui nunc, peccantibus nobis, non videre & dormire videtur, incipiet diligentissimè omnia scrutari, & nihil inultum relinquere.

Clementissime Salvator, quem postmodum ego, & omnes hi filii mei justissimum Judicem sentiemus; hactenus omnes, non modò soliciti non vigilavimus, sed somno depressi omnia, perinde ac si nihil ad nos spectarent, negleximus. Peribimusne igitur pariter omnes? Ergo-ne de imagine & similitudine tua, de tot creaturis tuis triumphabit Diabolus? *Quid facies*, [dicam cum Josue (*h*)], *magno nomini tuo?* De tuo hic agitur hono-

(*a*) *Isaiæ XXX. v.* 1. *& seqq.*
(*b*) *Jerem. XVII. v.* 13.
(*c*) *Deuteron. VI. v.* 6. *& seqq.*
(*d*) *Lucæ X. v.* 27.
(*e*) *Ad Roman. XIII. v.* 10.
(*f*) *Ibidem v.* 8.
(*g*) *Ecclesiastici II. v.* 17.
(*h*) *Cap. VII. v.* 9.

honore: *ne des*, obfecro, *alienis*, & hoftibus tuis *honorem tuum* (*a*), & gloriam nominis tui; ne patiaris, ut fanguis tuus pretiofiffimus fit in vanum effufus; fed fac, ut evigilemus, ut folicitudo tua ingens de nobis, folicitudinem in nobis excitet de nobis metipfis, qua jugiter quæramus, quid faciendo vitam æternam poffidere valeamus: ad quam utinam aliquando, te donante, perveniamus Fili Dei Vivi, cui cum Patre & Spiritu Sancto fit honor & gloria in fecula feculorum. Amen.



HO-

(*a*) *Proverb. V. v. 9.*

HOMILIA CXXIV.

AD ORDINANDOS

Habita Sabbato poſt Pentecoſtem

Anno mdlxxvii. 1. Junii. (*a*)



Quoties mihi ſacri conferendi ſunt Ordines, Fratres dilectiſſimi, id certè non ſine magna animi admiratione mecum ipſe cogito, inter omnes alias actiones Paſtorales, hanc ſublimiorem eſſe, & longè aliis præſtantiorem; quamquam enim cujuslibet Sacerdotis munus, præſertim in conficiendo Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramento, ſummum eſt ac prope divinum, atque ipſorum Angelorum munere excellentius, quis neget tamen hoc majus eſſe, & ſuſpiciendum magis, eam ipſam conficiendi Sacramenti authoritatem ac poteſtatem aliis conferre? Admirans equidem fateor, ac veriùs obſtupeſcens ad hoc tam arduum tamque ſublime miniſterium accedo, indigniſſimum me ipſum reputans Jeſu Chriſti Miniſtrum, qui corde impuro, ac pollutis manibus tanta ſim hodie adminiſtraturus Sacramenta. Quid autem dicam de diligenti illa atque exquiſita, de ſingulorum promovendorum moribus & doctrina, facienda inquiſitione? quam exactiſſimam, atque ab omni parte, quan-

(*a*) Abſoluta Chronologica ſerie Homiliarum Sancti Caroli, quæ in Codicibus Bibliothecæ Ambroſianæ adhuc lucis expertes latebant, fortuitò reperti ſunt in Archiepiſcopalis Palatii Archivo tres alii Sermones, quos habuit memoratus Sanctus Antiſtes ad Clericos Sacris Ordinibus initiandos. Eos ad me illico benigniſſimè tranſmiſit, ut ceteris adjuogi poſſent, Eminentiſſimus Cardinalis Archiepiſcopus noſter Joſeph Puteobonellus, qui ſicuti ejuſdem virtutùm & Paſtoralium laborum egregius eſt imitator, ita ſanctiſſimi hujus Prædeceſſoris ſui gloriam omni contentione nititur promovere. Primus & tertius ſermonum hujuſmodi exarati caſtigatique ſunt propria Sancti Caroli manu; alter verò nonnullas ſparſim emendationes habet, eodem Sancti Præſulis charactere adjectas. Hos nunc primùm publici juris fieri, utpote ex authographo deſumptos, ac latino ſermone conſcriptos (quemadmodum ſacere conſueviſſe Sanctum Carolum, cùm loqueretur ad Clerum, ab initio monuimus) nonniſi gratum erit Lectoribus; inde enim dignoſci facilè poterit, quantum in concionando utrâque linguâ præſtaret indeſeſſus ille Ambroſianæ Eccleſiæ Paſtor cultorque.

quantum fieri poteſt, abſolutam adhibere debeo, ſacrâ illâ Apoſtoli monitus voce: *Manus citò nemini impoſueris* (*a*)? qua in re modica etiam negligentia mea maximam irrogare mihi poteſt culpam. Quod, etſi diſtricto Supremi Judicis arbitrio relinqui ut plurimum ſolet examinandum, in quo (examine) revelabuntur abſcondita cordium, & de omni actione rationem reddere oportebit; interdum tamen manifeſto Dei judicio culpam hujuſmodi, quam luimus vitâ functi, graviter in ſe ipſis vindicatam, bene ſenſerunt Epiſcopi, cùm eos, quos minus diligenti adhibito examine promoverunt, eò quòd illos maximè idoneos, atque ad ſarcinam Paſtoralem ferendam utiles Coadjutores ſibi futuros exiſtimarunt, & dicam amplius, bono fortaſſe animo id facientes, eos, inquam, ipſos non inutiles modò, ſed etiam ſibi adverſantes, ac divino cultui non leve impedimentum afferentes experti fuerint deinceps. Ex quo licet colligere, non ſatis eſſe, mores ac doctrinam cujuſque inſpicere ſuperficiali quadam inveſtigatione, ſed diligentiùs etiam intentionem, quoad fieri poteſt, inveſtigandam; ac poſt omnem ſummamque adhibitam diligentiam tum id præcipuè exquirendum, ferventibuſque ad Deum Optimum fuſis precibus expetendum, ut quos ipſe bonos fore miniſtros cognoverit, eos deligat ac promoveat. Quamobrem hoc ipſo die, in hac ipſa Sacrorum Ordinum adminiſtratione, canentibus nobis audietis, piam illam precem ab Eccleſia Sancta ex imo corde profundi: „ Et nos quidem tamquam homines divini ſenſus, & ſummæ rationis ignari horum vitam quantum „ poſſumus exiſtimamus: Te autem Domine, quæ nobis ſunt „ ignota non tranſeunt: Te occulta non fallunt: Tu cognitor „ ſecretorum, & ſcrutator es cordium: Tu horum vitam cœleſti poteris examinare judicio, quo ſemper prævales & admiſſa purgare, & ea quæ ſunt agenda concedere (*b*).

At quorſum hæc, dilectiſſimi? Ut intelligatis, quàm periculoſum, quàmque difficile ſit hoc noſtrum Paſtorale miniſterium, tum ſemper aliàs, tum verò in hac ipſa hodierna actione; ſimulque veſtrûm pia commiſeratione commoti Deum deprecabimur pro vobis exactiùs, ut vos divino ſuæ clementiæ favore proſequatur, & Sancti ſui Spiritus lumine ac rore perfundat corda veſtra, ſimulque cogitetis atque animo rite perpendatis,

(*a*) *I. ad Timoth. V. v.* 22.

(*b*) Verba hæc ſunt, quæ profert Epiſcopus, cùm Diaconatûs Ordinem confert, prout in Pontificali Romano præſcribitur.

tis, si nobis de negligentia vestrûm hac in re est dubitandum, & adeò necessarium est, Spiritus Sancti auxilium piis precibus atque fervidis orationibus implorare; quantum vobis, de quorum culpa agitur, nisi pura illa animi, quam supra tetigimus, intentione Sacros Ordines suscipiatis, in divina obtinenda ope sit laborandum.

Excellentissimum quidem est ac præstantissimum munus, ad quod hodie aspiratis; atque utinam vestri gradûs excellentiam ac præstantiam intimis animorum vestrorum sensibus consideretis! Si tamen eo vos non indignos reddideritis, non tantùm ea vitæ sanctitate ac doctrina, fide ac prudentia esse debetis, qua tanti officii onus dignè sustinere valeatis; verùm id etiam vobis proximè est considerandum, quem vobis finem proposueritis; nam si eo consilio huc accessistis, ut quæ ad victum vestitumque vestrum necessaria sunt paretis, nihil aliud præter quæstum, ùt in sordidis quibusque artificiis fieri solet, propositum habeatis, optimum est vobis hinc procul redire: ùt enim maximum est sacrilegium, lucri vel quæstus causâ ad Altare accedere; ita etiam hoc Ordinis Sacramentum suscipere, quo ad Altaris ministerium erudimur, tantùm quæstus causâ non leve sacrilegium esse, nemo est qui ambigat. Et licèt ex Apostoli sententia, quæ cum Lege tum Divina, tum naturali jure convenit, Altari serviens, de Altari vivere debeat; tamen Dei cultui quamlibet necessitatem anteponere, numquam licere dicet quispiam. Quòd si aliquos vestrûm lucri cupiditas & ambitio ad hanc vitæ conditionem adduxit, *recedite* quæso, iterum dico *recedite* (*a*); nam Spiritus Sanctus, qui in hoc præcipuè Sacramento in animis rite id suscipientium infunditur cum magno gratiarum favore, non super superbos aut inflatos, sed super mansuetos & humiles requiescit, ùt apud Prophetam legitur: Super quem requiescet Spiritus Domini? super mansuetum, pium, & humilem corde. Quicumque igitur quavis alia ratione adducti, quàm ut Dei Optimi Maximi honori ac cultui inserviatis, initiari vel promoveri cupitis, vos monitos iterum atque iterum volo, ut omnino sciatis, longè satius vobis esse, molam asinariam ad collum vestrum suspendi, vosque in profundum maris demergi (*b*), quàm hac via in Christi ovile ingredi, hoc est aliunde, quàm per ostium ingredi; quòd furum & latronum esse, non Pastorum,

(*a*) *Isaiæ LII. v. 11.*

(*b*) *Matth. XVIII. v. 6.*

rum, teſtatur Chriſtus ipſe in Evangelio (*a*). Nolite, quæſo, ita Spiritum iſtum Sanctum contriſtari, qui Spiritus quidem eſt lenitatis, ſed etiam in eos, qui illum offendunt ac peccant graviter, irritatur; hujuſmodi enim Clerici & Sacerdotes, qui tam indignè, tamque a ſancto propoſito alieni Sacros Ordines ſuſcipiunt, non Spiritus Sancti modò gratiam non recipiunt, ſed iis ipſis nihil infelicius & miſerius, nihil Eccleſiæ Dei calamitoſius eſſe poteſt; & fideli populo contemptui, ac deſpectui ſunt ſemper; & a Deo ipſo derelicti hoc in ſeculo, damnationem etiam æternam in futuro ſibi comparant: Quam ſummam omnium infelicitatem ac miſeriam, ut evitetis cariſſimi, omni vobis ſtudio curandum eſt, atque operà enitendum. Adeſte igitur animis; & ſi quid fortaſſe obliqui vel ſordidi in cordibus veſtris irrepſit, dum huc minus ſtudiosè ac diligenter, quàm par erat, accederetis, virtute Spiritus Sancti omne id mundetur ac dirigatur, cujus hodie chariſmata largiſſimè mentibus veſtris ſunt infundenda, ſi tamen ipſi obicem non poſueritis: Nam de iis, qui peccato aliquo gravi, vel Cenſuris Eccleſiaſticis aſtricti, aliqua ſive animi labe fœdati acceſſerint, ne ſuſpicari quidem mihi liceat volo. Mecum ergo, Sancta hac ac prorſus divina actione, auſpicamini Sancti Spiritus, cujus adhuc octavam diem celebramus, favorem, implorantes: *Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium: Lava quod eſt ſordidum, flecte quod eſt rigidum, rege quod eſt devium: Da* te ſupplicantibus hac die *Fidelibus ſacrum ſeptenarium: Da virtutis meritum, da ſalutis exitum, da perenne gaudium.* Amen.



HO-

(*a*) *Joann. X. v. 1.*

HOMILIA CXXV.

AD ORDINANDOS

Habita die Sabbato IV. Temporum

ANNO MDLXXVIII. XXII. FEBRUARII.



Uò major & excellentior dignitas ea eſt, Fratres cariſſimi, ad quam ut promoveremini huc hodie acceſſiſtis, eò diligentiùs penſandum eſt, quantum vobis immineat periculum, quàmque diſtrictum Divinæ iræ judicium, ſi qua par eſt animi ſanctitate non acceſſeritis: Quod etſi multis Sacræ Scripturæ locis, multiſque atque iis apertiſſimis argumentis comprobari facilè poteſt; unum illud tamen vobis ob oculos ponendum cenſeo, quod ſi rite animis veſtris percipiatur, ſufficere quidem poteſt ad perterrendos eorum animos, qui oſcitanter, vel (quod longè pejus eſt) ambitiosè aut turpis lucri gratiâ, aliâve prorſus causâ, quàm ut fidelem Deo cultum exhibeant adducti, tam ſublime miniſterium affectant. Illud autem eſt, quod Exodi habetur: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos* (*a*): qua in ſententia duo præcipuè ſunt verba nobis conſideranda, alterum quidem honoris & gloriæ incredibilis, alterum calamitatis & ærumnæ pertimeſcendæ ſymbolum; *ſanctificentur*, ac *percutiat*; quorum vim & efficaciam, ſi vobis vèl ſuperficie tenus expoſuero, ſatis meo factum putem officio, qui omni ratione excitare animos veſtros debeo ad tam ſublimis tamque profundi myſterii contemplationem. Nam quo pacto ad Dominum accedatur, neque tantùm corporis greſſibus, ſed èt animæ progreſſionibus, id hoc temporis articulo tractare prætermitto; ſatiſque eſſe judico, vobis exploratum jam eſſe, dum hodie ad Sanctiſſimum Ordinis Sacramentum aſpiratis (in quo qui-

(*a*) *Exodi XIX. v. 22.*

quidem Spiritus Sancti, gratia rite suscipientibus confertur) cùm quoties præterea ad Altare vel celebraturi ipsi, vel celebrantibus opitulaturi adstatis, tunc verè ad Dominum, ipsum scilicet Regem Cœli & terræ (ante quem omnes Angelorum Chori in maxima humilitate procumbunt, illum perpetuis laudibus concelebrantes) Deum quippe ipsum tremendæ Majestatis, atque infinitæ potentiæ accedere. Quid igitur mirum, si necesse est, accedentes ad illum *sanctificari*, ne purissimæ illius Majestatis oculi maculis aut sordibus ullis offendantur? Et siquidem in conspectum terreni Regis prodituri, delicatioribus vestibus indui solent, ut coram Principe, quanto fieri potest splendore eniteant; studentque, ne quid in ipsorum habitu, vel corporis gestu minus compositum aut accommodatum conspiciatur: quantò studiosiùs oportet (ni stolidi prorsus aut stupidi sitis, fratres) vos interioribus animarum vestimentis, iisque pretiosioribus exornari, coram tam magno tamque excelso Domino ac Deo nostro adstituros! Ornatus siquidem ac pulchritudo omnis animarum ab intus est, ùt inquit Psalmista: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis* (*a*), in virtutum scilicet insigniorum ornamentis, quæ, ùt aurum inter reliqua metallorum genera præstantius est, ita inter ceteras christianas virtutes excellunt, cujusmodi sunt humilitas sancta, obedientia, patientia, abstinentia, castitas, longanimitas, pietas, & perfectissima omnium caritas, quarum pulcherrima varietate quæ intus circumamictæ fuerint fidelium animæ, adduci profectò poterunt ad Regem, & illi proximè adhærere, tutòque in illius conspectu, tamquam rite *sanctificatæ* apparere. *Sanctificari* igitur oportet vos ad Dominum accessuros; alioquin timendum, ne severissimè ab ipsius ultrice manu *percutiamini*. Neque verò quisquam terrificam hanc comminationem Sacerdotibus tantùm, non etiam omnibus Ecclesiasticis Viris factam arbitretur; cùm alibi scriptum legatur: *Sanctificamini* (*b*) vos *qui fertis vasa Domini* (*c*), quo ex loco satis liquidò apparet, non Sacerdotes solùm, sed èt Sacerdotibus ministrantes sanctificari oportere. Discant propterea qui Missæ majori, vel (ùt ajunt) Conventuali inserviunt Ministri, licèt ipsi Sacrum non faciant, quia tamen *ferunt vasa Domini*, quia illa tangunt, quia ad Altare accedunt, quia Sacrum facienti assistunt, debere ipsos etiam *sanctificari*, nisi maximum

(*a*) *Psalm. XLIV. v.* 14.
(*b*) In Vulgata legitur: *mundamini.*
(*c*) *Isaiæ LII. v.* 11.

ximum illud periculum ſubire velint, ne ſcilicet a Domino *percutiantur:* cujus verbi quanta ſit vis, quantaque energia, vix equidem exprimere numquam poſſe quemlibet vèl diſertiſſimum exiſtimarim Eccleſiaſticorum. Quid enim durius accidere umquam potuit Ægyptiis a vindice Dei Omnipotentis dextera, quàm, quæ notiſſima ſunt, flagella tremenda ac prorſus terribilia? quippe aquarum in ſanguinem horribilis converſio; ranarum domos complentium abominabilis ebullitio, muſcarumque omnis generis graviſſima atque moleſtiſſima agmina; in Ægyptiorum jumenta ſæviens peſtilentia, locuſtarum omnia conſumentium immenſi & voraciſſimi exercitus, ſciniphum innumera & infeſtiſſima acies, tenebrarumque in meridie palpabilium denſiſſima caligo; tum Primogenitorum omnium cædes crudeliſſima; tum verò poſt omnium rerum pretioſarum exſpoliationem, horrenda illa in mari rubro ſubmerſio: quæ omnia eo unico verbo ſignificavit Dominus, cùm dixit: *Percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis* (*a*). Quis ſibi Angelum percutientem proponat, vel cùm ſeptuaginta virorum millia inauditâ peſtilentiæ plagâ, a mane uſque ad veſperam proſternit (*b*), vel cùm univerſum Sennacherib exercitum incredibili potentiâ ſtatim exſcindit (*c*); non autem exhorreat, non contremiſcat?

Ecquis Prophetæ illud recolat verbum: *Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves gregis* (*d*), ſimulque ad memoriam revocet, qualis quàmque miſerabilis acciderit percuſſio in Paſtore animarum noſtrarum Chriſto Jeſu, cùm ille adeo ſanguine fœdatus, plagiſque ac vulneribus ita afflictus ac confoſſus apparuit in Cruce, ut *a planta pedis uſque ad verticem non eſſet in eo ſanitas* (*e*); quis, inquam, Chriſtum Jeſum ita percuſſum contempletur, & non intimis animi ſui ſenſibus percipiat, quàm gravis quàmque atrox ſit Domini percuſſio? At ille quidem Unigenitus Dei Filius a Patris juſtitia dicitur percuſſus, quia ipſe voluit; inextinguibili ſcilicet caritatis igne accenſus, ut pro noſtris peccatis & ſceleribus lueret, Divinæque iræ pro nobis ſatisfaceret, atque in corpore tantùm, quamquam atrociſſimè, percuſſus eſt: Verùm Ægyptii ac quicumque ob ſcelera a Domino percutiuntur, non in corpore ſolùm, omnique acrîorum calamitatum cumulo aggravati, ſed etiam in anima æternis pœnis & cruciatibus affliguntur. Ita fere percutientur Sacerdotes & reliqui

(*a*) *Exodi III. v.* 20.
(*b*) *II. Regum XXIV. v.* 15.
(*c*) *IV. Regum XIX. v.* 35.
(*d*) *Zach. XIII. v.* 7., & *Matth. XXVI. v.* 31.
(*e*) *Iſaiæ I. v.* 6.

Ministri Dei, qui accedere ad Dominum impurè ausi fuerint. Si quis igitur non *sanctificatus*, aut non rite conscientiæ suæ latebris discussis advênit, jam abscedat rogo, eligatque potiùs, ad breve tempus rubore paulum suffundi, quàm a furente Dei dextera percuti, & æternis incendiis consumi. Tum verò quoties ad Altare accedendum erit, perpetuò singuli reminiscantur terribilis hujus sententiæ, quæ suis auribus hoc ipso die, hoc, inquam, promotionis suæ die tam severè insonuit: *Sacerdotes*, vel Ministri alii quicumque *ad Dominum*, sive ad altare Domini *accedentes sanctificentur*, *ne Dominus percutiat eos* (*a*); meminerintque item miseri atque infelicis Ozæ, qui, cùm Arcæ Dei in terram prope collabenti manum supposuisset, illico a Domino percussus est, & arescente dextera, continuò expiravit (*b*). At verò si Oza ipse, qui ex officio suo Arcam fœderis portabat, eò quòd illam, quæ Altaris nostri figura erat, dexterà tetigerit, quamvis bono zelo adductus, non tamen *sanctificatus*, tam graviter *percussus* est; quantæ damnationis rei erunt qui Altare Dei, quod longe nobilius & excellentius est, puta ab illa tamquam figura repræsentatum, non *sanctificati*, aut minus parati contingere audent?

Obsecro igitur vos, carissimi, per viscera Domini nostri Jesu Christi, ut quod agitis, diligenter inspicientes, iram & furorem Dei effugere omni animi contentione studeatis; vobis quidem ipsis præcipuè consulentes, tum verò etiam aliis Christifidelibus, qui a vobis, tamquam a luce Mundi illustrari, & tamquam ab Apostolico sale condiri debent, exposcuntque: Ita enim vobis insinuatum audistis sæpe a Christo Domino: *Vos estis lux mundi* (*c*): *Vos estis sal terræ* (*d*): Quod, ut rite perfectèque præstare valeatis, Omnipotentem Deum, a quo uno omne bonum datum, & omne datum optimum est, enixè rogo, ut vos salutari cœlestium omnium gratiarum rore perfundat, largissimamque vobis nunc & semper benedictionem impertiatur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

HO-

(*a*) *Exodi XIX. v.* 22.
(*b*) *II. Regum VI. v.* 7.
(*c*) *Matth. V. v.* 14.
(*d*) *Ibidem v.* 13.

HOMILIA CXXVI.

AD ORDINANDOS

Habita Sabbato post Pentecostem

ANNO MDLXXVIII. XXIV. MAJI.



SI QUÆ in veteri Lege de Sacerdotum, aliorumque Altari inservientium Ministrorum excellentia ac puritate, exteriorique corporis munditia scripta sunt diligenter inspiciatis, fratres dilectissimi, satis quidem apertè vobis insinuabitur, quantò excellentiores ac puriores, quantòque ab omni non solùm corporis, sed ètmultò magis animi labe ac macula immunes esse debeant Evangelicæ Legis Ministri ac Sacerdotes. Quid enim, si cum victimis illis rationis expertibus, quæ in Salomonis Templo præstitutis diebus mactabantur, novæ Legis Sacrosanctum Agni immaculati, veri scilicet Filii Dei ac Domini nostri, qui quotidie super Altari Deo Patri pro peccatis nostris offertur, Sacrificium conferamus; quid aliud profectò erit, quàm umbram veritati, tenebras luci, terram Cœlo, imo verò bruta animalia summo ipsi Deorum Deo ac Salvatori nostro Jesu Christo comparari? At, idem ille cùm fuerit antiquæ & novæ Legis Institutor, Omnipotens scilicet ac Sapientissimus rerum omnium Conditor & Parens, quis non videat, ea omnia, quæ tunc in antiqua Lege præscribebantur, non tam eâ ratione fuisse præscripta, ut populus ille rudis ac carnalis, ad Divini cultus reverentiam studiosiùs induceretur, quàm ut nos ipsi novæ Legis cultores in figuris illis mysticè instrueremur, quanta animi pietate & veneratione Divinam ipsius Majestatem colere debeamus? quæ nos non jam ex Ægypti servitute eripuit, aut per mare rubrum sicco pede eductos, duce Moyse in terram lacte & melle fluentem introduxit, sed ex durissimo Diaboli imperio, cui misera-

ſerabiliter nimis ſubacti, exinde numquam ab ullo alio redimendi ſerviebamus, in gratiæ libertatem vindicavit, ac per hujus procelloſi ſeculi turbulentiſſimos fluctus, quaſi ſicco veſtigio pertranſeuntes, ſub vexillo Unigeniti Filii ſui, qui jam aſſumpta noſtræ humanitatis carne, Crucis ſupplicio functus eſt, educit in feliciſſimum ſalutis Portum. Nunc igitur, poſtquam fugatis umbris nox præceſſit, & dies appropinquavit, & jam verus apertus eſt Scripturarum ſenſus, attentè ac breviter perquiramus, quid de Altaris Miniſtris in Levitici Libro ſcriptum reliquerit celeberrimus ille Vates, atque divinorum reſponſorum fidiſſimus Interpres Moyſes, cùm divino juſſu ea de re ad Aaron Sacerdotem hunc in modum locutus eſt: *Homo de ſemine tuo per familias, qui babuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus: Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi parvo, vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem babens in oculo, ſi jugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel berniofus. Omnis qui babuerit maculam de ſemine Aaron Sacerdotis non accedat offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo* (*a*). Quibus quidem corporis maculis ac vitiis, etſi carere debent, qui ad Sacrum Altaris miniſterium hoc etiam tempore accedunt, niſi cum iis ab ejus rei facultatem habente fuerit diſpenſatum; longè tamen ſtudioſiùs ac diligentiùs videndum eſt, ne ſpiritualibus hujuſmodi maculis, quæ utique vitia deſignant, eorum qui promovendi ſunt, animi ſint inquinati. Quid enim aliud *cæcitas*, ſi rem ipſam rite introſpiciamus, nobis ſignificabit, quàm ignorantiæ tenebras, quibus ita mentis oculi perſtringuntur, ut quæ videnda ſunt, minimè diſcerni valeant? Quid *claudicatio*, niſi illam animi mobilitatem, quo qui laborat vitio, huc & illuc leviter, tamquam folium vento agitatum, ad diverſa inclinat, rapitur, ac prope impellitur? Per *naſum* autem, qui odorum omnium varietatem mira quadam & tenuiſſima vi diſcernit, quis neget diſcretionis virtutem deſignari, cujus adminiculo quicumque deſtituti ſunt, facilè nunc deficiendo, nunc modum excedendo, nunc perverſè agendo ita peccant, ut reliquarum etiam virtutum, ſi quas habent, actiones inficiant ac corrumpant? Quid verò *pedes*, quibus incedimus, aut *manus*, quibus operamur, *contractæ* ſignificant, niſi hominem non rectè in virtutis ſemita proficientem, & virtutum opera non integrè perficientem? Quid item *gibbus* in humeris, qui ad terram

(*a*) *Levitici XXI. v. 17. & ſeqq.*

ram pronus eſt, vel in pectore *gibbus*, qui ad Cœlum faciem extollit, repræſentat? Nonne hominem ad terrenas occupationes inclinatum, vel ſeculari faſtu aut ambitione elatum? At *lippum* ſi quis conſideret, quod ex corrupti humoris abundantia & fluxu promanat vitium, hominem profectò intelliget carnalibus ita deſideriis involutum, ut vix mentis aciem liberè in aliquid recte agendum intendere valeat. *Albuginem* autem *in oculo* qui intuebitur, ſubtilem ſcilicet & candidam membranam, aut pelliculam viſum impedientem, nihil prope aliud ſignificari animadvertet, quàm hominem de propriæ juſtitiæ candore nimis ſibi tribuentem. Sed quid *jugem ſcabiem*, a qua contracta membra numquam liberantur? Quis non fateatur, illâ deſignari libidinis diuturnæ fœditatem, qua infecti qui ſunt, tamquam ſues in luti volutabro perpetuò jacent, ac, niſi magnâ aliquâ divinæ gratiæ vi ſuccurratur, deſperandum prope ſit, quòd aliquando ex tenaciſſimo illo cœno evadant? Neque verò, ſi per *impetiginem*, avaritiam inſinuatam eſſe dixerimus, abſonum videri debeat, cùm, ſicut illa ſine dolore quidem corpus occupat, at illius decorem maximè deturpat, tùm verò in lepram, morbum ſcilicet inſanabilem atque abominabilem deſinere ſolet; ita hæc primò dulci quadam divitiarum cupiditate animum alliciens, tum ſenſim omnes animi vires ita invadit atque inficit, ut in deteſtabile illud deſinat vitium, *quod eſt*, teſte Paulo Apoſtolo, *idolorum ſervitus* (a).

Nec abs re minus eſſe judicet quiſpiam, ſi *herniosum*, qui, inteſtinis rupto peritonæo in ſcrotum defluentibus, maximo ſibi ipſi eſt ponderi, hominem dicamus turpium cogitationum & terrenarum curarum ſolicitudinibus prægravatum, atque in corde ita laborantem, ut ad cœleſtium rerum contemplationem mentem nequaquam attollere poſſit. Quæ quidem omnia crimina ac vitia, cùm in quolibet Chriſtiano homine gravia ſint, tum in Sacerdotibus, ac reliquis omnibus ſacro miniſterio addictis graviſſima eſſe, nemo eſt qui dubitet. Nempe ipſi, doctrinæ ſplendore ac morum integritate, omnibus aliis prælucere ita debent, ut lucernæ officio, ad quod a Chriſto Domino inſtituti ſunt atque aſſumpti, fungi poſſint, terrenis curis minimè implicati, carnis illecebris non detenti, ſeculari faſtu non tumidi, non quovis pacto ad fluxa caducaque hæc bona, quæ verè bona non ſunt,

(a) *Ad Epheſ. V. v. 5.*

ſunt, inclinati, non animi perturbationibus obnoxii; ſed pacati, ſed erga proximos bene affecti, atque in Domino quieſcentes, ac in divinorum myſteriorum cogitatione perpetuò ita animo defixi, ut *quæ ſurſum ſunt quærant*, *& ſapiant* ſemper, *non quæ ſuper terram* (*a*).

Verùm neque illud prætermittendum videtur, quod eodem in loco a Moyſe iiſdem Sacerdotibus præſcriptum eſt, ut *non contaminentur in mortibus Civium ſuorum* (*b*); ex quo myſticè jubentur Sacerdotes maximè cavere, ne aliorum peccatis, quæ animas in mortem ſpiritualem inducunt, datâ operâ, vel negligentiæ aut ignorantiæ causâ, quovis pacto communicent. *Sancti* igitur *erunt Deo ſuo*, ait idem Legislator (*c*), ab omni ſcilicet peccati ſorde puri atque immunes.

Sancti èt vos eſtote, cariſſimi, non oculis capti, non in animo claudicantes, non indiſcreti, non pede vel manu confracti, non corde gibbi, non lippi, non præſumptionis vitio, aut libidinis ſcabie, vel avaritiæ impetigine laborantes, non in fluxa deſideria nimiùm diffluentes, non lethalibus aliorum criminibus umquam communicantes; ſed corde, & ore, atque opere omnino ſancti, atque ita ab omni parte integri, ut nunc Sanctiſſimum Ordinis Sacramentum rite ſuſcipientes, divinâ gratiâ, & iis Spiritus Sancti donis repleamini: neque ipſi tantùm de virtute in virtutem procedatis ſemper in Domino, ſed etiam alios verbo & exemplo veſtro ſanctos efficiatis; atque vitæ omnis curſum alacriter ad montem Domini proſequentes, tamdem in Sanctam Sion feliciter perveniatis, beatiſſimo illo Summi Dei aſpectu in æternum perfruituri, quo ipſe Miniſtros ſuos ſibi fideliter ſervientes beat, omnibuſque aliis ampliſſimis bonis cumulat in menſura conferta, & coagitata, & ſupereffluente in ſeculorum ſecula (*d*). Amen.



DO-

(*a*) *Ad Coloſſenſ. III. v.* 1. *&* 2.
(*b*) *Levitici XXI. v.* 1.
(*c*) *Ibidem v.* 6.
(*d*) *Lucæ VI. v.* 38.

DOMINICA III.
QUADRAGESIMÆ
Quæ dicitur de Abraham;
IN EVANGELIUM JOANNIS
CAP. VIII.

EXORDIUM.



UM appropinquaret, dilectissimi filii, David Rex Philisthæis hostibus suis, *consuluit Dominum, dicens: Si ascendam contra Philisthæos, & tradas eos in manus meas? Qui respondit: Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex adverso pyrorum. Et cùm audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim. Fecit itaque David, sicut præceperat ei Dominus, & percussit Philisthiim de Gabaa, usque dum venias Gezer* (a). Hoc idem his temporibus, cùm bella geruntur, fieri sæpe animadvertimus; ut prudentes ac strenui Duces plerumque non aperta facie obviam hostibus procedant, sed a tergo eos adoriantur, ac circumquaque stipantes, omnem eis fugiendi viam præcludant. Hoc fortissimus Deus noster, Dominus Jesus hodie, cum acerbissimis hostibus suis bellum initurus, exemplo quoque suo nos docuit, atque opere implevit. Non contentiosè eos aggreditur, licèt gravibus etiam, ùt jam audivistis, provocatus injuriis, sed innata sibi mansuetudine ac patientia *gyrat ex adverso*, docet, proponit, suadet, ac tamdem in angustias maximas redigit; duas iisdem vias adimens, quarum neutrâ possint ejus doctrinæ obsistere; nam aut doctrina mea, inquit, vero repugnat, aut doctrinæ vita mea; *sed si veritatem dico vobis, & nemo ex vobis arguere me potest de* pec-

(a) *II. Regum V. v. 23. & seqq.*

peccato, quare non creditis mihi (a)? In has demum angustias redactos vulnere gravissimo cædit, inquiens: *Vos ex patre Diabolo estis* (b). Illi tamdem insano furore agitati, cùm nulla possent ratione se se tueri, veluti phrænetici ad contumelias confugiunt & lapides (c); quos cùm nulla re proficere animadverteret Dominus, sed lapidibus ipsis, quos arripuerant, semper effici duriores, tamdem deserere statuit. Historia profectò non modo salutaris, sed etiam plurimis Christi Domini, vitæ Auctoris mirè exprimentibus verbis est referta: Quot verba, tot favi cœlestes, suavissimam & animabus nostris maximè necessariam doctrinam stillantes. Aperit plurima, eaque gravissima mysteria; hic enim perseverantiæ quanti sint fructus enarrat, peccati servitutem ostendit, libertatem Christianam indicat, veram nobilitatem docet, filiorum erga patres officia perstringit, & patrum itidem erga filios innuit: Homicidæ & mendaces, quàm infelicis patris sint filii, commemorat; verbi Dei vim prædicat; quomodo excipiendæ sint injuriæ manifestat; Divini honoris zelus qualis nos deceat, aperit; Divinitatem suam ac se Dei Filium esse revelat; inanem gloriam damnat; vera & solida unde expetenda sit, tradit; qualiter demum in peccatis perseverantes & obstinati, sint puniendi &c. (d).

Cetera desunt.

IN-

(a) *Joann. VIII. v. 46.*
(b) *Ibidem v. 44.*
(c) *Ibidem v. 59.*
(d) Ne quidquam de Sancti Caroli Concionibus, quas in nostris Codicibus descriptas reperimus, consepultum jacêret, breve hoc initium apponere placuit in calce, cùm nullo anni indicio signetur. Attamen, dum autbographas Possevini tabulas diligentiùs scrutati sumus, conjectare nobis licuit, istud exordium pertinere ad Sermonem habitum a Sancto Archiepiscopo Dominicâ III. Quadragesimæ, quæ ritu Ambrosiano appellatur *de Abraham*, postremo vitæ suæ anno, ideft MDLXXXIV. Calamum Possevinus admovit, ad eum in ordinem digerendum; sed qua de causa abstractus fuerit ab ejusdem complemento, prorsus latet. Certè integra hæc Homilia, prout illam ex ore Borromei Antistitis excepit, per compendium adnotata legitur in chartaceo exemplari; totaque referta est salutaribus ad Populum monitis, quibus sanctissimus ille Pastor ostendit, quàm grave jugum sit peccati servitus, & quàm pretiosa gratiæ libertas: Superbiam quoque redarguens Judæorum, qui se filios esse Abrahæ jactabant, exposuit, quàm vana sit eorum gloria, qui inflantur ob deductam a remotis Avis sanguinis claritatem; cùm vera nobilitas peti debeat a potestate, quam nobis a Divino Verbo collatam Sanctus Joannes perhibet, ut nempe Filii Dei fieri possimus. Ex verbis autem Christi: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, occasionem cepit excitandi Mediolanenses, ut Sancti Barnabæ, Ambrosii, Protasii, Gervasii, & aliorum Martyrum, qui sanguine suo hanc Ecclesiam consecravere, nec non triginta sex Episcoporum, quos eadem Sanctis adnumeratos colit, virtutes imitentur, quandoquidem illorum se filios esse jure ac meritò gloriantur. Secundam etiam Partem adjecit, in qua, exemplo Redemptoris, non tam injuriis quàm etiam lapidum jactu lacessiti, docuit Christianam in adversis patientiam, & infelicem Animarum conditionem, a quibus, ob contumaciam in criminibus, sicut a Jerosolymæ Templo, exit Christus, & sese abscondit.

TOMI QUARTI FINIS.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Quarto Volumine continentur.

A

Regu-

CON-

D

eorum

FUGA

Æter-

L

ORA-

Q

R

S

T



INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
QUOS
S. CAROLUS BORROMEUS
IN SUIS HOMILIIS
PECULIARI ALIQUA EXPLANATIONE ILLUSTRAVIT.

EX LIBRO EXODI.

EX LIBRO LEVITICI.

EX LIBRO NUMERORUM.

EX LIBRO DEUTERONOMII.

EX LIBRO JUDICUM.

EX LIBRO I. REGUM.

EX LIBRO II. REGUM.

EX LIBRO III. REGUM.

EX LIBRO IV. REGUM.

EX LIBRO I. PARALIPOMENON.

EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

EX LIBRO I. ESDRÆ.

EX TOBIA.

EX LIBRO ESTHER.

EX LIBRO JOB.

EX PSALMIS.

EX LIBRO PROVERBIORUM.

Ex Libro Ecclesiastes.

Ex Cantico Canticorum.

Ex Libro Sapientiæ.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

EX ISAIA.

EX JEREMIA.

EX THRENIS JEREMIÆ.

EX EZECHIELE.

EX OSEA.

EX MATTHÆO.

Cap.

EX MARCO.

EX LUCA.

tecum:

EX JOANNE.

tet

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

Ex

Ubi

